

D. IOANNIS THAVLERI

DE VITA ET PASSIONE SALVATORIS NOSTRI IESV CHRISTI PIISSIMA EXERCITIA, A QVIbus author ille cõuersionem suam exorsus est, nunc demum ex idiomate Germanico reddita Latinè.



ADIVNCTA SVNT EIVSDEM ferè arguméti alia quædam Exercitia, prorsus diuina, Authore D. NICOLAO ESCHIO viro docto ac pio.

Coloniæ ex officina Ioannis Quentel, Anno M. D. XLVIII.

Cum gratia & priuilegio Cæsareæ Maiestatis ad quinquennium.



RINCHORVM APVD COLO-
NIAM FAMILIAE INSIGNIA.



BARTHOLOMAEI LAVRENTIS EPIGRAMMA.

Aureus ex aquilæ dependens annulus ore,
  Rinchorum exornat nobilitatq; genus:
Te verò ante alios doctor pie Rinche, valentē
  Moribus & ſtudijs & pietate, polit.

MAGNIFICO VIRO ET V. I. CONSVLTISSIMO DOCTORI D. IOANNI RINCKIO,

apud Agrippinensem Coloniam auita generis nobilitate clarissimo atque ornatissimo ciui, domino ac patrono suo cum primis colendo, F. Laurentius Surius Lubeceñ. Carthusiæ Coloniensis monachus,

S. P. D.



Portunè tandem ea, quę mihi nunquàm non optatissima fuit, occasio oblata est meum in te animum testandi, humanissime atq; ornatissime Doctor, amice singularis, & generis tui decus ac ornamentum. Etenim ante hos aliquot menses, cùm ex Mõguntiaco reuertissem, iamq; D. Ioannis Thauleri opus pridem à me trãslatum, chalcographo ex industria imprimendum esset, libellus quidam Germanicus ab amicis ad me delatus est, peti-

tumq; feriò, vt q̃ primũ à me Latinæ donatus consuetudini, ad Thauleriana opera adiũgeretur. Itaq; tametsi nihil me dignum præstiturum iam antè certũ exploratumq́; haberem, feci tamen vt potui, & verbis si nõ aptis & ornatis, at quibuscũq; tamen hoc quicquid est operis, reddidi. At verò, dum sub ipso opere, typographis iam in Thaulero ob mercatum Francofordiensem summa contentione properantibus, quotidie desudarem, ꝙ tardius aliquanto Thaulerianũ opus inchoatum esset, vix bene absolui potuit ante nũdinas: itaq; factũ est (vt mihi videtur, nutu quodã diuino) vt libellus hic Thaulero iungi non potuerit, maximè cùm nec ipse temporis spatijs iniquis exclusus, interpretationem maturè conficere possem: id quod, vt dixi, partim non absq; Dei consilio accidisse, in animum induxero. Nisi enim me fallunt omnia, eiusmodi hic liber est, vt multo vtilius seórsim, q̃ cum grandi illo opere cõiunctim imprimat: Multis nanq;, ijsdemq́; longè pijssimis, scatet precibus, quibus si cui vti libeat, non poterit, si sint maiori insertę volumini, nisi vel in charta describat, quod est onerosum maximè: aut quôlibet secum ingens opus asportet, quod est multo one-

onerosius. Atq; vt plurimùm, non nisi in sacris ædibus homines, præsertim mundi negocijs, aut aliàs gerendis rebus quibuscunq; impliciti, precari solent. Si qui ergo horũ Latinè norint, (norũt autem quàm plurimi) quis non videat, quanto maiori cum fructu seorsim, q̃ coniunctim, talis aliquis libellus, qualis hic est, vnde preces efficacissimas petere liceat, ad communem omnium vsum in lucem emittatur? Hoc consilio, ista ratione iam demum hac Enchiridij forma tractatus hic typis excusus est: nempe vt semper haberi in manibus, semper in sinu gestari queat, sitq́; in promptu Christiano homini, vnde sui creatoris atque seruatoris beneficia, quæ nusq̃ perinde vt in illius cruciatibus ac morte elucescunt, subinde repetere, ad animum reuocare, secum meditari, & pro ijs grates eidem laudesq́; quas decet, agere locis & horis omnibus, diuina subnixus ope, citra molestiam possit. Quod quàm vtile, quàm fructuosum, immo & penè necessarium sit homini Christi sanguine & gratia è diabolica tyrannide ac dura peccati seruitute in filiorum Dei & spiritus libertatem asserto, res ipsa testatur: vnde nec mihi hanc sumendam operam puta-

tui, vt certis id à me rationibus explicetur. Quod si tamen curiosiùs quisquam id nosse velit, habet eruditorum piorumq; hominum innumera penè monumenta, vnde suo possit desiderio facere satis. Mihi, qui interpretis tantùm, nõ authoris, fungor officio, ea sola cura relicta est, vt bona fide quod Germanicus codex habuit, Latinis vocib⁹ efferrē: id quod me præstitisse spero: neq; me vsquam à fidi interpretis officio recessisse, planè mihi persuadeo. Neq; verò hoc in opere quicquam à me spectatũ aliud vel quæsitum est, nisi quo pijs omnibus in cõmune prodessem, quod à me præter alias mihi neutiquam negligendas rationes, etiã fraternus amor suo quodam iure non postulare modò, sed etiam flagitare videbatur. Cæterum omnem hanc operam meam, vt vberiorem referat fructum, tuæ in primis humanitati ornatissime Doctor & amice integerrime nuncupatam volui, cum ob innumera priuata in me beneficia tua, quæ nullis vnq̃ meritis assequi potero, tum ob singularem illum erga nostrum monasteriũ animi tui candorem, studium ac beneuolẽtiam, quib⁹ ita nos tibi demereris, vt inter summos atq; præcipuos loci huius amicos & patronos

iure meritoq́; debeas numerari. Taceo quantum tibi auorum tuorum nomine debeamus, quorũ in nos beneficia ita sunt clara atq; testa ta omnibus, vt hac mea verborum asperitate obscurãda potius sint quàm illustranda. Sed ne H.T. meis nugis diuti⁹ morer, age suscipe paruum hoc clientis tui munusculum clarissime Doctor, tibiq; vel hoc vno argumẽto etiam atq; etiam persuadeas velim, eum esse erga te tuasq́; proles animum meum, qui debeat, nec quicquam mihi esse antiquius, quàm vt pro maximis in me meritis tuis, vel qualẽcunq; possim vicem reddere, aut aliquam saltem non ingrati animi significationem exhibere. Vale vir amplissime, & me, vt soles, tibi semper habe commendatum. Ex nostra Carthusia, ipso sancti Aegidij die, 1548.

EXERCITIA, SEV MEDITATIO OPTIMA VITAE ET PASSIONIS IESV CHRISTI.

Supplex confeſſio & imploratio diuinæ bonitatis. Caput I.



O Benigniſſime IESV, amor, ſalus & conſolatio mea. O amator hominũ fideliſſime, creator & redẽptor meus: lumen cordis mei, ſolatium ſpiritus, & medicina aīæ meæ, quantũ tibi debeo Deus meus, quanti me feciſti creator meus, qui me de nihilo condidiſti ad imaginem & ſimilitudinem tuam: qui me tam inæſtimabili comparaſti precio, tanto labore redemiſti, tot annis longanimiter ſuſtinens, in meis mihi perſeueranti iniquitatibus pepercisti: tot beneficijs tan ta me benignitate attraxiſti & proſecutus es, diuinaq; gratia tua innumeris vicibus mihi miſericorditer ſubuenisti, cum tamẽ ego toties tibi terga præbuerim, ſanctis inſpiratiõibus tuis non obtẽperauerim, tuamq; negligligens ſanctiſſimam volũtatem, meæ potius puerſæ ac improbæ obſecutus ſim. O clementiſſime Deus, quàm ad hanc vſq; horam cunctis largiſſimis donis tuis ingratus fui. O miſericors Deus, en confiteor tibi multam & magnam iniquitatem meã. Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Ecce enim ad te domi-

domine leuaui animam meã. O sanctificator inuisibilis, purifica spiritum meum, præpara cor meum ad laudandum te, & gratias agendum tibi. Illumina intellectũ meum. Collige & vni memoriam meam. Accende desiderium meum. Intentionem purifica. Affectus purga. Erige vires meas ad te, arentemq́; animam meã irriga rore cælestis gratiæ tuæ. O Deus pijssime, dignare nũc obsecro inclinare aures tuas è cælesti throno tuo ad me miserã & peccatricem creaturam tuam, & exaudi preces meas, quibus pulso cum timore humili pectus diuinæ gratiæ tuæ. En totum me ad te cõuerto. En vires meas omnes erigo ad laudandum te, & ad benedicendum tibi, totis viribus aperio tibi cor meum. Fac, obsecro, radijs illud diuinæ charitatis tuæ transfigi, splendoribus diuinæ illustrari claritatis tuæ, quo interius perspiciã fundum animæ meæ, videamq́; & agnoscam quàm longè sim à te Deus meus: videam quoque, quæ me culpæ, quæ vitia impediant ab amore & seruitio tuo, faciantq́; me indignum recipere in animam meam influxum diuinæ gratiæ tuæ: vsqueadeò me dñe Deus meus immẽsis donis, beneficijs & charismatibus tuis, maximeq́; incompræhensibili charitate tua amplexus es & circundedisti, vt me à calore amoris tui abscondere, vel spiritum meum à tua laude cohibere nequeam. Enimuero cor meum omni qua possum facultate te laudare, tibi gratias agere concupiscit: impendioq́; exultat spiritus meus in laude tua, & te magnificat anima mea, quia gratia tua magna est super me. Sed quis ego sum ò altissime & omnipotens creator, vt te laudare ausim? Quomodo verò impurissimum os meum, tot vitijs conspurcatũ, ad annunciandũ potentiam & virtutem tuã aperire audebo? Immo quid de te, qui immẽsus, inuisibilis,

incompræhensibilis, imperscrutabilis es, cogitare, intelligere, eloqui potero, vt te laudare, admirari, magnificare queam, cũ nec æstimare, nec capere, nec perscrutare te valeam? Cæterum quanuis te o terribilis incomphensibilisq; maiestas & altitudo, vilis ego homuncio & inanis stipula laudare non sufficiam, cum neq; te, neque opera tua compræhendere possim, vel eo tñ te Deum meũ laudare & exaltare, tibiq; gratias agere debeo, ꝙ tam admirabilis, excelsus, incompræhensibilis, imperscrutabilis es, vt creaturæ omnes neque intellectu, neque ingenij quouis acumine, neq; ratione te contingere queant, nisi quatenus & quãtum illis de te per gratiam tuam das intelligere. Quod si olim homines prophani ac ethnici adeo exultauere, seseq; iactãrũt de maximis, potẽtibus ac ĩmortalib⁹ dijs suis, eo ꝙ sumptuose ac artificiose ex auro alijsq; preciosis rebus fabricati essent: qui & reuera immortales erãt, quandoquidẽ nunq̃ vitã percepere: quãto me æquius est exultare in te omnipotẽte dño meo, cuius tãta potẽtia est, vt cælum & terram impleas gloria maiestatis tuæ: tanta pulchritudo, vt hanc sol & luna cæteraq; elementa mirẽtur, & angelici spiritus mirum in modũ gaudeant & delectentur in contẽplatione tui: tanta fortitudo, vt terrã vnico aspectu facias contremiscere: tam admiranda virtus, vt cælum terramq; verbo produxeris, & creaturæ omnes voluntati tuæ subditæ sint: tanta opulentia, vt quicquid cæli terræq; ambitu continetur, sine medio ad te pertineat, quæque in eis contenta absque cura & solicitudine regas, & modereris: tanta denique in primis bonitas & clementia, vt misericordia tua sit super omnia opera tua. Neque enim vllus tam extremè vilis vermiculus est, neque creatura aliqua quanlibet abiecta, quæ non

parti-

participeſ ſit gratiæ tuæ, aut cuius tu obliuiſcaris,quo minus eam ſuſtentes & alas in tempore ſuo. Iam ſi ex mirabilibus operibus tuis ô omnipotens & benigniſſime DEVS id deprehendere & colligere poſſumus,tam te potentem,ſapienté,& bonum eſſe,cum omnia tam mirabiliter & artificioſe abſque labore creâris, tam ſapienter ſine ſolicitudine gubernes,tam benignè ſuſtentes abſq; diuitiarum tuarum imminutione: quàm ergo in teipſo potens,ſapiens,bonus,admirabilis es, cùm vtique artifex opere à ſe formato ſublimior præſtantior & dignior ſit? Eadem nanque facilitate vel mille cælos & mundos creare,regere,ſuſtentare poſſes,qua vnum ſiue cælum ſiue mundum. Quomodo ergo ô omnipotens laudem tuam eloqui potero,à qua creaturarum omnium, etiam cæleſtium ſpirituum intellectus deficiunt? O clementiſſime DEVS,ſcio quia operũ aut laudis noſtre non indiges,cùm in teipſo ſemper laude abundes. Siquidem ſimplex in teipſo & perfectus es DEVS, quem creaturæ omnes nullis operibus vel augere vel minuere poſſunt: attamen dignaris ab indignis & fragilibus creaturis tuis laudari. Ideoq; tametſi laus mea ô amabilis DEVS meus ſublimi potentiæ, incompræhenſibili ſapientiæ, & ineffabili bonitati tuæ nimis tepida, vilis & indigna ſit,eam nihilo minus gratã habere dignare, ſuppleatq; bonitas tua, quod non poteſt infirmitas mea. O benigniſſime DOMINE, quanuìs te laudare non ſim dignus, idem tamen facere maximè ſum obligatus. Quomodo enim ingratus eſſe poſſim pro multiplicibus donis & beneficijs tuis? vt ceſſare potero à laude tua, cùm tu mihĩ nõ ceſſes benefacere? O miſericordiſſime IESV, perquã vellé cũcta beneficia & oém benignitaté tuã mihi abs te impenſam,in arca cordis mei congerere & coaceruare, & pro

& pro ſingulis quibuſque beneficijs tuis ſpecialem tibi laudem, & gratiarum exhibere actionem. Sed quis ſufficiat domine perſcrutari vel attingere profundum bonitatis tuę, aut amoris tui emetiri latitudinem? Quis dinumeret, quis compræhendat multiplicia beneficia tua, quæ impendiſti nobis, & adhuc indies impendis? Verum quanuis hæc cunctis ſint creaturis impoſſibilia, illud tamen præcipuum opus ſalutis noſtræ, in quo ingens amor tuus maximè relucet, nunquam abſcedat à corde meo.

Deuota meditatio & gratiarum actio de incarnatione & vita IESV. Caput II.



Doro te IESV CHRISTE rex Iſrael, lumen plebis, domine dominantium, princeps pacis, virtus omnipotentis Dei, ſapientia patris. Adoro te cõciliator hominum, aduocate pijſſime peccatorum, laborantium refrigerium, ſolamen oppreſſorum, merces iuſtorum omnium. Adoro te panis vitæ, animæ medicina, plebis cõciliator, redemptor ſeculi, gaudium cæli, placabile & gratum ſacrificium, pacifica hoſtia: qui per fragrantiam veſtimentorum tuorum patrem in excelſis commorãtem benigniſſime inclinaſti pariter & commouiſti, vt reſpiceret infirmitatem & miſeriam noſtram, exaudiret gemitus & lamenta noſtra, noſq; in ſuam reciperet gratiam. O miſericordiſſime IESV, en confiteor maximam benignitatem & gratiam tuã, quam tu nobis ex ingenita bonitate abſq;

nostris meritis impendisti:offeroq; tibi sacrificium laudis & gratiarumactionis pro cunctis beneficijs, quæ in nos semen nequam,vasa iræ,filios reprobos,seruos inutiles,& damnationis mortisq; reos peccatores contulisti.En laudo,exalto,benedico te, & gratias tibi ago ex omni anima, vniuerso corde, totis viribus, & omni facultate mea. Magna siquidem super nos est misericordia tua. Cum enim omnes essemus damnationis & iræ filij,& inimici tui,cõtaminati macula peccati originalis, violatores imaginis tuæ, destructores templi tui: quando,inquam, serpens antiquus suo nos veneno infecerat, tum tu memor fuisti misericordiæ tuæ,deq; cælesti habitaculo tuo despexisti in hanc vallem lachrymarum,& misertus es lachrymarũ nostrarũ,gemitusq; nostros exaudisti, tactus intrinsecus dolore cordis, & motus compassione super miseria populi tui: simulq; cor tuum amore succensum est. Et licet verus esses Dei filius,lucem habitans inaccessibilem, sustentans omnia diuina virtute tua, cunctaq; moderans & regens diuina sapientia tua, in cuius conspectu angeli contremiscunt,in cuius nomine genu omne flectitur, minimè tamen dedignatus es sublimem potentiam tuam ad hunc vsque tenebrosum nequam seculi huius carcerem inclinare, & particeps fieri infirmitatis & miseriæ nostræ, mortaliq; indui sacco nostro,quo nostram miseriam & infirmitatem tua diuina absorberes potentia, nostram ditares inopiam,nostram mortalitatem ad æternam faceres resurgere vitã, vitia nostra ablueres & aboleres, naturam nostram suæ pristinæ restitueres innocentiæ, ad spiritus libertatem solueres captiuitatem nostram, & miserabilem deniq; ruinam nostrã ad perennem repárares gloriã.Nec misisti ad exequendum opus redem

ptio-

ptionis nostræ angelum aliqué, siue quempiam ex Cherubim vel Seraphim: sed ipsemet venisti ex iussu & voluntate patris tui: (cuius nimirum ineffabilem bonitatem in te illius verbo sempiterno experti sumus) non quo mutâris locum, sed tuam nobis exhibuisti præsentiam per assumptam humanitatem. Enimuero ex sinu patris delapsus es in purissimum, virgineum, integerrimumq; corpus pudicissimæ dulcissimæq; virginis MARIAE: in cuius sacratissimo corpore sola virtus Spiritussancti concipi ac nasci te fecit in humana natura: ita tamen, quod hæc natiuitas diuinæ nihil detraxit maiestati tuæ, nec virginis beatissimæ castissimam minuit integritatem. O admirabile & incompræhensibile commercium: dominus glorię, pro humana infirmitate nostra, suam dedit celsissimam diuinitatem: Conditor creaturarum non dedignatus est formam serui induere: & non serui tantùm formam assumpsit, sed etiam instar abiecti vermiculi humiliatus & pro nihilo habitus est, ac velut transgressor & impius, ad mortem crucis ignominiosissimam condemnatus est, qui iudicaturus est viuos & mortuos. O IESV amabilissime, quantoperè nos ab initio dilexisti. Non satìs erat tibi esse te dominum, creatorē & protectorē nostrū, sed & redēptor, consodalis, frater, caro & sanguis noster fieri voluisti, & esse particeps infirmitatis, paupertatis, mortalitatis nostræ, qui nullius prorsus indiges. Adeoq; pauper effectus es, nostræq; miseriæ adeò gustasti amaritudinem, vt ipso natiuitatis tuæ tempore nec tantillum rei haberes hæreditariæ, vbi tenera & infantilia membra tua reponi & hospitio recipi potuissent, cum sis cæli terræq; dominus: sed in alieno stabulo natus es, & tenerrima membra tua in præsepe rigidum vilesq; pāniculos collocari permi-

permisisti. Et hūc ipsum indignum locum benedicta & verè pijssima mater tua à bestijs irrationalibus mutuata est. O bone Iesu, cuius non emolliatur cor, nō accendatur ad amorē, nō ad deuotionē excitet̄, nō moueatur ad cōpassionē, quādo maximā paupertatē, admirabilem humilitatē, & feruētissimū erga nos amorē tuum attēdimus? O q̄ citò incepisti operari salutē nostrā? eandemq́; q̄ studiose perfecisti? ne vnū quidē vnquā temporis momentum neglexisti, quod non perfectè expenderis ad salutē nostrā iuxta voluntatē patris tui. Ab ipso mox natiuitatis tuę exordio teipsum pœnis afficere & pati cœpisti. Quare verò ô dulcis IESV tam humilis, tam inops, tam abiectus fieri voluisti, nisi vt beatam nos doceres humilitatem, sanctamq́; nobis commendares paupertatem? Ideo nanq́; & humanam assumpsisti naturam nostrā, vt nos faceres participes diuinitatis tuæ: factus es hominis filius, vt nos filij Dei efficeremur: fieremus, inquā, per adoptionē & gratiā, quod tu ab omni æternitate fuisti per naturā. Natus es in stabulo, vt nō homines tantū, sed & iumēta seruares. In pręsepe positus & fœnū effectus es, vt pabulū esses humiliū iumentorum. Sic planè necesse erat d̄ne, vt tu fœnū fieres, quādo homines iumēta facti erāt. Ita nāq́; ꝓpheta quidā ait: Computruerunt iumenta in stercore suo, id est, in sordibus vitiorū. Quò igitur hi bestiales pascerent̄ homines, verbum fœnū (id est, caro) factū est, quia om̄is caro fœnū: vtiq́; iidem ex stabulo putentiū educerētur vitiorum, Christus in stabulo natus est. Nūc igitur, ô homo, sensibus tuis dedite, adora in stabulo iacentem, quem cælo præsidentē cōtēpsisti: adora bestia vel iumentū, quē homo agnoscere noluisti. Cōuertere iā ad ipsum in miseria & exilio mūdi huiꝰ, à quo in paradiso voluptatis te auer-

auertisti. Honora nūc præsepe illius, cuius præceptum violasti. Vescere iam fœno, qui panem angelorum deseruisti. O rex gloriæ omnipotens, quæ te vicit charitas, vt tam pauper, tam humilis, tam abiectus pro me peccatore vermiculo fieres, & in stabulo sordido inter bruta animantia collocareris, qui ab angelis adoraris in cælo? lacte refocillareris, qui ipse es panis angelorū? vilibus inuolucreris panniculis, qui cælum stellis adornas, & sanctos tuos vestis stolis aureis? Sed & in ipsa hac infantia & innocentia tua, à teneris membris tuis cruenta hostium tuorum manus nō abstinuit. Vixdum natus eras, & adhuc inter castissima iacebas brachia dulcissimæ matris tuę, suauiter quiescens in materno illius pectore, auideq́; sugens virginea illius vbera: necdum cuiquam verbum dixeras, & crudeles ac impij homines quærebant animam tuam vt perderent eam. O dulcis IESV, quàm citò insurrexerūt aduersum te iniqui hostes tui: quàm infans pati cœpisti. Cum ętate ipsa creuit tecum afflictio. ¶Iam octo vix bene dies impleueras, & infantilem ac innocentem pro me fudisti sanguinem tuum, ac velut peccato legiq́; obnoxius, secundum legem circuncisus es, vt ipsam legem cōseruares, adstrueres, sanctificaresq́;. Et vt infantia ac pueritia tua, religionis exemplar, & speculum esset virtutum, non secutus es seculi vanitatem: non solatium vllum aut animi remissionem expetijsti in ludis puerilib⁹, vel fabulosorum hominum consortijs & cōuenticulis, vbi non nisi temporaria & vana tractantur: sed in templo cultuq́; & famulatu patris tui inuentus es in doctorum medio, audiens & interrogans homines, qui es ipse sapientia patris, sciētiarum dominus, æterna veritas, & verbum Dei, quod erat in principio. Vtq́; formam quandā obe-

dientiæ

dientiæ nobis traderes, humiliter parentibus tuis te submisisti, factus subditus eis, cui cuncta subiacent elementa, cui data est potestas omnis in cælo & in terra, qui claues habes mortis & inferni. Deinde vbi plenitudo tibi iustæ accreuit ætatis, adessetq; propè tempus, quo manum ad fortia mitteres, manè egressus es in salutem populi tui, & exultasti vt gigas strenuus ad currendam viam nostræ paupertatis. Et vt in primis virtutem nos doceres beatæ humilitatis, quæ initium est & fundamentum virtutum omnium, innocens agnus ad deuotissimum seruum tuum Ioannem Baptistam, peccatoribus pœnitentiæ baptisma conferentem, perrexisti, haud secus quàm si & tu peccator esses, ab eoq; baptizari petijsti, qui nullam vnquam peccati senseras maculam: nō quò tibi opus esset aqua tingi & ablui, sed vt ipse potius aquam temetipso tanquàm sacro chrismate benediceres, baptismaq; nobis consecrares, per quod ab omi essemus expurgandi macula peccatorum, significans nimirum, verum te esse MESSIAM patribus promissum, Christumq;, id est, vnctum, & agnū DEI immaculatum, tollentem peccata mundi. Inde iam in virtute spiritus ad eremum abijsti: vtq; nobis seu strenuus signifer & dux animum adderes ad pugnam subeundam, primus ipse aciem subijsti, singulare cum crudelissimo hoste nostro certamen iniens, quem & primo statim congressu, elisis vniuersis viribus eius, prostrauisti, vt per hominem victus cōfundatur, cessetq; dehinc gloriari vicisse se olim ac decepisse hominem. O leo inuictissime, quàm gnauiter, quàmq; operosè salutem nostram molitus es, vt nos infirma membra tua excitares, animumq; nobis faceres ad labores, pugnamq; subeundam? Neq; enim vel eremi expauisti solitudinem, vel ad


diaboli tentamenta expalluisti: non te famis molestia, non asperitas pœnitentiæ deterruit: nec laboris denique orandi, meditandi, vigilandi te pertæduit. Enimuerò salus malè habentium membrorum tuorum semper tuo versabatur in pectore, pro quibus instar fidelissimi parentis admodùm solicitus fuisti, studioseq; laborasti, vt nos eternis ditares bonis, thesaurumq; indeficientem virtutum & meritorũ omnium nobis comparares, vnde quicquid nobis deesse posset, abundè omnes hauriremus. Deinde quia lumẽ diuinum, quod intra te sub modio latebat humanitatis tuæ, abscondi non potuit, lumẽ cælestis doctrinæ ac sapientiæ tuæ propalàm lucere pmisisti, vt mortales oẽs ad fidẽ illuminares. Cunctis nanq; illis in locis degentibus regnũ Dei annũciasti, verba tua miris cõfirmans operibus atq; portentis: cunctisq; debilibus ac malè affectis diuinam potẽtiam tuam declarasti, nec vlli denegasti benignissimam pietatem tuam, quò cunctos lucrifaceres & sanares. At verò intellectus hominum obcæcatus erat. Neq; enim cum amore te exceperũt vt saluatorem suũ, sed potiùs cordibus à te auersi sunt, tanquàm à seductore & impostore maleuolo: simulq; doctrinam tuam contempserunt, opera calumniati sunt, miracula despexerunt, & non modò ingrati fuére cunctis hisce beneficijs tuis, sed etiam vnde te amare & venerari debuerant, indè te iniquissimè accusârunt, odio habuere, persequuti sunt, & blasphemauere, dicentes: Non est hic homo à Deo: dæmoniũ habet: seducit turbas; potator est vini, & amicus publicanorum. Neque tamen agne mansuetissime sacrum os tuum aperuisti ad dicendum vnde affligi potuissent, sed cuncta modestissimè sustinuisti. Cur ergo tam impatiẽs, tamq; pusillanimis es ò anima mea, quando

quãdo aliquid tibi occurrit aduersum, aut afflictio aliqua vel molestia infertur ab hominibus? Non aduertis, quantam iniuriam, vilipensionem, cõtemptum & ignominiã Dñs gloriæ pro te perpessus est? túne illo meliorem te putas? Si patremfamiliâs Beelzebub vocârunt, quãto magis domesticos & ministros eius? O IESV sapientia Dei, æterna veritas, quàm clarè effulsit diuinũ lumen tuũ sup filios Adę? Quàm oĩnis vita, cunctaq; operatio tua, lux quædã & manuductio nobis fuit ad veritatẽ? Quàm perspicuè lumẽ cęlestis doctrinæ tuæ luxit in tenebris? Quàm vniuersa opa tua humilitate, patientia, charitate, abstinẽtia, & oĩni deniq; gra & virtute abũdabant, ita vt in his perfectissima cũctis exempla totius sanctitatis relucerẽt. Itaq; quicquid mihi deest, indè mihi haurio. Si qua in re dubitare me contingit, in tua sanctissima vita ceu in speculo lucido contemplor. In hac nanque rigidam abstinentiam, veram obediẽtiam, profundã humilitatẽ, voluntariam paupertatem, ineffabilem puritatem, admirandam patientiã, immobilẽ lõganimitatẽ, constantẽ perseuerantiã, & incompræhensibilẽ deniq; inuenio charitatem: sed & eam, qua maximè indigemus, abundè hic reperio, infinitã benignitatem & misericordiam, immo & quascunq; mecum in corde meo virtutes meditari queo, in hac ceu in tabula descriptas manifestè depræhendo. Reuerà tu es liber, quem propheta vidit scriptum intus & foris: quandoquidem omnis & externa & interna vita tua spiritalibus doctrinis & virtutibus abundat. Et certè quisquis hũc librum bene terit, & cum propheta comedit, dulcis erit in ore illius instar mellis. O IESV misericordissime, quãtos ptulisti labores, vt pditas oues domꝰ Israel q̃reres & cõgregares. Quàm amicè & suauiter eas ab

errore ſuo ad te reuocaſti, quàm leuiter eis blāditus es, beneficijs allexiſti, & amore traxiſti ad patrē tuum: modò cęleſtia dona pollicēdo, modò infernales cōminando cruciatus: iam blandiendo, iam increpando. Et quid huic vineæ ſterili amplius facere debuiſti, quod non feciſti? O quàm ſtudioſe conatus es plantare vineam patris tui: nec tibijpſi ab æſtu, à frigore, à ſiti & fame, à vigilijs & laboribus pepercisti. Enimuerò cor tuum præ ardenti deſiderio intra te velut in olla feruenti æſtuabat, vt patri tuo lucrum reportares, & omnem Iſrael ſaluum faceres. Quid retribuam tibi ò dulcis IESV, pro cunctis hiſce immenſis beneficijs tuis? Quid eſt homo, quòd adeò ſitis ſalutem eius, tanta pateris pro redemptione illius, tantum laboras ad pertrahēdum eum ad amorem tuum? Quid delectare te poteſt homo perditus? Ad quid vtilis eſt peccator immundus? aut quod deniq; commodum expectas ex vili ac miſero terræ vermiculo, quòd ita apponis erga eum cor tuum? O ſuauiſſime amator hominum, quare tam ſerò te amare cœpi? Vt quid reliqui te fontem virtutum, & venam aquarum viuentium? Cur auerti me à te profluuio chariſmatum, abyſſo gratiarum, ſummo bono & totius perfectionis ſpeculo? Quę me vicit inſania, vt non erubeſcerem tam fidelem offendere parentem, tam potentem exaſperare dominum? Heu me miſerum, deſerui te panem angelorum, & præ nimia egeſtate ſiliquis me repleui vitioſiſſimæ voluptatis, vt beſtiali meo appetitui facerem ſatis. O reparator naturæ, quàm glorioſum & decorum me condidiſti, & quàm ego me corruptum & fœdum reddidi? Ecce enim cor meum peruerſum eſt, & inſtar adamantis obduruit: memoria mea diſperſa eſt, intellectus obſcuratus, corrupta volūtas, amor tepuit, anima de-

fœda

fœdata est, spiritusq; remissus est & elanguit: totusq; sensibus deditus, odibilis & abominabilis effectus sum. Dereliquisti me, & non doleo: incidi in laqueos diaboli, & non video: percusserunt me & vulnerauerunt me vsq; ad mortẽ, & non sentio: ad portas inferi delapsus sum, & non lugeo. Attamen nec sic quidem ô clementissime Deus, magnam à me auertis & multam misericordiam tuam. Vocas me ad te, qui longè recessi à te. Trahis me ad te, qui adhuc venire recuso. Extẽdis brachia tua, vt suscipias me antequàm veniam ad te. Inclinas caput tuũ, vt osculũ mihi præbeas, qui adhuc immundus totus & indignus sum. Præuenis me & occurris mihi cũ gratia tua, priusquàm recõciliatus sum tibi. Infundis mihi gratiã, citius quàm ego eam petere ausim. Deniq; pascis me pane suauissimo electorũ filiorũ tuorũ, qui neutiquàm dignus sum esse vltimum mancipium tuũ. Quid à te petã amplius? Pro his igitur omnibus magnificat te anima mea, & exultat spiritus meus in te Deo salutari meo. Cuncta interiora mea laudant, benedicũt, & gratias agũt tibi Domine, quia misericordia tua magna est super me. O si tam amabilem te exhibes inimicis tuis IESV mi benignissime, quid ergo es dilectis amicis tuis? Itaq; ex contẽplatione immẽsę huius misericordiæ & bonitatis tuę, miser ego & vilis peccator, onustus graui sarcina innumerabiliũ peccatorum meorum, venio ad te IESV bone: multumq; humiliter abijcio me ad pedes tuos: quãdoquidem plenus es gratia, & benignus admodũ erga peccatores: estq; hoc naturale tibi ac verè proprium, misereri sẽp ac parcere, immo & gratificari ac benefacere. Da mihi, obsecro, eandẽ inuenire gratiã, quã feruẽtissima obtinuit amatrix tua beata Magdalena: dicasq; animæ meę verbum



illud solatij plenũ, quod ei dixisti: Remittũtᷣ tibi peccata tua. Licet eñ vltra modum grauia sint peccata mea, parua tñ sunt collata misericordiæ tuæ. O dulcis IESV, adiuua me, quia bene potes: tribue mihi desideriũ cordis mei, quia humiliter valde & miserabiliter clamo ad te. Remitte mihi multũ, vt multũ diligã te, & magnificè gratias agã tibi. Sana me totũ, vt totus tibi adhæream. Exonera me à graui sarcina peccatorũ, vt te expeditus & alacriter sequar. Proijce omnia peccata mea in abyssum diuinæ misericordiæ tuæ, adeoq; ibi ea conteras & redigas in nihilũ, vt nulla eorũ apud te memoria perseueret. Iam eñ fixè mecũ statui, nunquam posthac offendere te Deũ meum. O pijssime IESV, quandoquidẽ tibi confiteor malitiã meam, ostende mihi, obsecro, bonitatem tuã: quia omnẽ tibi exposui miseriã & paupertatem meã, api mihi largissimos thesauros gratię tuę, simulq; omnem laborem tuũ, cunctaq; opera tua bona, & vniuersa merita sacratissimæ passionis tuæ cunctis appone vitijs & negligẽtijs meis, & reconcilia mihi cælestẽ patrem tuũ, cum quo viuis & regnas eidem consempiternus Deus in omnia secula seculorum, Amen.

De lotione pedum discipulorum. Cap. III.



APpropinquante tẽpore gratiæ & misericordiæ, quo Christus IESVS ab æterno cõstituerat pficere salutẽ nostrã, nosq; redimere nõ corruptibilibꝰ auro vel argẽto, sed precioso sanguine suo, ex vero amore ceu liberalissimus paterfamiliâs celebrẽ cũ discipulis suis cœnã agere voluit, antequàm p acerbissimã mortẽ discederet ab eis, idq; in signũ magni amoris, quo

tenebat erga illos. Atq; in hac cœna testamentũ suum condere voluit, manifestè declarans, q̃ in finem vsque tãquam veros filios suos nos dilexerit, & paterno cordi suo ab æterno habuerit impressos. Cùm enim peracta iam cœna discipulis suis è vicino imminentem mortem & passionem suam indicasset, vidissetq; eos vehementer inde affligi, quòd à tam fideli patre & amabili præceptore separandi essent, ex magna cõpassione multùm eos benignè consolatus est, dicens: Filioli, nolite tristari, neq; turbetur cor vestrum. Nõ relinquam vos orphanos. Expedit vobis vt ego vadã. Vadã ergo, & iterũ veniã ad vos. Sed cùm videret eos prorsus pusillanimes esse, & grauiter angi, & his quidẽ lachrymas p ora defluere, alios verò ex imo pectore alta ducere suspiria, & alios itẽ ex pallore & vultus immutatione internam declarare angustiã spiritus sui, cuncta illius viscera, vt est misericordissim9, compassione tacta sunt, simulq; voce consolatoria affatus est eos, dicens: Filioli mei dulcesq; discipuli mei, nolite terreri, nolite turbari. Ecce ego vobiscũ sum vsq; ad cõsummationem seculi. Vide quàm ardenti eos amore cõplexus est. Cæterùm, præparato iam agno paschali eo in loco, vbi ipse mãdauerat, ingressus est cœnaculũ, & secuti sunt eum discipuli ei9. Agè sequamur & nos. Neq; eñ pius dominus aliquem indè famelicum abire patietur. Agno deinde paschali iuxta ritum & legem Iudaicam absumpto, vniuersas virtutes suas, quas omni vitæ suæ tempore diuersis modis mirificeque exercuerat, ob hominum infirmitatem, iam velut in summa quadam duabus in partibus complexus est, vt homines qui cuncta CHRISTI opera & virtutes sequi minimè possunt, has ad minus binas virtutes, quas in fine vitæ suæ tam

ſtudioſè nos edocuit, omni ſtudio conentur aſſequi: quandoquidem ſine illis nemo poterit ſalutem ac beatitudinem adipiſci. Surrexit ergo de menſa, & linteo quodam præcinctus, cœpit diligẽter admodum abluere pedes diſcipulorum ſuorũ. Nimirum in inſignis exemplum humilitatis opus hoc grande peregit in ipſo vitæ ſuæ termino, vt & charis diſcipulis ſuis & nobis omnibus arctiùs imprimeret virtutem profundæ humilitatis. Enimuerò ſine hac in virtutibus nec perſiſtere, nec progredi, nec placere Deo, nec illius poſſumus gratiam obtinere: quando iuxta ſcripturam, ſuperbis Deus reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Et ſicut ſuperbia initium eſt & origo omnis mali, ſic humilitas virtutum omnium eſt fundamentum. Hæc beata virtus vnit nos Deo: & per humilitatem cogimus Deum delabi in animas noſtras. Præpotentem nanq; potentiam Dei nemo cogere poteſt, niſi per profundam deſpicientiam & nihilipenſionẽ ſuijpſius. Et ſicut aqua ſemper humiliora petit loca, ita & Deus cum gratia ſua humilimo potiſſimũ cordi illabitur. Per humilitatẽ virgo beata domina noſtra inuincibilem vicit, offenſum reconciliauit, ſũmo placuit regi, eundẽq; inclinauit, vt in eius puriſſimo qeſceret corpore, ſicuti ipſa fatet: Quia reſpexit, inquiẽs, humilitatẽ ancillę ſuę. Per ſuperbiã ẽ paradiſo eiecti ſumꝰ: per humilitatẽ reparamur ad gloriã. Quòd ſi ſuperbia tã dãnabilis fuit in angelis, vt exigẽte iuſtitia ẽ cęlis ęternò extruſi ſint, cùm tñ ob ingentem gloriã & claritatẽ ſuã multo plures ſeſe extollẽdi cauſas habuerint, quàm homo: quomodo hic erigere ſeſe audet, tanquàm & ipſe aliquid ſit, cùm eum & ſubſtantia, & conditio, & natura, & locus & quicquid demum eſt, deprimant & vilem efficiant? Si enim attẽdere volet

quid

quid fuerit, quid sit, quid patiatur, vbi habitet, & quid futurus sit, sentiet nimirum, ꝙ propria eum conditio proterit, humiliatq́; suumq́; eum fundum reprehẽdit, dicens: Quid superbis terra & cinis? Cæterum quamuis DOMINUS IESVS toto vitæ suæ spatio sanctam hanc humilitatem verbis & operibus nos docuerit, nihilo minus iam morti propinquus, & discipulis suis & nobis omnibus eam arctiùs imprimere, nosq́; humilibus suis actibus expressiùs docere voluit, quò nunquã ex cordibus nostris deleretur. Et reuera vt maiorẽ nobis dulcis DOMINUS humilitatẽ exhibere potuisset, quàm ꝙ immundos pedes creaturarum suarum abluit? Ad terram vsque sese demisit, & discipulorum suorum omniũ seruus effectus est. Quis, obsecro, sine compunctiõe & deuotione videre possit regem gloriæ, cuius admirabilem potentiam stupent, & cum tremore adorant spiritus angelici, præcinctũ linteo tam studiosè abluere pedes sordidos seruorũ suorũ? Sedebant discipuli, virtusq́; omnipotentis DEI ad terram vsque sese deiecit: & DOMINUS dominãtium genu flexit coram discipulis suis, in cuius nomine genu curuant omnia. O quàm humiliter, quàm deuotè, quàm amabiliter de vno ad aliũ positis humo sacris genibus processit, nitidisq́; manibus suis illorum tractauit sordes, immò & tam officiosè lauit, extersit, osculatus est. Nec pedes modò amicorũ, sed etiam proditoris sui ita abluere & osculari voluit, cum tamen ab isto sciret se triginta argenteis vẽditum, nec quicquam alijs minus ei præstitit verè pijssimus IESVS. Hoc tã admirandæ humilitatis opus fecit ad nostri institutionẽ. Audi ipsum dicẽtem discipulis suis: Scitis quid fecerim vobis? Si ego dominus & magister laui pedes vestros, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplũ enim

dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis, vt & vos alter alteri mutua charitatis opera præstetis, mutuasq; inuicem collocetis operas, idq; nõ amicis tantùm, sed etiã inimicis. Itaque quisquis filij DEI profundã in terris humilitatẽ sectari detrectat, cum eodem minimè apud patrem exaltabitur in cælis. Nihil enim æquè diligit DEVS, atque cor purũ, humile & quietum, sicut ipse ait: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilẽ & quietum, & trementẽ sermones meos?

De institutione venerabilis & præstantissimi sacramenti. Cap. IIII.



VM itaque dominus IESVS dilectos discipulos suos in vera humilitate verbis & exemplis instituisset, iamq; propinquum esset tempus passiõis, eosdem & nos omnes etiam alteram suam virtutẽ nõ minùs nobis quàm præcedẽtem, ad salutẽ necessariam docere voluit, perfectam videlicet charitatem. Has duas virtutes ceu testamẽto ad perennem memoriam nobis dereliquit, cupiens eas intimis imprimere cordibus nostris, cum in eis om̃is nostra salus sita sit, & sine ipsis salui esse nequeamus: hæq; solæ sufficiant, etiamsi nihil præterea habeamus. Audi nũc quid benignissimus Dñs dixerit discipulis suis: Filioli, mandatũ nouũ do vobis. quasi diceret: Multas à me institutiões, diuersaq; & nũerosa pcepta habetis. Sed iam pręceptũ nouũ do vobis, summã quandã omniũ pręceptorũ, & clausulã cunctarum institutionum mearũ: hoc est, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos: vt sicut ego animã meam pro vobis pono, ita & vos ad mortem vsque vos diligatis inuicem, &

mutuò assistatis: sicuti ego proditorē meū dilexi, & pro his qui me in crucē egere, rogaui, ita & vos diligatis inimicos vestros, & eis benefaciatis, per charitatis opera cōmodādo subueniendoq; illis, qui vos persequuntur, & mala vobis irrogāt. Hoc nouū charitatis pręceptum DNS IESVS nō solū verbo docuit, sed etiā opere pstitit. Etenim declarare nobis voluit, veros nos esse filios suos, quodq; ex charitate perpetua suo nos paterno gestârit in pectore, nosq; ab æterno fuisse in ipso, & velut in nostra origine in eo ab omni æternitate quieuisse: nec vllum vnquam naturalem parentē tanto filios suos amore complexum esse, quāto ipse nos cōplexus sit. Enimuerò tanquā fidissimus parens præstantissimum nobis reliquit testamentū & excellentissimū legauit bonum, quod cælo terraq; & dignius & melius est, sacratissimū videlicet corpus suum in cibū, & preciosum sanguinem in potum. O admirabile mysterium, ò celsissimū sacramentum. O vos omnes quotquot DEVM amatis, venite, pperate, videte, admiramini, obstupescite, laudate, annunciate, magnificate nomen dñi. Tale nāque, tam admirandum opus operatus est in nobis dñs, vt quisquis hoc interno voluerit intellectu perscrutari, non posset non & spiritu cōtabescere, & deficere intellectu, immo & cunctis viribus prę nimia admiratiōe destitui. Et si qs fundū charitatis huius p humanę fragilitatis modulo, auxiliāte sibi gr̃a Dei, rōne vel ītellectu pluſtrare ac puestigare volet, quāto scilicet ex amore hoc ipsum De9 facere dignat9 sit, nimirū liquefiet, ardebit ac cōflagrabit dilectiōis flāma & incēdio cor illi9. Quāuis eīn grāde & admirabile op9 fuerit, q̄ De9 oīpotēs humanā assumere naturā, nr̃oq; mortali cōtegi sacco dignat9 est, hoc tñ opus cūcta illi9 opera multis post se relinqt interuallis.

In

In illo nanq; opere nostram in se recepit humanitatem; in isto vero suam nobis largitur diuinitatem cũ humanitate coniunctam & vnitam, vt eam intra nos suscipiamus. In illo nostram ipse humanitatem: in isto eius nos diuinitatem induimus. Vt enim cibus ab homine sumptus transit in illius substantiam, fitq; vnius cum homine naturæ: ita quisquis hunc cibũ dignè percipit, vnum cũ eodẽ per gratiã efficitur. Nã queadmodũ Dñs Augustino ait, nõ nos diuinã hãc escã in nostrã mutam⁹ substantiã: sed ipsa potius nos in se trãsmutat atque transformat, efficitq; nos deiformes & vnius secum naturæ: velut ignis naturã in se ligni trahit & absumit, ipsumq; transmutat in ignem. Atque hic est modus, quo Christũ induimur, sicuti Apostolus monet. O quis infinitam abyssum altissimę charitatis huius vllo possit intellectu contingere, quam DEVS nobis in hac sublimi & admirabili voluit declarare sacramento? Et id quidem fecit in extremo vitæ suæ tempore, vt esset summa quædam, & clausula, perennisq; memoria cunctorum operum suorum. Porrò licet in cœna vltima sacramentum istud primò instituerit, tradideritq; homini sumendum, idem nihilo minus erat, vbi humanam CHRISTVS naturam induit. Tunc nanque verum habuit corpus, viuentem animã, eratq; DEVS verus: quæ tria nos accipimus sub hoc sacramento. Cuius iam cor non ardenti incandescat amore, exciteturq; & moueatur ad deuotionem, vbi attẽderit, quãto amore & desiderio flagrârit potẽs ille rex gloriæ, Dominus maiestatis, erga nos viles creaturas, qui nõ nisi puluis & cinis sumus? in quibus etiam nihil præter omnem fragilitatem, vitiositatem, & indigentiã inuenit, adeò vt dicat, deliciæ meæ esse cum filijs hominum? Vt nos ampliùs exaltare queat, quàm ꝙ suum

um intra nos templum constituit? Vt verò sese magis deijcere possit, quàm quòd esse dignatur cibus creaturarum suarum? Summum ille quidem & perfectissimum bonum est, cui nullum possit bonũ comparari, nec vnquam deficere potest: & quia cor illius paternum atque piissimum nihil melius, nihil sublimius excogitare potuit, seipsum nobis dedit, vt nobis largifluã bonitatem, & altissimum cordis sui demonstraret amorem. liberalisq; prorsus largitio est, cum quis dat semetipsum: sed multò liberalius est, cum quis tali se ratiõe largitur. Dedit nanque seipsum nobis in patrem, in fratrem, in socium, in cibum, in preciũ, in intercessorem & aduocatũ. Denique & olim sese nobis in perenne præmium daturus est, ita ꝙ seipso adeò nos exatiabit, quòd erit nobis quicquid desiderare poterimus. Et vltra omnem hanc liberalitatem etiamdũ semper paratissimus est aduentare in corda nostra, & impertiri nobis merita oĩa incarnationis, vitæ & passionis suæ. Ipse nanque ait per prophetam suum: Tunc inuocabis, & dominus exaudiet te: clamabis, & dicet: Ecce adsum. Et per seipsum, Qui diligit me, inquit, diliget eum pater meus, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Attende ò anima mea dignitatem tuam: & exulta satis in DEO tuo, qui te subleuauit è stercore vitiorum tuorum, vt sis modò habitaculum adorandæ Trinitatis, quæ eras priùs mancipium diaboli. Verùm nec tantum quidem nobis exhibuisse amorem tam ardentissimo amatori satis est: quin & profundiùs sese nobis submittit. Nec expectare vult, donec à nobis inuitetur desidereturq;: sed ipse prior venit & pulsat, oratq; vt se intromittere velimus. Audi eũ in Apocalypsi dicentem: Ecce sto ad ostium & pulso: Si quis aperuerit mihi, intrabo ad eũ, & cœnabo cum illo,

& ipse mecum. O beatam & felicem illam animam, quæ obseruat pulsum domini sui, quæ vigilat & cum desiderio illius prestolatur aduentũ, vt nõ modò dño & sponso suo cõfestim aperiat: sed etiã cũ lampade oleo ardenti bene iñstructa, illi pergat obuiàm, ducatq; secum, dicens: Veniat dilectus meus in hortum suum. O quantæ felicitatis est excipere venientem è cælestibus nuptijs, vino ebrium, plenum gratiæ & veritatis, procedentẽ ex deliciosissimo sinu patris, omnino delectabilem & consolatorium, delicijs spiritalibus affluentem, paratũ impertiri amabili sponsæ suæ osculũ pacis quod ipse percepit à patre suo? Quãtæ item felicitatis est manducare cum illo, qui sic semetipsum largitur in cibũ? Quinam obsecro aut sese deijcere ampliùs, aut nos magis euehere potuisset? Cælum & terram implet gloria diuinæ maiestatis suæ: & tamen tractari & manducari pcipiq; non recusat à nobis indignis terræ vermiculis. Cæli cælorum magnitudinẽ eius capere nõ sufficiunt, & dicit esse delicias suas vt sit nobiscũ, qui in luteis terræ domibus habitamus. O cuius præ nimia admiratiõe non obstupescat spũs? cuius cor ex ignito ardore ineffabilis charitatis huius non liquescat? Quonam ille modo feruentissimum amorẽ suũ nobis reddere testatiorẽ potuisset? Parum est ei ꝙ angelos sanctos in nostri mittat obsequiũ & visitationem: sed dñs angelorũ ipse venit ad famulos suos. Aegrotos visitat, infirmos cõfortat, lapsos erigit, desolatos consolatur, desperatis animũ addit, dubitantes instruit, errãtes reuocat, esurientes reficit, tepidos inflammat. Denique omnes curat languores & vitia nostra, idq; nõ peregrino aliquo medicamine, sed precioso corpore & sanguine suo. O admirãdum mysterium, ò celsissimum sacramentum, ò amor ineffabilis, ò inaudita

dita largitas, vbi dator ipse est donum, seruus mãducat dominum, creatura percipit creatorẽ, minister ad summi regis mẽsam sedere iubetur, & esca diuina satiatur, homo pane vescitur angelorum, pater corpus distribuit vnici sui, largeq́; potandum præbet amicis suis preciosum sanguinem dilecti filij sui. Cui vnquã maior aut profusior audita est largitas? Quis intellectus admirabilis sacramenti huius mysteria perscrutetur & capiat? Quidnã præterea nobis facere Deus potuisset? Quînã altissimam diuinitatẽ suam magìs nobis coniungere poterat, quàm ꝙ effectus est cibus noster, vt nos totos sibi incorporaret? Vt eñ esca corporea sumpta ab homine, suauiter ad interiora delabitur, nutritq́; cũcta hominis mẽbra, & demũ in illius trãsit substantiã: ita & Christus in nostras sese demittit animas, vt nos totos seipso impleat, & in se trahit oẽs vires nostras. Et si ita dignè præparatas offendat animas nostras, vt in eis iucũdum planè opus suum absq; impedimẽto possit exequi, iam secundum scripturas, ædificat & destruit, occidit & viuificat, euellit & plantat, obscurat & illustrat. Ipse nanque est agnus ille, quem S. Ioannes vidit sedentẽ in throno cæli, & noua facientem omnia. Enimuerò vtì semel animas nostras, cum necdum essent, miro artificio condidit ad imaginem & similitudinem suam: ita & reparat easdem, reformatq́; mirificè ad eandem similitudinem suam, in nobis vitiatã atq; destructã. Sic eñ legis eũ dicentem per Prophetã quendã suũ: Ego ipse pascã oues meas, & ego eas accubare faciã. Quod perierat, requirã: & quod abiectũ erat, reducã: & quod cõfractũ fuerat, alligabo: & quod infirmũ fuerat, cõsolidabo. O qs mente capiat, qs cogitare sufficiat, quãta mira, quãtáq; felicitatẽ cibꝰ hic diuinꝰ operetur in anima, dignè eã ꝑcipiẽte?

O quàm

O quàm purus, quàm sanctus, quàm cælestis, & ante omnia quàm diuinus mox eiusmodi homo ex hoc cibo efficitur. Si enĩ ea est natura elementorum instar authoris sui, vt cuncta absumant, suiq́; reddant similia, & in suam substantiam transmutent: quanto magìs hæc esca dignissima, quę DEVS ipse est, quicquid in homine vitiosum, carnale vel sensuale est, consumet penitus & occidet: & quicquid virtutis est, ac bona quæq; oriri faciet excitabitq́;? Ac præcipuè totum tandem hominem in sese transformabit, sibiq́; vniet, & quatenus secundum creaturæ modũ fieri potest, vnius secum essentiæ, suiq́; similẽ reddet? Quod dum fit, vt videlicet cibo huic conformis sit homo atque consimilis, totus quoque fit spiritu viuidus: quandoquidem panem recepit vitę, ita vt iam cum Apostolo dicat: Viuo autem iam non ego, viuit verò in me CHRISTVS. Fit etiã totus angelicus & cælestis: quia cæli panem, & escam mãducauit angelorum. Fit denique totus diuinus, eò quòd DEVM ipsum susceperit, qui adeò totum eum repleuit, adeoq́; vires illius (vt ita dicam) deificauit, vt nihil iam vel appetere, vel meditari, vel velle, vel diligere possit præter solum DEVM, illiusq́; exequi voluntatem, & quicquid eius amor exigit, illi facere satis. Quid igitur deesse nobis possit, vbi hunc dignissimum percepimus cibum? O DEVS misericordissime, quid nobis ampliùs facere posses atque fecisti? Etiamsi omni potentia & vniuersa sapientia tua in hoc solum incubuisses, vt grande homini præstares beneficium, & insigne quoddam amoris eximij exhiberes opus, equidem meo non possum capere intellectu, vt dignius, sublimius, vtilius aut salubrius nobis donũ largiri potueris. Enimuerò thesaurum gratiæ tuæ totum in nos effudisti: & patefacto nobis paterno corde

tuo,

tuo venas excellentissimæ charitatis tuæ largissimè in nos scaturire permisisti. Planè re ipsa declarasti nobis, quanto erga nos flagrares & sauciatus esses amore. Et quia beatum hoc vulnus, & feruens incendium diutiùs celare non poteras, flāma' ꝓrupit, hominē vim & amoris tui agnoscere permisisti, dans illi sacratissimum corpus tuū in cibū, & preciosum sanguinē in potū, vt videlicet homo aspiciens immēsam hanc dilectionē, & ipse vicissim inflāmaretur ac vulneraretur amore, simulq; per hanc sublimē charitatē semper intrinsecus exigeretur & admoneretē vicē qualēcunq; rependere ac huic satisfacere amori. Vide hic quàm stupendū & inauditū diuinæ sapientiæ cū nostra natura cōmerciū fuit. Infirmitatē ipsa nostrā, & mortalē à nobis assumpsit humanitatem, & adorandā nobis cōtulit diuinitatē suam. Quod vt meliꝰ efficere posset, nullū cōmodiorē gratiorémve reperit modū, quàm vt sub specie cibi & potus sese nobis relinqueret. O prædicanda potētia DEI, quę sub specie panis exigui sublimē diuinitatē suam, perfectū corpus, sanctamq; animā suam hominibus vniuersis æqualiter ac integrè præbere potuit in cibū, qui ab vnoquolibet totus sumitur, & tamē in seipso integer & incorruptus perseuerat. O stupenda sapiētia DEI, quæ hunc subtilem & salutarem nostra pro salute modū instituit atque sanciuit. O incōpræhensibilis bonitas DEI, quæ sublimia charitatis opera nostræ salutis causa perfecit. O salutaris esca, per quā filij hominū transeūt in filios DEI, per quam humanitas absorbetur, vt DEVS maneat. O desiderabilis, ô sacer & adorande panis, qui mentem reficis, non ventrem: cor hominis confirmas, non corpus aggrauas: spiritum exhilaras, non obscuras intellectum: per quem trucidatur sensualitas, & voluntas

propria ad nihilum redigitur, vt locũ habeat voluntas Dei, ſpũs dominetur, & operatio Dei nullũ ſentiat impedimentũ. Nimirũ impendiò neceſſariũ erat homini, qui venenoſum ſerpentis morſellũ hauſerat, vt per cælicã precioſi ſanguinis CHRISTI potionẽ, ſalutẽ amiſſam recuperaret. Decebat planè, vt qui per cibũ mortiferũ lapſus erat, per panẽ vitæ erigeretur: qui per fructum ligni erat mortuus, per fructum æquè ligni reuiuiſceret, quiq; per lignũ inobedientiæ æternæ fuit morti adiudicatus, per obedientiæ lignũ ad perennẽ gloriã repararetur. In illa nanque arbore eſca mortis, in iſta verò vitæ medicina pependit. In illo ſtipite ſuccus hærebat concupiſcentiæ, in iſto verò botrus pependit ſalutis: qui in paſſionis expreſſus torculari, nouum nobis reddidit vinum, quo cor hominis exhilaratur. Hic planè electus ille & guſtui delectabilis eſt botrus, quẽ terrę exploratores in vecte deferebãt, ſancti videlicet Apoſtoli, qui interioribus oculis cælorũ regna perluſtrarunt: vt exempli gratia, D. Ioannes, qui agnum occiſum vidit in Apocalypſi, & D. Paulus, qui & ipſe abijt contẽplari terram promiſſionis, cum raptus eſſet in tertium cęlum: indeq; ad ſe reuerſus, confitebatur nullũ aliud ſe ſignũ noſſe, quàm vuã in ſtipite, id eſt, Ieſum Chriſtũ, & hunc crucifixum. Hic eſt enim verus botrus, nihil habens acerbitatis admixtũ: & panis ſapidus, ſeu mãna cæleſte plenum ſpiritalibus delicijs, in quo nihil eſt aſperum, cum non ſit hordeum veteris Teſtamenti, adminiſtratum per Moſen: ſed flos tritici, id eſt, gratiæ exhibitę per CHRISTVM IESVM: non ſit etiam figura, ſed veritas. Nemo itaque panem hunc edere obliuiſcatur, ne cor illius exareſcat. Vt enim per cibum corruimus, ita nihilo minùs per cibum reuiuiſcamus oportet. De illo dictum eſt: Quocunque

die

die comederis ex eo, morte morieris. De isto dicitur: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in ęternũ. Quotquot igitur per imposturam satanæ, maligni serpentis illius, in peccata cecidimus, & mortis poculum nobis per inimici tentationem oblatum hausimus, cum dolore, pœnitentia, deuotione, flagrantibusq; desiderijs ad cælestem hanc medicinam percipiendam nos præparare debemus. Prorsus non cessemus malè habentibus & ægrotis succurrere animabus nostris: quandoquidem pijssimus DOMINUS nulli denegat gratiã suam, nec quicquã dare paratior est, quàm semetipsum. Et certè quicquid charismatum, quicquid gratiæ DOMINUS IESVS attulit in hunc mundum, deditq; homini cum illius naturam assumeret, totum hoc singulis quibusq; confert & adducit dignè hoc venerabile percipientibus sacramentum. Quicquid etiam virtutis in vita sua CHRISTVS exercuit, omnem MORTIS, Resurrectionis & Ascensionis suæ fructum, beatitudinem dignissimi corporis, virtutem preciosi sanguinis, & merita denique præclarissimæ animæ suæ, idem ipse secum aduehit in animam dignè ipsum recipientem. Quid multis? In hoc dignissimo sacramento, quicquid vel cogitari vel desiderari potest, accipitur. Enimuerò sumitur hic verus DEI filius IESVS CHRISTVS, verus DEVS & homo verus, semper vnum existens cum patre & Spiritusancto. Et quicquid demum virtutis ac meriti CHRISTVS in vita & passione sua exercuit obtinuitq;, id omne hic percipitur ab anima dignè præparata. Immo & paratus est dulcis IESVS cunctas has virtutes per pijssimam & largissimam bonitatem suam donare nobis, perinde ac si nosmetipsi eas exercitassemus. Festinemus igitur omni studio expurgare corda nostra ab omni inquinamen-

to peccati, & exornare ea virtutibus & operibus bonis, vt cibum hunc salutiferum semper accipere idonei ac digni simus, ad æternam gloriam benignissimi creatoris. Amen.

Oratio deuotissima de venerabili sacramento. Caput V.



Omnipotens DEVS & Dñe IESV Christe, verbum patris, æterna veritas, misericordissime redemptor, æquissime iudex, quàm incõpræhẽsibilia sunt iudicia tua super filios hominũ? quàm horribilis es malis, quàm pi9 & amabilis bonis? En pauper ego, vilis & peccatrix creatura tua, tremens ac gemens venio ad te ęternã veritatẽ, cui secreta oĩa apparent: cuius oculi nõ solũ opera, sed ipsum quoq; intimũ hominis fundum clarè perspiciũt, quo videlicet corde, quáve intentiõe quæq; opa peragãtur. O pijssime Deus meus, grãdis iustitia, perspicax veritas, tremẽda sapientia, & exhorrẽda iudicia tua angũt me ad mortẽ vsque, & cõtremiscere me faciũt venire in cõspectũ tuũ, cum sim multis inquinat9 vitijs, quibus vehemẽter te ad iracundiã concitaui. Sed infinita clemẽtia, & ingens benignitas & misericordia tua, quæ est super oĩa opa tua, ipsa me respirare facit in salutem, & spem veniæ consequẽdæ. Fallax ille & inuidus serpẽs, mortis escã sub tegmine delectatiõis obiecit mihi: & ego extraneus à luce gratiæ tuæ, nõ discernẽs bonũ à malo, prębui cõsensum iniquo: Comedi, & veneno illius infectus sum. Ad quẽ nũc fugiã ò Deus benignissime, nisi ad te? Tu es eñ salus hominũ, agnus sine macula, qui tollis oẽs maculas pecca-

peccatorum, & purissimo sanguine tuo sanas & diluis oēm corruptionē infectionemq; venenosi serpētis. Itaq; pia cū fiducia sub alas cōfugio māsuetissimę benignitatis tuę. Tibi me ꝓsterno oīni cū humilitate, nō de aliqua virtute præsumēs, sed onustus molestissima sarcina peccatorū: quò te Deū meū gemēdo, flendo, rogādo mihi cōciliem, quē cupiditate, delectatiōe, superbia, vanitate & ꝓpria heu nimiū voluntate offendi. Totus ad te immūdꝰ venio: cū sis fons misericordiæ & grǣ, si vis, potes vtiq; me mūdare. venio ad te, ad mortē vsq; vulneratus: quia tu Deꝰ meꝰ, ipsa es vitæ medicina. En ostēdo tibi vulnera mea. En cōfiteor tibi peccata mea. Dn̄e, si vis, potes mihi opitulari: & quidem tu solus id potes. Certè parum est tibi dare, quod mihi accipere maximè prosit. Memēto, obsecro, pie IESV cōsolatorij verbi illiꝰ, quod tu æterna veritas protulisti, puta, ꝗ nō velis mortē peccatoris, sed vt cōuertatur & viuat. O amator hominum fidelissime, en toto corde & oīni facultate mea me ad te cōuerto. Adiuua me, priusquā moriatur anima mea. Sine te nāq; nō possū nō mori, cū tu ipse dixeris: Nisi māducaueritis carnē filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitā in vobis. En morti proximus factus sum, quia auerti me à te animæ medicina, & pane vitæ. Cor meū aruit in me, ita vt coactus sim panē mēdicare in terra, terrenā videlicet & temporalē consolationē q̄rere, quia à te recesserā esca & nutrimento cælesti. Eapropter venio nunc famelicus, ęgrotus & deformis ad te patrē misericordiæ, fontē pietatis. Cū prece humili ad ostiū pulso diuinæ gratiæ & clemētiæ tuæ, & ad paternū cor tuū. Exaudi supplicationē meam: tribue mihi desideriū cordis mei, exple famelicū, refice sitibūdum, refocilla languidum, sana ægrotum: quia tu solus

me sanare potes. Noli ò benignissime Samaritane ꝑterire infirmũ seruum tuum, sed motus cõpassiõe, infunde in vulnera mea vinũ & oleũ. Amor qui te traxit è cælo, vt perditũ Adam patrẽ nostrũ redimeres, ipse te cõmoueat, vt sanes me infirmissimũ membrũ illius. Nec tamẽ ò bone Iesu ideo te solum accipere desidero, ꝙ mihi in infirmitate mea tã summè es necessari⁹, sed etiã ex amore ingẽti & desiderio, quo afficior erga te dñm meũ, Saluatorẽ meũ, vnicũ amorẽ cordis mei. Præueniens nãq; gratia tua, & amor priùs exhibitus, adeò cor meũ in fide, spe & charitate erga te corroborauit, vt te formidare aut fugere nõ possim, quasi terribilẽ aut implacabilẽ iudicẽ: sed obuiã tibi ire cõpellor, vt excipiã te, & amore intimo ceu pijssimũ patrẽ, & dulcem ac delectabilem amatorẽ, amplectar. Siquidem in virtute potẽtissimus, in sapiẽtia gloriosissimus, in bonitate perfectissimus, in donis largissimus, speciosissimus in natura, sanctissimus in cõuersatione, fructu delectabilissimus, gustu suauissimus es. Plenus nãq; consolatione & gratia, ac totus es desiderabilis. O dulcissime DOMINE, tametsi cæli non capiant magnitudinem tuam, & ego tam vilis terræ puluisculus sim, vt indignus sim vel minimum ex te capere beneficium tuum: attamen nec sic quidem cunctis donis tuis explere poteris desideriũ cordis mei, nisi & teipsum dederis. Quanto sanè ego vilior sum, tanto magis prædicabitur bonitas tua, magisq; eam admirabuntur omnes, ꝙ tu dñs gloriæ, ad me miserũ & infirmum homuncionẽ venire dignaris. O benignissime IESV, qui publicanorũ & peccatorũ conuiuia nõ respuisti, & peccatricis fœminæ tactũ non es aspernatus, visita desolatam animã meam. Veni & dic animæ meæ: Salus tua ego sum. O effluens abyssus diuinæ bonitatis, quæ cælum

&

& terram & omnia in eis contēta adimples, ex cuius plenitudine sancti om̄es delicijs affluunt, & abundè satiantur, imple me totum temetipso. Quod quidem perficere, est potentiæ tuæ: quomodò verò, & quali ratione, sapientiæ. Operis denique cōsummatio, est bonitatis tuę. Dignare etiam cor meum ita exornare diuitijs gratiæ tuæ, vt nullam infra te curiositatem ornatúmve requiram, sed cuncta mihi temporalia ceu stercus vilescant. O cęlestis dulcedo, totū te mãducare cupio, & tot⁹ mãducari abs te. Cupio mi D͞ne totus consumi à te, & in meipso ad nihilum redigi. Opto mori in me, & viuere in te: transformari item & incorporari abs te, & acquiescere æternaliter in te beata origine mea. Tu es eīm fons & origo omnium quæ sunt: & ex te & in te ab æterno secundū ideas viuim⁹ & sumus. Et certè inquietū est cor nostrū, nisi requiescat in te origine sua. O conseruator omnipotēs essentiæ meæ, trahe me in te, & ipse mihi clementer illabere: decoramq; similitudinē tuam, quam in me corrupi, ad pristinā in te reforma puritatē & integritatem suā. O purissimū principiū essentiæ meæ, creatæ quidem in me, sed increatæ in te secundū ideam, oro te per ardentissimū amorem illum, ex quo permisisti configi pijssimū cor tuū, vt me per ipsum sic apertum & trāsfixum ad increatū diuinumq; cor tuum perduceres, descende velociter in me, simul adducens tecū clementissimū patrē tuū: quãdoquidē gratā hanc illius intelligis perspicuè voluntatē, q̄ te ex se emittere nolit, sed esse ipse tecū. Quæso te dulcis IESV, toties me baptiza, purga & munda in saucio & transfixo corde tuo, vt dignus fiam tecum abduci in amantissimum cor æterni patris tui, vbi me filiū suū adoptiuū recipere dignetur per te filium tuum sibi consempiternū & coęqualem. Amen.

Exercitium deuotum de Passione domini. Caput VI.



VM iam propè esset tempus, vt Dñs IESVS ex hoc mũdo transiret ad patrẽ, constituto, iam ab eo ceu patre fidelissimo cum dilectis discipulis Testamento suo, relicto videlicet eis precipuo & excellentissimo bono, quod cor ipsius paternũ excogitare poterat, vtpotè sacratissimo corpore in cibũ, & precioso sanguine in potum: (Quod nimirum idcircò fecit, vt certum eis ardentissimi amoris sui præberet indicium, ęternumq; eis passiõis, mortis & omnium denique operum suorum post se relinqueret memoriale seu monimentum, & eximium denique ac certum, immo & preciosum futuræ gloriæ suæ pignus traderet.) hoc, inquam, opere peracto & consummato, cum hymnum dixisset DEO patri, exiuit cum discipulis suis in mõtem Olueti trans torrentem Cedron, vbi erat hortus quidam, quò sæpe orationis gratia cõuenire solitus fuit cum eisdem discipulis suis. Aitq; ad eos: Sedete hic, vigilate & orate, vt nõ intretis in tẽtationẽ. Assumptoq; Petro, & duob⁹ filijs Zebedæi, Iacobo & Ioanne, vtpotè secretissimis, fidissimis, maximeq; dilectis, quos haberet, amicis suis, vt quibus gloriam diuinitatis suæ in transfiguratione ostenderat, etiam doloris sui in passione acerbitatem demonstraret. Hic nunc adsitis, quotquot DEVM diligitis: attendite & videte, quanta fecit dominus animabus nostris. Venite huc omnes, qui per innoxium innocentis agni CHRISTI IESV sanguinem redempti estis, vt videatis & intelligatis, qualia perpessus est pro iniquitatibus

bus nostris. Iam nunc aperitur liber vitæ, & soluuntur septem signacula eius: in quo relucet veritas, & omnes sunt thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi: qui scatet doctrinis, & mysterijs abundat. Nunc planè speculum virtutum omnium cunctis manifestè proponitur. Iam velum antiquum scinditur, & cuncta figurarũ inuolucra atq; velamina auferuntur. Sancta sanctorum modò per Iesum summum sacerdotem latè pandũtur: quandoquidem proprium ipse sanguinem obtulit in sacrificium, & quidquid abditæ sanctitatis fuit, & omnia deniq; occulta sacramenta & mysteria reuelauit. Iam nunc fons altus Iacob patriarchæ, profluentes habens riuulos ostenditur, ex quo non Israelitæ tantùm, sed & Samaritani hauriunt, & pecora multa reficiuntur, & qcquid est sordiũ ac immũditię, abluit. Vastũ hic quoq; & amarum afflictionum & cruciatuum mare demonstrat. Quod etsi priùs tam horribile erat, vt solo quoq; nomine perterreret hominem: posteaquàm tamẽ verus Ionas in illud se sponte ꝓijci iussit, amaritudinẽ oẽm ita vertit in dulcedinem, tempestatemq; omnem adeò sopiuit atq; sedauit, vt haud secùs, quàm in deliciosum balneũ in illud sese homines mittant, in eoq; sese emundent, nec iam horreant ampliùs, sed etiam gloriẽtur in cruce dñi nostri IESV Christi. Sicut hodieq; cõplures videmus crucem suam hilariter in se recipere, & multa cum alacritate sequi DOMINUM suum IESVM Christum. Ad hæc proponitur hic nobis ob oculos scala Iacob, cuius cacumen nõ cælum modò, sed ipsum quoq; sinum Dei patris attingit: per quam non angeli modò, sed ipse quoq; DOMINUS angelorum ascendit, sequentibus eum publicanis & peccatoribus. In cuius summitate pater misericordiarum sedens expanso sinu, amabilissimè

lissimè excipit, quotquot filium suum affectarẽtur. Reducitur nunc etiam hic nobis ad memoriã mirabilis illa, quæ Hierosolymis erat piscina, quę nunc vltra modũ per magni angeli Iesu Christi descensum mota atq; turbata est, ita vt iam in ea non vnus tantùm ægrotus, sed quotquot malè habent, & immũditia omnis, & quicunq; demũ in hac salutifera afflictionis seu passionis vnda lauãtur, ilicò sanentur & emundentur. Nũc etiam aperitur thesaurus immensus diuitis patrisfamiliâs, ex quo inopes, infirmi & oppressi omnes largissimis exhilarantur donis, ita vt vnicuiq; liceat ex sacris Christi IESV haurire visceribus, quicquid sibi deesse intelligit. Copiosam namq; emanant gratiam: & vt largiùs fluerent, pluribus in locis scissa sunt & patefacta. Celebratur nunc etiam gloriosa victoria Christianorum, vt videlicet verus Dauid CHRISTVS IESVS, humilis quidem & pusillus statura, sed fortis viribus, non Saulis munitus armis, sed baculo, id est, cruce sua & silicibus quinq;, cruentum Goliath, plebis Israeliticæ hostem, imperterritus debellare aggressus est. Præterea declaratur hic nobis admirabile sacramentum & sublime mysterium, quòd DOMINUS angelorum dignatus est fieri abiectio hominum: altissimus, factus est infimus: vnigenitus DEI Patris, sese spontè obtulit pro reis peccatoribus in mortem crucis, affigens peccatum cruci, & mortem interimens, delensq; chirographum debitorum nostrorum precioso sanguine suo. Nunc denique ignis ille, quem pater cælestis misit in terram, adeò accensus est, vt flamma cælum contigerit, atque per intemperantem calorem suum, frigidam terram & saxa dura emollierit perruperitq;. Et reuerà quisquis deuota meditatione ad hunc ignem propiùs accesserit, in-

cendium

cendium hoc euadere nõ valebit. Cuius eñ vel ſaxeum cor nõ liqueſcat, dũ aduertit immẽſam Chriſti Ieſu bonitatẽ, quãto ille erga nos viles terræ vermiculos deſiderio teneat, quãtoperè ſitierit ſalutẽ noſtrã, quàm vltrò ſe obtulerit in mortẽ, precioſumq; ſanguinẽ, iuuenile ac elegãs corpus, & quicquid demũ habuit, tam largè expoſuerit, quò nos dãnatos redimeret peccatores? Eñuerò nulla coact⁹ vi, ſed ſpõte ſua, ad locũ ꝓditori ſuo cognitũ ãcceſſit, vt ab eo poſſet facili⁹ inueniri. Vide hîc modò, ô fidelis anima, & inſpice hũc ſtrenuum Dauid, Deũ ac Dñm tuũ, quàm ardeat, quàm vehemẽter deſideret inire certamẽ, & ponere animã ſuã pro populo ſuo & domo Iſrael. Vide obſecro, vt amore aĩatus, primus ad locũ certaminis ꝓ te dimicaturus accedat. Certè & antequã hoſtes aduẽtarẽt, cũcta ſua mẽbra exercitauit ad pugnã. Et q̃a non niſi hũilitate, charitate, orãdo & ſuſtinẽdo certare ſtatuerat, priuſquàm inuidi illi cruẽtas man⁹ ſuas in eũ inijcerẽt, tñ in ſe cruciatũ vltrò recepit, vt huic null⁹ poſſit dolor æquiparari.

De ingenti mœrore & anguſtia, quam Chriſtus pertulit in horto ob impẽdentem paſſionem. Cap. VII.



VBi iam in hortum Chriſtus venerat, cœpit contriſtari & mœſtus eſſe, pauere etiam & tædere: atq; ex doloris interni vehementia extrinſec⁹ membris omnibus miſerabiliter contremuit. Et hanc ipſam triſtitiam, infirmitatem & perturbationem corporis ſui non erubuit confiteri diſcipulis ſuis, dicens: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Eamus nunc & vi-

& videamus,quænam ſit tanti cauſa doloris. Et quidem multas ob rationes CHRISTVS ita contriſtat⁹ eſt: ſed nos hic duas tantùm attingemus, quę nos vehementiùs ad compaſſionem pariter & amorem accendant. Prima ratio noſtra fuére grauia multipliciaq́; peccata, obſtinata malitia, ingens ingratitudo, & ꝙ iam omnis eramus diuini timoris expertes. Ob iſta ſic doluit pius IESVS. Enimuerò & legimus,& experientia probatum eſt,ſi quem Deus permitteret videre peccata ſua, ſicut ipſe ea videt,prę dolore mox rumpẽdum eſſe cor illius, aut eum ſenſibus deſtituendũ, vbi aſpiceret quanta iniuria, contemptu, vilipenſione affecerit creatorem ac redemptorem, Deum ac DOminum ſuum,& quàm turpiter, quàm indignè ſpecioſam ac nobilem deformârit animam ſuam. Et certè Chriſtus omnia mundi peccata in ſe receperat, tantumq́; pro illis vltrò ſibi aſſumpſit dolorem cordis,ac ſi ipſe ea perpetraſſet. Et quia per diuinam cunctaq́; perſpicientem ſapiẽtiam ſuam vniuerſa,maximè abominanda, quæ vnquam facta ſunt & deinceps fient,peccata cernebat, ſimul aſpiciens contemptum & iniuriam,quæ per hæc cœleſti patri ſuo erant irroganda: quis iam vlla poſſit ratione compræhendere,quantũ hinc mœrorem doloremq́; perſenſerit? Semper enim cum vniuerſis viribus ſuis ad honorem Patris promouendum ferebatur,nec aliquid aliud ſitiebat,niſi honorem patris & ſalutem animarum. Apud Iudæos quidem mos erat,vt ſi Dei blaſphemiam aut iniuriam audiſſent, in ſignum doloris veſtimenta ſcinderent,vti hoc facto, Dei ſe honorem quærere demonſtrarent. Quòd ſi ficti illi & hypocritæ Iudæi id fecerunt, quantum putamus doluiſſe Chriſtum verum Dei filiũ, vbi omnem iniuriam & contemptum vidit, qui indies cæleſti pa-

ſti patri infertur?vti iam, proh dolor, quotidie ſatis vi-
dere licet,quàm nihili ducant homines Deum exitiali-
bus etiam peccatis offendere. Hac igitur de cauſa tan-
tum Chriſtus dolorem & mœrorem ſuſcepit, quãtum
ſalua vita ferre potuit. Neq; enim,vt Iudæi,veſtimenta
ſcidit,in argumentum doloris ſui quo mordebatur:ſed
omne perrupit corpus ſuum, ita vt ſudor ſanguineus
ex cunctis membris illius præ nimia anguſtia & tremo-
re,velut humor ex vua fortiter preſſa erumperet. Et vt
oſtenderet nobis mœrorem hunc interiores abſumere
medullas animæ ſuæ, mortis correptus angoribus, di-
xit:Triſtis eſt vſq; ad mortẽ anima mea. De Phinees Ele
azari filio in Biblijs legimus, vltum eum eſſe iniuriam
Dei.Cùm enim vidiſſet quendam ex populo Iſraelitico
peccare cum fœmina Moabitide,furore ſuccenſus,am-
bos confodit, eaq; de cauſa dilectus eſt à Deo. Moſes
item Dei contumeliam vltus eſt,ob adoratum vitulum
aliquot millibus trucidatis: quo facto,placatus eſt DO-
MINUS. Quantam igitur Dei filius IESVS Chriſtus vin-
dictam fecit,qui ſemper tam ardẽter ſitiebat iuſtitiam,
tantoq; ſtudio in hoc incumbebat, vt augeret gloriam
patris,auerteretq; & impediret, quicquid erat contra-
rium voluntati illius, cùm non vnũ tantùm peccatum,
ſed toti⁹ mũdi videret ſcelera?Quis capere poſſit, quan
to tunc omnia illius interiora dolore concuſſa ſint,
quàm omnia illius membra ob ardentem iuſtitiæ ſitim
contremuerint,quàm deniq; totus ad vindicandam in-
iuriam patris ſui cõmotus ſit? Attamẽ in hac ira ſua re-
cordatus eſt miſericordiæ ſuæ.Neq; enim veritate tan-
tùm, ſed & gratia & miſericordia plenus eſt. Ideoq; di-
xit ad patrem:Pater mi,tu ſcis ꝙ ſemper te dilexerim,&
gratiſſimam fecerim voluntatem tuam: tu quoq; vides
iuſtum

iuſtum cor meum, quantoperē iuſtitiā exequi ſitiam, & vlciſci iniuriā tuam, tibi ab Adam & illius poſteritate il latā: ſed quia mihi proprium eſt miſereri, & natura mea bonitas eſt: nec veni vlciſci, ſed conciliare: non percutere, ſed ſanare: non occidere, ſed redimere: neq; tamen peccatū Adæ inultū abire poteſt, obſecro te pater cæleſtis, vt ipſum in me vindices. Ego enim omnia illius peccata in me recipio. Si hęc iræ tempeſtas propter me orta eſt, mitte me in amarū rubrū mare amariſſimæ paſſionis, fac me abſorberi & immergi iu abyſſum ignominioſiſſimæ mortis, vt & ceſſet ira tua, & hominis debitum iuſtè diſſoluatur. Atq; ita omnia mundi peccata in ſe agnus innocens recepit, tantamq; in ſe vltionē exercuit, quantam iuſtitia exigere videbatur: tātum aſſumpſit cruciatum, quantum potuit ferre ſalua vita naturali. O ineffabilis bonitas Chriſti IESV. O amor incompræhenſibilis. Omnia noſtra peccata ferre voluit, qui ſolus erat abſq; peccato. Gaudium cęli propter nos ad mortem vſq; mœrore afficitur: quodq; nos voluptate deliquimus, ipſe lœtalibus voluit cruciatibus expiare. Et quia ipſe ſplendor paternæ gloriæ, & Dei ſapientia eſt, in quo voluntas patris velut in puriſſimo ſpeculo ſemper relucet, ideoq; perſpicuè agnouit, quibus operibus & exercitijs pater placandus erat, quoq; precio noſtrum ſolueret debitum, puta, per acerbum dolorem, preces humiles, aſperam pœnitentiam, & tolerantiā paſſionū afflictionumq;: ſimulq; cunctis hanc præbuit inſtitutionem & doctrinā, vt hiſce ſtudeāt patrem placare operibus, vbi in peccata ceciderint. Atq; ea de cauſa primus ipſe id facere voluit. Enimuerò tātum ſibi aſſumpſit dolorem & mœſtitiam, quæ totius mundi peccatis præponderat: quæq; non ſolùm vires ſui corporis

poris oẽs excederet, ſed etiã ad mortẽ vſq; angeret animã ſuã. Deinde etiã in faciẽ ꝓnus cadẽs in terrã, hũiliter, feruẽter, lõganimiter precatus eſt, fleuitq; amariſſimè nõ aquam tantũ, ſed & ſanguineas lachrymas: idq; abũdè ſatìs, ita vt guttæ ſanguinis vbertim in terrã defluerẽt: & quidẽ ex om̃i corpore & mẽbris om̃ibus, vt ſic cũcti illius artus cõmunem mœrorẽ & triſtia velut funera celebrarẽt ſup peccatis & condẽnatione generis humani, & re ipſa oſtenderẽt, qua cõpaſſione moti, quo eſſent amore accenſi, quàm deniq; cũcti parati forẽt pati ꝓ noſtra cauſa, quãdo nec tãtiſper ſui afflictionẽ differre poterãt, donec ab hoſtibus torquerent: ſed charitate inflãmati ipſos præuenerũt, atq; inter ſe pugnare, tremere, & ſanguinẽ fũdere cœperũt, tãquã mo ras ab hoſtibus paterẽtur. Quis iam tã lapidei erit cordis, vt hoc ęſtuantiſſimo Chriſti amore nõ accẽdatur? quis ita ingratus, vt non cum omnibus membris ſuis conuertat ſe ad ſaluatorẽ ſuũ, quem tam ſtudioſè laborantem, tam cruciabiliter in opere ſalutis noſtræ patientem conſpicit? Quis tam peruerſi cordis, tam amore frigidus eſſe poterit, vt non pro modulo virium ſuarum huic adnitatur amori vicem amoris rependere? reddatq; dolorem pro dolore, precẽ pro prece, pro lachrymis lachrymas, reſignationem pro reſignatione, oblationem pro oblatione, pro cruciatu cruciatum, pro ſanguine ſanguinem, pro morte mortem, dilectionem denique pro ardentiſſima charitatẽ? O quid amanti & gratæ animæ delectabilius eſſe queat in hac vita, quàm vt amatori ſuo vel guttulam vnam refundat, pro ipſius amariſſimo calice, quem ipſe pro illius amore & ſalute ſic totum exhauſit vſque ad fundum? O cuius capiat cor, quid compaſsionis,

quid

quid mœroris Christus persenserit, quãdo in speculo diuinæ prouidentiæ suæ miserrimam illam mẽbrorum & creaturarum suarum deformitatem & infelicitatem perspexit, quas ipse in tanta puritate, nobilitate, sanctitate & gloria creârat, vbi attendit quid perdideramus, & quid eramus meriti? Heu quàm tunc cuncta illius viscera compassione sunt mota? Planè sicut aliquis benignissimus parens mortem dolet vnigeniti sui, sic Christus IESVS doluit miseriam & infelicitatem nostram. O quis iam sine compunctione, sine lachrymis cõtemplari poterit amabilem Ioseph nostrum singulos amplexantem & osculantem fratres suos, plorantem item super singulos, consolantem & peccata eis remittẽtem, immo ea omnia in se recipientem, atq; in seipso cũ dolore punientem ipsorum delicta, & errata deniq; singulorum suam ducere culpam? O quantoperè agnus innocens patrem nobis recõciliare laborauit. Nimirum sicut mater ingenti cum dolore & tristitia infantem edit in hunc mundum, ita Christus cum tormento & cruciatu intolerabili regenerauit nos in vitam æternam. O anima mea, & vos omnes qui diligitis Deum, venite: sequamur modò afflicto corde & intima deuotione, cũ lachrymis & compassione mentis Christum IESVM in hortum: contemplemur oculis cordis IESVM, id est, saluatorem nostrum, agnum sine macula, vti hic portârit om̃ia peccata nostra: quàm grauiter solus torcular calcauerit, vt instar vuæ diligenter expressæ in passionis torculari expressus sit, fundens nobis largiter atq; bibendum porrigens vinum rubeum preciosi sanguinis sui, vt nos suo faceret amore ebrios. Conspiciamus, quæso, vt angelorum gloria ad mortem vsq; tristatus sit, quo nos ad æternam proueheret lætitiam. Vt enim

nos

nos ab inferorũ eriperet cruciatibus, pœnas oẽs, quas nos merueramus, ipse in se sustinuit: & potens ille dominus, ad cuius aspectum contremiscunt angeli, cuiq; omne curuatur genu, non vt Deus apparuit, sed vt pauperrimus, abiectissimus, desolatissimus, quem mundus habuerit, homo. En iacet vultu terræ affixus in multa spiritus angustia, sanguineo perfusus sudore, derelictus & à patre & ab hominibus vniuersis. Iacet, inquam, & orat, non vt Deus, non vt iustus quispiam, sed vt homo publicè flagitiosus, vt immanis peccator, tanquam indignus sit qui à patre audiatur, aut certè tanquam erubescat leuare in cælum oculos suos. Planè vt proiectus à Deo & inimicus Dei habitus est, vt nos qui inimici eramus, amici & electi filij Dei efficeremur. Scriptum est, horrendum esse incidere in manus Dei omnipotentis: & ecce dulcis IESVS propter nos sponte illi sese tradidit, libenter permittens, vt omnis ira, vindicta, & castigatio DEI Patris, quam nos meriti eramus, in se deuolueretur. Itaque tam inhumaniter se flagellari, corripi, cædi, vulnerari, & acerbissima deniq; ac ignominiosissima morte affici passus est. O qualis hæc resignatio? quæ sui oblatio? quis hic amor est? Iam discipuli somno premebant, & ipse solus mansit peruigil, orans & laborans, ac instar pij fidelisq; pastoris, solicitè curam gerens ouium suarum. Et quidem ter orauit, antequam consolationem reciperet. Obsecro, tantus hic dolor, tanta fides, tam intemperans amor tangat corda nostra. Nos enim, nos, inquam, nostris peccatis hunc ei dolorem & crucem inflximus. O, nos tam pro nihilo ducimus Deum gloriæ offendere: & ecce quanto sudore, quanto labore, quanto dolore constat Christo, vt nobis patrem re-

conciliare queat? Certè tam charo nos precio redimere cogebatur. Condoleamus, oro, saluatori nostro tam nimis afflicto & dolenti: simul cum ipso oremus, vigilemus, & patiamur. Faciamus & nos aliquid salutis nostræ gratia: quandoquidem videmus, quàm studiosè CHRISTVS IESVS cum vniuersis membris & omni facultate sua circa nos occupatur. Quòd si sanguineas fundere lachrymas non possumus, saltem aquam stillent oculi nostri. Si cunctis membris plorare cum Christo nequimus, ad minus oculi nostri lachrymentur. Quòd si & ita duri sumus, adeoque lachrymarum vena in nobis obstructa est, vt nec oculis flere posimus, saltem corde & desiderio ploremus: corruamus in facies nostras ante Christum, & dicamus ei:

Oratio & oblatio pro peccatis.

Cap. VIII.



O Deus benignisśime, miserere mei. O rex gloriæ, propicius esto mihi peccatori: per ingenitam bonitatem tuam ignosce mihi, quòd vnquam à rectitudine sanctorum mandatorum tuorum auerti cor meum, sequens prauam voluntatem meam ad peccata me pertrahentem, & abijciens ac deserens sanctam voluntatem tuam, me ad virtutum studia inuitantem. Et quomodo ò Deus meus, tam corde cæcus esse possum, vt me vel ad momentum auertam à te summo bono, vnde mihi salus omnis & bona cuncta proueniunt, & ad terrena, caduca, labentia me conuertam, ex quibus non nisi damna, perditio & omnis miseria ad me redit? O quomodo mihi vllis alijs occupari

ri libet, præterquàm immenſorum, quæ mihi præſtitiſti, cómemoratione beneficiorum tuorum: vt vlla alia in re ſolatium aut animi recreationem quærere iuuat, quàm in ſacratiſsima acerbiſsimaq; paſsione tua, & in dulciſsimis ac verè mellifluis vulneribus tuis? Aut quî tandem aliud curare poſſum, quàm vt tibi placeã, tuam exequar gratiſsimã voluntatem, te toto corde diligam, & pro modulo meo vel aliquantulam reddam vicem laboribus, pœnis, & ſuper omnia ineffabili charitati tuę, quam mihi impẽdiſti? O pijſsime Dñe, quid vltrà facere mihi potuiſti, quàm feciſti? Quæ pijſsimum cor tuum, o Ieſu benigniſsime, charitas vicit, vt teipſum tã vltro offerres in mortem pro peccatis meis? vtq; adeò ſitires potare calicẽ acerbiſsimę paſsionis, vt antequàm accederent ad te hoſtes tui, ipſe tibi graue nimis crucẽ imponeres, nec ſolùm ires obuiã hoſtibus tuis, ſed etiam ad mortem vſq; teipſum excruciares, priuſquam illi te contingerẽt: & longè antè quàm illi externã tibi inferrent mortẽ, ipſe tibi internã per grauiſsimũ mœrorem infligeres? Adeò nanq; feruebat in te ſitis operandi ſalutem noſtram, vt in teipſo perficeres quicquid tibi erat poſsibile: ſolũq; hoc faciendũ relinqueres inimicis tuis, quod ipſe in te exequi nõ poteras. Ah Dñe De⁹ me⁹, en ipſa quoq; vita indignus ſum, eo ꝙ ipſe tibi hunc quàm acerbiſsimũ inuſsi dolorẽ, quãdo nõ veritus ſum ꝓ momentanea ꝓrſusq; vili delectatione cõmittere, quod tu expiare ſanguine tuo, & luere morte deberes. O quàm grauia ſunt peccata mea, quæ talem depoſcebant ſatisfactionem, & à tam digna perſona explendam. O amantiſsime Pater, quinam ferre potuit paternum cor tuum, vt vnicũ tibiq; gratiſsimũ filiũ tuũ proſtratum in faciem, obnixè rogantem, & præ nimia interna

angustia etiam sanguinem sudantē non exaudires? Cur paterna viscera tua non sunt mota super dilecto filio tuo, vt transferres ab eo amarissimum calicem, pro quo tam humiliter precabatur? Quid est homo, ò pater misericordiarum, quòd sic amas eum, vt pro vilissimis peccatoribus, qui te semper offenderunt, & iniuria ac contumelia affecerunt; Iesum dares obedientissimum filium tuum? Ergóne plus illo nos amas? Vt nos viueremus, ipsum mori oportuit: vt nos exhilararemur, ipse tristatus est: vt nos sanaremur, ipse vulneratus est: vt nos mundaremur, ipse fudit preciosum sanguinem suum. Semper quæsiuit honorem tuum: quod placitum erat in oculis tuis, id sedulò peregit: cunctas denique virtutes perfectissimè semper & vbique modis omnibus expressit: Cur ergo in illum tam immitis es? Itáne pro damnato illum traditurus es homine, qui tibi semper rebellis fuit? Et vnde hoc iste de te meritus est? aut quidnam præuidisti in homine, vt adeò eum diligas, tam feruenter ames, tam ei fidelis sis? Enimuerò thesaurum preciosissimum, & quicquid summum atque præcipuum præstare potuit paternum cor tuum, pro ipso dedisti redimendo, IESVM vtique dilectum filium tuum, verbum cordis tui, quo enuncias nobis intentionem mentis tuæ, per quem declaras nobis amorem tuum, quo nos tam paternè ab initio dilexisti. O quomodo non absorbet & liquescere nos facit in momento feruens hic amor tuus, dum attendimus, videre te gemitus exulum in terra, & audire clamorem eorum, qui captiui detinentur in inferno: & tamen relinquere vnicum tuum in angustijs mortis desudantem, vultu in terram defixo deprecantem, humum ipsam sanguineis lachrymis irrigan-

Irrigantem, ac ſi nihil ad te pertineret? O Pater dulciſsime, qua de cauſa aut propter quem reliquiſti eum? Attende, quæſo, pijſsime Pater, dolorem hunc cordis ſui, reſpice miſerabiles tremores ipſius, aſcendant acerbi gemitus illius in cor tuum: moueat te ſudor eius ſanguineus toto è corpore manans. Vide vt ad terram humiliatus eſt: exaudi tandem feruidas preces eius, quandoquidem cuncta illius membra plorant & clamant ad te: da illi deſiderium cordis ſui, quando voluntate penitus reſignata, totum ſe ad te conuertit, & in vera dilectione fundit preces ſuas: nec quærit commodum ſuum, ſed ſalutem fratrum ſuorum. Non dolet vtique pro peccatis ſuis, ſed pro ſceleribus meis: non ſua deplorat vitia, ſed luget mea. non vel ſemel vnquam peccauit tibi, ſed ego ego multipliciter te offendi. O clementiſsime pater, per amorem & ſupplices preces dilecti filij tui, ignoſce erratis peccatoris famuli tui. Suſcipe digniſsimum ſacrificium vnigeniti filij tui, & obliuiſcere iniuriam nequam ſerui tui. Multo enim plura ille ſoluit tibi, quàm ſit debitum meum. O ſi malitiam meam, & illius bonitatem, mea vitia & merita acerbiſsimæ paſsionis eius ſimul librare velles, nimirum longè hæc illis eſſent grauiora. Quod enim tam graue ſcelus eſſe queat, quod talis triſtitia, talis afflictio, obedientia tanta, humilitas tanta, tam inuicta patientia, & præ omnibus tam ineffabilis amor expiare nō poſsit? Quod tam enorme ſit crimen, quod feruens ille & cruentus illius ſudor non diluat? Quod tam flagitioſum ſcelus, cui amariſsima CHRISTI mors non præponderet? O cæleſtis pater, en offero tibi ſaluatorem & redemptorem meum IESVM Chriſtum, dilectiſsimum filium tu-

um cum deuotione magna & gratitudine multa in vnione amoris illius, in quo illum ex paterno corde tuo ad me misisti, vt & meam susciperet naturam, & me ab ęterna morte liberaret. En offero tibi ineffabilem hunc mœrorem, & incomprænhensibilem angustiam illius, quam hic sustinuit, tibi soli satis notam, pro omnibus peccatis meis, & pro dolore ac contritione quam me sentire iure oporteret. Offero, inquã, tibi sanguineũ sudoré illi⁹ pro lachrymis quas nõ habeo, quas præ cordis duritia fundere nõ possum. Offero etiã tibi humilimas ignitissimasq; preces eius pro oĩmi tepore, ignauia & negligentia mea. Offero deniq; tibi omnes grauissimos labores, exercitia virtutũ, rigidam & asperam vitam, & quicquid demum in humana natura operat⁹ est, & cruciatus omnes acerbissimos, quos in passione sua perpessus est vnà cum omni laude spirituum supernorum & meritis sanctorum omnium in sacrificium dignum ad æternum honorem & gloriam tuam pro vniuersis peccatis meis, quibus vnquam te offendi, & virtutibus quas facere neglexi: necnõ pro viuis & defunctis omnibus, pro quibus tu Deus meus rogari vis, & ego rogare sum astrictus, vt des singulis per dilectum filium tuum, quod eis noueris esse necessarium ad fideliter seruiendum tibi in eo statu, ad quem sunt tua misericordissima pietate vocati. Altera causa doloris CHRISTI fuit, quòd præuidebat horribiles ac immanes cruciatus omnes, quos iam iamque perpessurus erat, idque tam perfectè, ac si iam præsentes sensisset. Et quia re vera homo erat instar aliorum passibilis, tenera ac nobilis complexio eius, suprà quàm vllus capiat humanus intellectus, hinc vehementer exhorruit, ita vt extrinsecùs membris omnibus contremi-

sceret,

sceret,& intrinsecùs ad mortem vsque tristaretur. Iam enim susceperat damnatum redimere hominem,& vniuersum illius soluere debitum: ideoq; pater cælestis vt iustus iudex, exactam cum illo inijt rationem,aperiens illi antiquum & ingentem rationarium codicem,debita mortalium omnium continentem, in quo perspicuè vniuersa vidit mundi peccata: simul exhibens illi antiquum peccati chirographum, necnon proponens illi ob oculos precium incomparabile, & ingentem summam, qua hæc erant debita exoluenda: ita vt tum oẽm dulcis IESVS passionem suam æquè apertè inspiceret, vt quando eam patiebatur. O quis tunc mœror, quæ angustia, quis tremor pijssimum cor CHRISTI & cuncta illius membra corripuit? Notandum hic venit,saluatorem nostrũ Christum IESVM semper cum spiritu & vniuersis viribus suis fuisse erectum atq; extẽsum ad obsequiũ & honorẽ patris sui. Spiritus nanq; diuinus naturã illius cum viribus eiusdẽ suauiter complexus erat,reddens eas subditas legi & scripturis omnibus quę de ipso erant,vt perficerent eas iuxta gratissimam patris volũtatem.Ideoq; corpus & animã & quicquid habebat,obedienter obtulit in manus omnipotentis patris sui,optans vt cuncta in se perficerentur, quæ ab æterna sapientia Dei & cõsilio spiritussancti decreta & præfinita erant. Et hic quidem in hoc spiritu pace simul & quiete fruebatur, eo ꝙ simpliciter sese resignârat DEO Patri absque vlla huius vel illius electione. At verò deorsum respiciens ad teneritudinem complexionis suę,& tormentorum iam iamque impendentium immanitatem, ad mortem vsque tristabatur: tantumq; hic laboris ferebat & certaminis, vt nullus id capiat intellect⁹, adeò vt ꝑ nimia interna pressura extrin-

ſecùs totus contremiſceret. Enimuerò ſecundum ſpiritum mori deſiderabat: at caro tota exhorruit ad mortis acerbitatem. Spiritus quidem vnitus & ſubditus DEO & in pace erat: ſed ſenſualitas & natura ſenſitiua omnino imbiberat imagines amaritudinum paſsionis imminentis, eratque turbata & anxia ſupra modum. Itaque tantam hic luctam ſuſtinuit, tantaque vi naturam ſenſitiuam in horribiles hos cruciatus conſentire coegit, vt præ nimio labore cruentus ſudor ex omnibus illius membris erumperet. Etenim ob orationis feruorem, & metum ac horrorem mortis, ſanguis eius ad cor confluxerat. Tum verò amor validus metum omnem expellens, necnon & ardens deſiderium paternam exequendi voluntatem, nosque redimendi, ceu malleus quidam aut vis ingens accedens, vicit timorem hunc & ſenſualitatem: ſanguinemque qui iam incaluerat, fortiter expulit, ita vt ex ſubita violentia vnà cum alio ſudore etiam ſanguis ex poris omnibus nimio labore patefactis abundè erumperet ac emanaret. O quis doloris huius magnitudinem & acerbitatem capere queat? O quantis anguſtijs concutiebatur dulciſsimum cor Saluatoris, quod nimirum tunc velut inter duo præla, timorem ſcilicet & amorem, grauiſsimè cóprimebatur, timore quidem infernè, amore autem supernè comprimente? Et licet fortis eſſet timor, nihilo minùs ab ingenti amore penitus eiectus eſt. Sed quos cruciatus, quas incópræhenſibiles pœnas in hoc torculari Chriſtus ſuſtinuit? O quátoperè rationalis eius natura portioni ſenſitiuę cópaſſa eſt, cùm hâc adeò premi & opprimi videret? Quã fideliter ex ingéti cópaſsione tanquã aduocata pro natura ſenſitiua obſecrabat: Pater, inquiens, ſi poſsibile eſt, tranſeat à me

calix

calix iste: rursumq; tanquã optima conciliatrix, dicens cum spiritu: Pater mi, si non potest hic calix trãsire nisi bibam illum, fiat volũtas tua. tanquam diceret: Iam explicuisti mihi grande debitum humani generis, & quanto illud precio sit redimendum: à quo certè tenera natura mea, suprà quàm vllus capiat intellectus, tota abhorret, pauet & cõtremiscit: attamen desiderium quod habeo, implendi voluntatem tuam & hominem redimendi, prorsus superat me. Itaque accipio conditionem, & ratum habeo quod exigis: & ecce roseus hic sanguis meus, quem modò effudi, arrhaboni sit: atque eius generis pecunia reliquum omne debitum exoluam. O incompræhensibilis charitas Christi IESV. Quem non amor hic feruentissimus accendat? Quis fructum, vtilitatem, salutem, & sempiterna bona cogitare sufficiat, quæ nobis ex hoc verbo maximè salutifero nata sunt, puta, Fiat volũtas tua? Nimirum istud omnium est nobis saluberrimum verbum, quod vnquam dictum sit: quandoquidẽ ipso filius Dei nos à patre suo æterno mercatus est, ita vt iam indè ab huius prolatione verbi, celestis pater antiquas posuerit inimicitias, omnemq; iram suam mutârit in misericordiam, recipiẽs nos in gratiam, adeò vt iam simus filij Dei & cohæredes Christi regni cælorũ, qui antea eramus iræ filij & hospites tenebrarũ. O quis abyssum capiat amoris huius, ex quo CHRISTVS hoc protulit verbum? Iam quidem cruciatus omes sibi imminentes ad leuissimũ vsque ictum præuidebat: videbat etiã quàm grauiter, quàm cruciabiliter eos passurus erat: sed & nostrã aspiciebat duritiã & nimiã ingratitudinẽ, quodq; in tot hominibus preciosus sanguis suus tam nullũ consequeretur effectum, nullum faceret fructum: at nihilo minùs tãta erga nos illius erat charitas,

vt vel millies potiùs se crucifigi pateretur, quàm quod in ipso erat, vnū saltem hominē perire permitteret. Venite iam deuoti omes, & quotquot estis bonæ voluntatis, qui in virtutibus proficere desideratis: contemplamini hic ipsum virtutum speculum, perfectionis viam: sequimini dominum vestrum, ijsdem ingredimini vestigijs, quibus vos ille præcessit: discite hic propriam abnegare voluntatem, & exequi diuinam: discite sensualitatem & vitiosas propensiões vestras, à Deo vos abstrahentes, vincere & in spiritus redigere seruitutem, vt iuxta Pauli sententiam, sensus omnes sub freno, & ad vestram habeatis voluntatem ad obsequium Christi. Discite hic, vt vosipsos in nulla re quærere debeatis, sed honorem potiùs DEI & salutem proximorum. Denique discite hic non naturæ desiderijs, aut propriæ sapientiæ persuasione obtemperare, sed illis potiùs, quę poscit & exigit à vobis DEVS, quæcunque sint illa, in agendo, in dimittendo, in patiendo, in prosperis, in aduersis, sicut CHRISTVS non suam vtique, sed patris fecit voluntatem, quantumuìs id naturæ illius molestum esset atque contrarium, & sensualitas indè prorsus abhorreret. Id enim multo vobis vtilius est, Christum & diuinas sequi inspirationes, quàm proprium sentire & sapere, quanlibet istud grande & bonum videatur. Solus nanque qui offensus est, vobis id ignorantibus, optimè nouit, qua re placari & conciliari velit. Quicquid igitur ille exigit à vobis, id ei redditote: quòcunque vos siue ducit siue trahit, eò illum sequamini, non minùs audenter ad profunda inferni, quàm ad superna cælorum. Vt ipse vos alloquitur, sic ei respondete: quicquid iusserit, absque mora exequimini: quamcunque imposuerit crucem, æquanimiter feratis. Quāto enim illi ma-

magìs vniti estis,quantoq; vosipsos magìs exitis & abnegatis, tanto supra vos in ipsum ampliùs erigimini. Sed iam paulisper spiritalis huius informationis morsello roborati, ad Christum afflictũ reuertamur:Christum,inquam,adhuc in nostra meditatiõe tam humiliter in terra iacentem, sudore madidũ sanguineo, & feruentissimè pro nobis patrem deprecantẽ. Et nũc ò anima mea,attende eximiã nobilitatẽ & præstantiã tuã, & quãto sis empta precio. Vide quãti te fecerit vnic⁹ DEI patris,pro qua seipsum tradidit in mortẽ,pro cuius redẽptione pretiosum effudit sanguinẽ suũ. Aduerte,obsecro, quibus pœnis,quo labore sis reddita sanitati & saluti. Et tamẽ tam te vilẽ ducis,vt pro breui ac momẽtanea delectatione,pro modica re tẽporali teipsam vendas & perdas,quã Christus redemit sanguine suo. Vide quàm acerba fuerit om̃is eius passio, cuius sola memoria aquã simul & sanguinẽ eum sudare fecit. At nunc lĩquescẽtibus cordibus videamus, vt amabilis Dñs post grauẽ hũc laborẽ è terra leuauerit caput suũ,& ab oratione surrexerit. O quàm malè affecta erãt oĩa illi⁹ membra ex tremore & ingẽti angustia,quam ibi ꝑpessus fuit. Quàm inflãmata erat gratissima facies eius ex feruore oratiõis,sanguineoq; ꝑfusa sudore. Quàm oculi lachrymis intumuerãt & abundabãt. Hinc ergo discipulos alloquẽs ait:Dormite iam & reqescite. Vide hic immẽsam dñi benignitatẽ. Nõ durè eos repræhendit,sed patiẽter eorũ tulit pigritiã & infirmitatẽ. Vide etiam,vt fidus pastor vigilat & orat ꝑ ouib⁹ suis. Nimirũ feruore suo illorũ suppleuit acediã & torporẽ. O ineffabilis benignitas Christi IESV, Dñs vigilat,seruis dormiẽtibus. Et quidẽ solus certat,vt ipsi maneant illæsi. Seipsum lupis exponit,vt oues suæ euadant immunes à morsibus eorũ.

Re

Re vera in finem dilexit eos. Deinde iam excitauit eos, dicẽs: Surgite, sufficit iã. En qui me tradet, ꝓpè est. Cogita nunc ò anima mea, esse te cum CHRISTO in horto, & hæc illum tibi verba dixisse. Itaq; surge ò anima mea à somno vitiorum, & à somnio torporis ac fallaciũ oblectamentorum terræ, ab omni quoque delectatione & commodis naturæ, arreptaq́; viriliter cruce pœnitentiæ & afflictionum, sequere Christum dominum tuum: simulq́; cum ingenti compassione, deuotione & intimo amore miserabilem ac deformem conspice figuram saluatoris tui, cogitans te esse causam passiõis suæ. Expende diligenter, quanta fuerit interna animæ illius angustia ex signis externis maximè afflicti corporis eius. Iáq; pedibus illius humiliter prostrata, cum tanto dolore & compassiõe cordis, quantam à Deó consequi potes, & cum feruentibus lachrymis grauibusq́; & altis suspirijs ita precare:

Oratio pro venia & abnegatione ad filium. Cap. IX.



Misericordissime IESV, obsecro per acerbissimum dolorem, & anxium mœrorem, quo correpte[9] eras, quando ex interna contemplatione acerbissimæ passionis & ignominiosæ mortis, è proximo impendentis, ad mortem vsque tristatus fuisti, ita vt interna pressura forinsecùs tremeres, & aquam simul & sanguinem sudares. Necnon per nimiã illam angustiam, quam sentiebas in anima tua, cum in faciem prostratus, patrem attentissimè precabaris, & nudo creato amore in vera resignatiõe aduersum mortis

certa-

certabas formidinē, non attendens virium inferiorum horrorem, sed cum creato amore humanitatis tuę submittens ac subijciens te amore increato celsissimæ diuinitatis tuæ, pleno cum consensu factus obediens patri tuo vsque ad mortem crucis. In quo quidem certamine & lucta tam ingens labor, tam intolerabilis dolor te occupabat, vt sudor sanguineus ex omnibus membris tuis violenter erumperet, & vbertim manaret in terram. Per hāc, inquam, grauem tristitiam & mœstitudinem, quam hic sensisti, obsecro te pie IESV, vt verā mihi pro peccatis meis infundas contritionem, cor meū lapideum emollias ad compunctionem, accendas ad deuotionem, oculis meis tribuas lachrymarum abundantiam, vt nocte ac die plangam iniuriā & contumelias, quas tibi irrogaui, & innumera peccata, quibus offendi te DOMINE DEVS meus. Ne, quæso, retribuas mihi secundum demerita mea, sed secundum infinitam misericordiam tuam: nec intres in iudicium cum seruo tuo: sed statue, obsecro, hanc acerbissimam passionem tuam inter iudicium tuum & miseram animam meā atque peccata mea. Et quicquid merētur iniquitates meæ, excuset hoc acerbissima mors tua, diluat preciosissimus sanguis tuus. Da etiam mihi clementissime Deus, vt sic abnegem propriam voluntatem meam, adeoq; me nihili faciam, & submittam subter te dñm meum & creaturas oēs ꝓpter te, vt in fundo meo nō solū agnoscā, sed etiā sentiā & vilissimū & indignissimū me esse omniū creaturarū: sicq; voluntate sim resignatus & electionis expers, ac si nunquam mihi fuisset voluntas. O Iesu christe fortissime & inuictissime leo, qui mundum vicisti & principem eius, adeò, quæso, per potentiam tuam conforta infirmitatem meā, vt sensualitatem & rebellē ac immortificatam

natu-

naturam meam, omnesq; inordinatos ad quamlibet infra te rem mundi huius affectus penitus vincam edomemq;: perfecteq; me ac integrè auertã ab omibus quæ maculare possint cor meũ, & aliquod inter me & amorem tuum medium efficere: quò te dominum meũ tam purè, tam feruidè diligam, quàm est possibile mortali creaturę. Sed & cor meum tam iustum, rectum, purum & tuo cordi ita conforme efficias, vt inter te & me nihil distortum, nihil iniustum, nec vlla dissimilitudo inueniatur: ita vt in omni conuersatione cunctisq; operibus meis nihil quæram, nihil appetam, nihil spectem siue intendam, nisi placere tibi, te honorare, quicquid tibi placitum est exequi, te ex omni diligere corde meo: semperq; in hoc diligenter incumbã, vt amori tuo qualemcunq; dilectionis rependam vicem. Amen.

Iesus hostibus suis pergit obuiàm.

Caput X.



SCIENS deinde domnuis IESVS proditorem suum Iudam aduenisse, diabolica stipatum caterua hominum impiorum & sanguinẽ suum sitientiũ, qui ipsum tanquã latronẽ comprehendere venerant, sæui nimis, cum laternis, gladijs, fustibus & ingenti armorum strepitu, ceu agnus innocẽs, pleno cum affectu & ardenti amore benignissimè eis perrexit obuiàm, dicens: Quem quæritis? Attende nunc ò anima mea interioribus oculis tuis immensum amorem conseruatoris tui: vide quantoperè sitiat redimere te. Aspice vt

cor

cor illius velut in olla feruenti intra ipsum præ amoris ardore ebullierit. O dulcis IESV, vnicum solatium cordis mei, vbi iam est timor, qui pauló antè te inuaserat? vbi graues gemitus? vbi tremor anxius? vbi horror ingens mortis? Cum adhuc procul abessent hostes, ad mortem vsq; tristabaris, ex nimia angustia sudabas sanguinem, à patre passionem imminẽtem transferri precabaris: iam quando in oculis sunt inimici tui, instar leonum rugientes, vt rabidi canes furentes, quò fundant innocentem sanguinem tuum, & perdant animam tuam, nihil times, nihil trepidas, sed metus procul omnis abscessit. Venit proditor tuus cum turba hominum sanguinariorum, luporumq; crudelium, & illis spontè procedis obuiàm. Quid hoc aliud est, benigne IESV, nisi quòd perfecta charitas foras misit timorẽ? O quàm perfectè teipsum existi IESV pijssime? quàm benè præparasti locum cælesti patri tuo, vt gratissimum opus suum intra te iuxta desiderium suum peragere posset. Quàm nihil pepercisti tibi? Quàm ardẽter sitisti honorem patris tui? Quàm fortiter teipsum vicisti per amorem, factus obediens vsque ad mortem? O IESV dulcis amator hominum, quis amor cor tuum absorbuit, vt ad mortem ceu ad nuptias properes? hostibus perinde vt amicis procedas obuiàm? Nec expectare saltẽ poteras donec ipsi te alloquerẽtur: sed sicut salutat amicus in via, ita eos prior es allocutus, dicẽs: Quem quęritis? Nimirum IESV benignissime amoris ignis iam re vera in tua se membra demiserat, adeò medullas animæ tuæ liquefaciens & exurens, vt omnia interiora tua benedicerent Deo patri omnipotenti, cũctaq; mẽbra tua instar arcus intensa essent ad exequendã gratissimã patris voluntatem: quãdoquidẽ increatus diuinusq; amor adeò crea

creatum tuum commouit & inflammauit amorem, vt totus esses omnino propensissimus ad satisfaciendum dilectionis exactioni. Vnde iam sitibundus calicem arripuisti, quem dudum tantoperè exhorrebas: & per charitatem animatus, vt gigas imperterritus, exultasti ad currendam viam salutis nostræ. O clementissime DEVS, quem non hæc tanta charitas incendat? Quis verò ego sum, & quis es tu? vt tu Dominus dominantium, rex cæli, terræq; Imperator, pro me vili terræ vermiculo tam vltro teipsum ad mortem vsqueadeò probrosam, & in ipsas crudelissimorum hostium tuorũ manus offerres? proditorem tuum haud secùs quàm fratrem osculo exciperes? Neque enim ô fons inexhaustæ pietatis à Iuda cane illo ingratissimo te auertisti, cum non vereretur osculum petere sacri oris tui: sed ipsum dulce & amabile os tuum, in quo dolus non fuit vllus, ad spurcissimum os illius malitia abundans, suauiter applicuisti. O incompræhensibilis mansuetudo, ô admiranda benignitas, ô humilitas ineffabilis, ô immensa bonitas amicabilis Magistri in ferocem seruum suum. Planè Domine præstiterat hominem illum natum non fuisse. Ista dulcis IESV cõstãs fuit bonitas tua, q̃ qcq̃d poteras boni illi præstitisti, quo emolliri potuisset saxeum pectus illius. Sed & verbis eum amicabilib⁹ aggressus es, dicẽs: Amice, ad quid venisti? ac si diceres: Itàne de te meritus sum Iuda? Nũ peccaui in te lauãs pedes tuos? curuãs tibi genua mea? reficiẽs te corpore & sanguine meo? Amice, ad quid vẽnisti? Adeóne triginta me argenteis viliorem habes? Cur à me auersus es, qui apostolatus te titulo honoraui, in delicijs enutriui, & tanquam proprium filium meum solicitè institui? Quare me dereliquisti fontem aquæ viuæ, & coniunctus es seruis diaboli? Cur

declinauit ad auaritiam cor tuum,& me summũ ac perenne bonum reliquisti, vilissimo me precio vendẽs, qui oẽs in me habeo sapientiæ & scientię thesauros abscon ditos, cælumq́; terramq́; locupleto & impleo? Amice, ad quid venisti? Ad teipsum, queso, intrò conuertere, in teipsum paulisper descende, redi ad cor tuum, vide quò deueneris, aduerte quid feceris. Etiãnum patet tibi gratia mea: tantũ cum dolore ad me reuertere, & ego susci piam te. Quis iam vltrà lachrymas cohibere queat, tam ineffabilem Christi erga proditorem suum attendẽs benignitatem? Quis iam desperare ausit de misericordia Dei? O IESV dulcissime, si traditori, si inimico, si nequam & infideli seruo tuo tam fidelis, amicabilis, & ex animo bene affect⁹ fuisti, adeoq́; eum reuocare & seruare labo rasti, q̃d ergo charis facies amicis tuis, qui ex toto corde te quærũt, diligunt, & sitiũt? Re vera nõ es acceptor ꝑsonarũ domine: nec est voluntatis tuæ mors & ꝑditio impiorum, sed vt conuertãtur potiùs, & viuant. Om̃es nanque in corde complexus es: nec aliquem à te repellis, nisi qui per malam voluntatem & obstinationem in peccatis sponte à te recedunt. O quantum doluit suauissimo saluatori, ꝙ proprius discipulus fraudulenter osculo se traderet. Queritur hoc satìs dolẽter per prophetam, dicens: Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique. Etenim homo pacis meæ, amicus & discipulus meus, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationẽ, & vili me precio vendidit & tradidit in mortem. O Iuda, ad quid venisti? osculo filium hominis tradis? Sed iam paulisper ad te conuersa, vide quæso ò anima mea, quàm impatiens, quàm sæua & vindictæ appetens es. Vnico verbo ad iram, ad contumeliosa verba, & ad tui vltionem expe-

tendam commoueris. Certè Christus nihil dedignatus est alloqui vilissimũ proditorem suum, eumq; amicum dicere & dulciter osculari. O quoties ego ptereo proximos meos, eis loqui contemnens, taliq; dedignatione seu aspernatione mea ad odium eos inuidiamq; prouoco, sicq; animas illorum perdo, quos amicabili aspectu & suaui verbo placare, & ad charitatem cõmouere possem. Deinde Christus etiã cæteros inimicos suos amicè admodũ affatus est, dicens: Quem quæritis? Responderunt ei: IESVM Nazarenum. Dicit eis IESVS: Ego sum. Quod cum dixisset, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Hic exclamans Augustinus, dicit: Vna vox dicentis, Ego sum, tantam turbam odijs ferocem armisq; terribilẽ, sine telo vllo percussit, repulit, strauit virtute diuinitatis latentis. Deus ẽm latebat in carne. Quid iudicaturus faciet, qui iudicãdus hoc fecit? Quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit? Hæc Augustinus. Post hoc signum iterum eis surgendi fecit potestatem, & quasi à morte suscitauit, dixitq; secundò ad eos: Quem quęritis? Illi autem dixerũt: IESVM Nazarenum. Respondit IESVS: Dixi vobis, quia ego sum. Attende nũc ò anima mea, dulcissimũ hoc verbũ Saluatoris tui. Qui paulò antè verbo eos potentiæ suæ ad terrã prostrauit, eodem verbo benignè se tradit in mortem, dicens: Dixi vobis, Quia ego sum. Ac si diceret: Paratus sum implere voluntatem patris mei, & offerre meipsum hostiam viuam ad honorem & gloriam patris, pro salute hominum. Paratus sum omnia mundi peccata non portare modò, sed etiam luere pœnas quæ illis debentur, & antiquũ illud hostis maligni delere chirographũ sanguine meo, & hominem ab æterna redimere morte. Certè Põtifex vester vaticinatus est, necesse esse vt vnus moria-

moriatur homo pro populo, ne tota gens pereat. Ille ergo homo ego sum: Ego ego agnus innocēs sum, pro salute populi offerendus. Ideoq; nūc vestris me trado manibus. Sæpe quidem & capere me & occidere desiderastis, sed nondum venerat hora mea. Iam verò adest hora illa & potestas tenebrarum, cōplete iam sitim & ferocitatem vestram in me. Ego sum quem quæritis: Paratus sum ferre, quicquid in me excogitare potestis. Capite me, rapite me, ligate me, ad mortem quoque ipsam ducite me. Cæterum hos finite abire. Nulla vobis in discipulos facta potestas est: In me solum potestis desæuire. O amor ineffabilis. O verè bonus pastor. En vt in finem dilexit ouiculas suas, opponens se pro illis dentibus rapacium luporum. Quàm libenter se discerpi, dilaniari, & occidi passus est, vt illæsæ euaderent ouiculæ ipsius. Tum verò ingenti cum ferocitate ceperūt eum, & velut canes rabidi cruentos vngues in innocentem agnum crudelissimè infixerunt.


Oratio pro perfecta abnegatione & amore. Cap. XI.



IESV benignissime, vilis ego & miser peccator agnosco fateorq; ex animo, cūctis illis bñficijs, donis & charismatib9, omniq; gr̃a & amore, q̃ mihi tā extremo terrę vermiculo tā abundè & absq; modo impendisti, me prorsus esse indignū. Et maximè charitate illa, qua teipsum tā vltro cruētis hostiū tuorū manibus tradidisti,

vt mortem acerbissimam exciperes prò peccatis meis, & preciosissimũ sanguinem tuum effunderes in mei redemptionem: oroq́; te IESV bone, vt eadem charitate accendas validè cor meum, vt meipsum funditus abnegem, vilipendam, & tam tibi quàm propter te creaturis omnibus me subijciam, quo vel sic obedientiæ, resignationi & admirandæ humilitati tuæ aliqua ex parte respondeã. Sed & hanc mihi largire gratiam, adeoq́; meum accende desiderium & affectum, vt in eodem amoris ardore, quo tu teipsum pro me patri obtulisti, & ipse me vicissim totum tibi offeram, cum omni facultate mea, in hostiam viuam, ad exequendum in omnibus, & tam in agendo quàm dimittendo absque vlla electione gratissimam voluntatem tuam: ad ferendum etiam quicquid ex bonitatis tuæ permissu mihi accidere poterit, qualitercunque vel quòcunque id mihi sit euenturum: & vt fundum meum, tua fretus ope, sic ab omni proprietate, sensualitate, imaginum impressione & adhæsione, & ab omnibus denique, quæ inter te & animã meam mediũ aliquod efficere queant, expediã ac emundem, vt nudè & absque medio tibi voluntate, amore, intentione & desiderio vniri possim: funditusq́; & integrè me excutiam ac denudẽ ab omnibus, quæ infra te sunt, vt locum habeas semper liberum in me operandi, possisq́; sine vllo impedimento iucundum in me perficere opus tuum: & ego totus liber & expeditus ab omnibus, nudis brachijs amoris te amplectar, & quiescam perenniter in te, & tu in me dulcissime, pijssime, benignissime Domine Deus meus: Amen.

IESVS capitur & ligatur. Caput XII.



GE nunc porrò intimo cũ mœrore &flentib⁹oculis visum eam⁹, vbinã reliquerimus dñm nostrũ IESVM Christũ,nimirũ inter cruentas ferociũ Iudæorũ manus: agnũ videlicet innocentissimũ inter inuidas ac tetras rugientium leonum vngulas. Videamus, quæso,corde afflicto & lugubri, quàm turpiter,quàm miserè dominũ glorię canes spurcissimi tractauerint. Ipse quidẽ vt agnus mansuetissimus leuibus eos verbis blandè cõpellauit,dicẽs: Tanquã ad latronẽ existis cõprehẽdere me.Quotidie erã apud vos in tẽplo docens,& non me tenuistis. Sed hæc est hora vestra & potestas tenebrarũ.O obcæcati & impij,quid op⁹ erat, vt tã frequenti numero veniretis capere vltrò se manibus vestris,vt ouem,offerentẽ?Quid necesse erat,cũ laternis inquirere & facibus, obuiã vobis procedentẽ & vos alloquentem? Quid vobis arma proderant,cũ vno vos verbo prostrauit in terrã? Aut cur noctu quæsistis quotidiè apud vos versantẽ in tẽplo?Reuerà hęc est hora tenebrarũ.Filij,inquã,filij tenebrarũ,odio habent lucem:ideo eam extinguere cupiunt,vt in tenebris permaneant,ne mala ipsorũ opera manifestentur. Sed frustra laborant.Vt em̃ scriptura ait, Non extinguetur in nocte lucerna eius,sed clariùs fulgebit, supraq; candelabrum crucis leuabitur, vt luceat omnibus qui in sanctæ Ecclesiæ domo sunt. Tunc discipuli omnes,relicto eo solo magistro suo inter manus impias furentium Iudæorũ,aufugerũt.O quis iam cogitare sufficiat, quantam ferocitatem,nequitiam,afflictionem,contemptum & iguominiam lupi illi amabili domino irrogârunt? Quæso vel aliquantulùm crucem hanc & affli-

ctionem rimemus & imaginemur, ad excitandũ ad com passionem deuotionemq; corda nostra. Et licet ea quæ hic passus est dñs, non ita apertè ex verbis Euangelistarum perspiciatur, subtiliter tamẽ colligerẽ & elicere ea possumus ex illis Euãgelistæ verbis, vbi ait: Fecerunt in eum om̃ia q̃cunq; voluerunt. Et quis æstimare possit, quenã canes illi rabidi in agnũ innoxiũ machinati sint, q̃ fecere quicq̃d illis placuit? Si eñ sanguine & crudelitate satiari non potuerunt, cũ eum tã inhumaniter crucifixissent, preciosumq; sanguinẽ eius instar aquæ effudissent, quin adhuc lingua eũ crucifigerent, blasphemarent ac irriderẽt, mortuiq; cõfoderẽt latus: & si nec extincto quidẽ pepercere corpori, q̃d viuo fecisse credẽdi sunt? Si in ipso vitæ illi⁹ termino ferocitate exatiari nequiuerãt, quid in ipso primo impetu & furia, cũ iam ira esset feruẽtissima, eos fecisse putamus? Quæ mens capere, quod cor perscrutari possit, quàm inhumaniter benignissimũ dñm tractauerint, vtpotè tã diu quæsitũ & expectatũ ad mortẽ, cuiq; tot iam minas intulerãt? quàm tyrãnico prorsus & crudeli animo agnũ innocentẽ inuaserint iam in sua eũ habẽtes potestate, cuius tã ardẽter sanguinẽ sitierãt? Quicquid diu antè ferocitatis, malitiæ, inuidẽtiæ, & contẽptus mẽte cõceperãt, iam totũ simul in ipsum effuderũt. Quicquid veneni, acerbitatis & iræ ex multo antè tempore in in corde congestum circũtulerant fouerãtq;, cumulatim in ipsum euomuerunt. Sed iã pergamus vltrà cum ingenti cõpassione & calidis lachrymis videre, vt pius IESVS solus hic steterit inter furẽtes illos & rabidos canes, ab hoĩbus relictus vniuersis. Imaginemur, obsecro, nos p̃sentes adesse, coramq; intueri, quàm inhumaniter agnũ tractẽt mãsuetissimum. Alius quidẽ pilos capitis, alius barbæ vellebat.

Hic

Hic pectori, ille collo manus iniecit. Iste in faciem, alius in collum, atque alius in caput sanctissimũ pugnos impingebat. Quidam in amabilem illius faciem sputa congerebant, & manus benedictas durissimè colligabant. Aiunt doctores quidam, quod grauem catenam ferreã inieccrint collo illius. Iam quis explicet, quot blasphemias, quot contumelias & exprobrationes, quot fœda probrosaq́; cognomina dulcis dominus audire coactus sit? Nesciebãt planè, vt suæ in ipsum satisfacerent malitiæ, quibus probris & cruciatibus in eum desæuirent. Quãuis eñ quicquid fallaci ac tyrãnico corde cõcipere possent, in ipsum exercerẽt, nec sic tamẽ sitis eorum sanguinaria explebatur: plusq́; multo affectu & desiderio, quàm opere faciebãt. Quãto nãq; virulentus eorũ animus plus nequitiæ malitiæq́; euomebat, eo magìs ardebat fraudem fallaciamq́; moliri. Et quia dominus supinos eos deiecerat in terram, præ nimio furore ac rabie & ipsum vicissim supinum iactabant in terram, insidentesq́; pectori illius, in sacratissimam faciem & os venerandum phlegmata ingerebant: Immo, vt quorũdam doctorũ sententia est, adeò calcabant pectus eius, totq́; in os & faciẽ eius egerebãt phlegmata, vt interclusõ halitu suffocatus expirasset, nisi diuinitatis fuisset potentia conseruatus. Vide hic obiter, vt singuli penè passionis CHRISTI articuli, instar mortis acerbi fuere. Respice nunc ò anima mea oculis cordis dñm & creatorem tuũ, cuius celsitudinẽ mirãtur angeli, quàm nimium abiectus & humiliatus est propter peccata tua. Age stupens & cõtremiscens admirare mirũ hoc maximè obstupescendum. Vide & diligenter rimare, vtì altissima illa Maiestas pro te immensa vilitate sese deiecerit & quasi annihilãrit. Maximè verò expende amo-

rem illum ardentissimum, ex quo istud facere voluit: quandoquidem ille solus fuit in causa, cur fecerit. Confer, oro, sublimitatem illius cum tua vilitate: & (ni fallor) in collatione hac vires te destituent, intellectus nutabit, deficiet spiritus, & cor præ nimia admiratione cõcutietur horrore. Sed & peccati tui magnitudinem & debiti attende terribile põdus & grauitatem, quod talem exigebat solutionem, tãto indigebat redemptore, tam charum deposcebat conciliationis precium. Neque enim minori aliquo quàm ipso precioso sanguine Christi, & morte filij Dei exolui potuit. Attende etiam ò anima mea duritiam & dissolutionem tuam, ꝙ tam parum timoris habes: simulq; erubesce, ꝙ tam pro nihilo ducis peccare, & tam facilè teipsam damnationi exponere, quá Christus tam immensis cruciatibus, tãtoq; labore redemit. Deinceps contuere, vt canes illi turpissimi dñm glorię pedibus cõculcârũt. Quod nimirum per Prophetá queritur, dicens: Circundederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me. Et circũdederunt me canes multi. Supra dorsum meũ fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitaté suam. Ego autem sum vermis & nõ homo, opprobriũ hominũ & abiectio plebis. O quàm profundè deijcit se maiestas diuina, quò nos exaltaret: quàm humiliter cũctis se submisit hominibus, quo nostram expiaret superbiam, nostram inobedientiam aboleret. Vide an non verè humilis ipse vermiculus fuerit, conculcatus pedibus Iudæorum, despectus, cõsputus, occisus? Nũquã latro aut scelestus quispiá tam crudeliter & inhumaniter tractatus est aut turpiter deformatus, vt IESVS Christus filius Dei, cui nullá vnquam peccati macula adhęsit. O Iesu dulcis, amabilis Domine, quò præ nimia pressura vertã cor meum, vbi atten-

attendo, quantis in angustijs & pressuris sueris, cùm ibi tam miserabiliter iaceres inter canes illos rabidos, qui omnes vt leones famelici te agnum innocẽtem discerpere cupiebant & dilaniare, quodq́; peccata mea causa fuerint pasſionis tuæ? Quis, obsecro, tam ferreo sit pectore, aut frigido corde, quem hic amor non accendat? Cuius enim gratia nos tartareis eramus exurendi flammis, hoc Christus in se recipiens, pœnam illi debitam ex amore purisſimo pro nobis ipse perpessus est. Quò nos à potestate satanæ & mortis vinculis liberaremur, rex gloriæ captus, ligatus, & ad mortem ductus est: vtq; nos sine pœna ad cæleste perduceret regnum, pœnas nobis debitas ipse luit. Itaq; ô Deus misericordisſime, quam tibi reddemus vicem pro omni hac ineffabili gratia & amore? Multùm quidẽ hactenus mirati sumus, quòd te ad humanæ naturæ nostræ susceptionem deijcere, & in præsepi collocari voluisti: sed ista humilitas & abiectio multùm illa superat. Neq; enĩ iam homo, sed abiectus planè vermiculus effectus es. Illic quidem eras inter grata pijsſimæ matris brachia: sed hîc inter nudas iaces ferocium manus Iudæorum. Ibi Deus & homo adorabaris: hic vt latro caperis. Ibi regia tibi offerebantur munera: hic cæderis, blasphemaris, contemneris, irrideris. Expende hîc tecũ ô anima mea, quanto dolore afficiebantur sancti illi cælestesq; spiritus, cùm DOMINUM & regem suum, quem tanto in honore habebant & reuerentia, tantis in angustijs, pœnis & miserijs positum, ita humiliatum, despectum, deturpatumq́; viderent. Piè quidem imaginari possumus, in conspectu Dei patris pronos eos corruisse in facies suas, amarisſimè flendo & orando pro rege suo. Simus ergo & nos membra sensu prædita, vt compatiamur DOMI-

no nostro IESV Christo: quandoquidē dolor noster est & vulnera nostra, vnde sic ipse affligitur & cruciatur: grauiq; cum gemitu & lugubri corde procidamus in faciē ante patrē, dicentes: O pater benignissime, vide (obsecro) quātis vnicus tuus correptus angustijs, quàm immitibus est cruciatibus circunseptus. Et quomodo pijssimum cor tuum ferre potuit, vt dilectum filium tam dira pati videres, nec ei tamen ferres opem & auxilium? O Pater Pater, vt quid dereliquisti eum? cur paterna viscera tua non sunt mota compassione erga dilectum filium tuum? cur nō miseratus es lachrymas angelorum, vt patereris eos vlcisci iniurias Magistri & Regis sui? Quis te vicit amor, ò pater misericordissime? Quid est homo, quòd sic amas eum? Misereris hominum peccatorum, & deseris vnicum tuū. Vt homines apud te exaltarentur in cælis, filius tuus tam ignominiosè humiliatur in terris. Vt peccator reus & impius à morte liberaretur, sanctus vnic⁹ tuus, qui nunquam peccatum admisit, miserandum in modum ducitur ad mortem. O pater amātissime, quod est hoc opus admirabile, quod facere voluisti, vt cuncta peccata nostra vnico tuo imponeres, & in ipso vindicares, cùm ille semper sitierit honorem tuum, executus sit voluntatem tuam, quicquid gratū & placitū fuit in oculis tuis, fecerit semper? Hunc talē, inquā, tam dilectū filium tuum tam horribiliter percussisti propter scelera nostra, & totum tradidisti in manus crudeliū Iudæorū. Quid retribuā tibi ò pater celestis pro om̄i hoc amore prsus immēso & incōparabili, pro tanta fidelitate, benignitate & affectu, quæ mihi peccatori tam indigno & vili, tam ingrato & dissoluto exhibuisti? Quā gratitudinem, quid laudis & honoris tibi rependam? Vt amori huic incompræhen-

sibili

ſibili vel qualemcunq; vicem reddere potero?

Confeſsio peccatorum humilima, & oratio pro venia, ad patrem.

Cap. XIIII.



Pater om̃ipotẽs, pie & miſericors, miſer ego & vilis peccator, tanta cũ humilitate, quanta mihi poſsibile eſt, plenaq; cum fiducia erga immenſam bonitatem tuam, pedibus tuis prouolutus, cum intimo cordis dolore confiteor tibi omnia magna & grauia peccata mea, quibus in hanc vſq; horam te benignisſimum patrem meum offendi: quòd non timui execranda illa perpetrare ſcelera, quæ dilectus vnicus tuus tam cruciabiliter diluit, & tanta cum amaritudine expiauit. Confiteor etiam tibi clementiſsime pater, multam & magnam ingratitudinem meam, quòd ad hanc vſque horam tam ingratus fui & tibi, & filio tuo, pro omni illo amore, benignitate & fidelitate, quam mihi exhibuiſti: quòd tot iam annis in mea mihi malitia & peccatis tam longanimiter pepercisti, omnemq́ue iniuriam & contemptum, tibi à me per inobedientiam & maleuolentiam meam irrogata benignè tolerasti, necnon tanta cum benignitate me expectaſti ad pœnitentiam, quò poſſes quandoque obtinere cor meum ad extruendum in eo habitaculum tuum, & infundendum illi amorem tuum. Et ò quoties Domine Deus meus, pulſaſti ad oſtium cordis mei per inſpirationem tuam, beneficijs blanditus es, conſolatione allexiſti, afflictionibus cõpuliſti: & tñ repulſam paſſus

es, &

es, & ſemper dorſum tibi verti: quod ipſum tamen benignè ſuſtinuiſti. O quàm iuſtè in abyſſum me inferni dętrudere poteras, & cleměter mihi pepercisti. Mirum certè eſt, ò pater dulciſsime, non crepare præ contritionis vehementia cor meum, dum iſta recogito. Prorſus nec infernus ipſe tot pœnas habet, vt malitiam & ſcelera mea dignè corrigere poſsint. Indignus ſum vocari creatura tua, & quem terra ſuſtineat, cuiq; alimenta ſubminiſtret. Mirum eſt Domine, non eſſe vltas creaturas tuas, omniaq; ſimul elementa iniuriam & contemptũ, quę tibi per multiplices irrogaui iniquitates meas. Sed nunc fideliſsime pater, miſerere (obſecro) mei, & conuerte ad me miſerum ac deſolatum peccatoré oculos diuinæ gratiæ & clementiæ tuæ. Aperi mihi viſcera benignitatis tuæ: meq; in gratiam recipiens, ignoſce ꝙ tam diu diſtuli ad te conuerti. Pande mihi paternum pectus tuum, & infunde mihi nutrimentum & confortationem gratiæ tuæ. Quæſo Domine Deus, operare nunc velociter in me, cuius gratia mihi hucuſq; pepercisti, & ad quod ab æterno me præordinaſti. Et væ mihi infelici peccatori, ꝙ tam amabilem, tamq; pium reliqui patrem, qui nunquam mihi niſi amorem, beneficia, gratiam & fidelitatem præſtitit: quodq; cor meum, in quo templum, habitationem, & delectationem tuam habere decreueras, tibi denegaui, & multis fœdaui ſordibus, factus vas iniquitatis & antrum ſpirituum immundorum. Planè confiteor Domine, me omnium quos mundus habet, vitioſiſsimum eſſe: at nihilo minùs in immenſa confido bonitate tua. Nam & ſi ſupra numerum ſunt peccata mea, etiam miſericordiæ tuę non eſt numerus. O pater amantiſsime, ſi vis, potes vtiq; me mundare. Sana animam meã, quia peccaſſe me tibi confiteor.

fiteor. Memento pie Domine consolatorij verbi illius, quod locutus es per prophetam quendam tuum, dicés: Tu verò fornicata es cum amatoribus multis: tamé reuertere ad me, & ego te suscipiam. Nimirum pater misericordissime, multùm in hoc verbo dulcissimo confido, totoq; me corde ad te conuerto, ac si nemini preter quàm soli mihi istud dixeris, meq; per ipsum vocare volueris. Ego nanq; immunda hæc & infidelis anima sum, filius hic prodigus & inutilis, qui infeliciter me à te patre luminum, à quo bona cuncta promanant, abalienaui, ac velut ouis errās procul à te aberraui, perditis atq; destructis omnibus illis largissimis donis tuis, quę tam profusa mihi concesseras liberalitate. Reliqui te fontem aquæ viuæ, & fodi mihijpsi cisternas, consolationes externas quærendo, quæ tamen continere non valent aquas, cùm omnis temporalis caducaq; delectatio velut fumus celerrimè euanescat. Reliqui etiam te panem vitæ, & siliquas porcorum edi, sequendo appetitus sensuum, & bestialibus indulgendo affectibus. Deserui te summum, perfectissimum, perenneq; bonum, & ad terrena labentiaq; defluxi. Ideoq; verè nudus, pauper, miser & immundus effectus sum, & vt iumentum in stercoribus & sordibus meis computrui. Sed oro te pater, ne memineris contemptus & iniuriæ, quæ à me accepisti. Cogitaui nanq; vias meas & vitam meā malā, & totis virib⁹ cōuerti pedes meos in testimonia & mādata tua. Sed & reputabo oēs malè perditos annos meos in amaritudine animæ meæ: statuiq; mecum exequi voluntatem tuam, & tibi fidelis perseuerare. Quid me vis facere Domine? Neq; enim solùm iugum suaue mādatorum tuorum constanter ferre paratus sum, sed & propter amorem tui vias custodire duras, & angustam ingredi

crucis

crucis femitam, leuataq; in humeros cruce mea, sequi dilectum vnicum tuum. Et nunc pater cælestis totum me tibi offero pleno affectu cũ omni facultate mea in hostiã viuã, quicquid etiam mecum facere voles in tem pore & æternitate, paratus facere & dimittere quæuis iuxta gratissimã voluntatẽ tuam, & pati quicquid tua mihi voluerit bonitas euenire. Prorsus Domine vlciscere in me iniurias, quas imposui tibi: quandoquidem humiliter me submitto sub flagella paternæ misericordiæ tuæ. Liga, obsecro, manus & pedes meos, ne in aliquo tibi rebellis efficiar. Quanuis enim caro infirma sit & inuoluntaria, at spiritus omnino promptus est. Scio enim & verè scio, quòd non potuerunt tot mihi aduersa accidere, quin plura maioraque meritæ sint iniquitates meæ. Itaq; nõ nisi gratiam alta cordis voce peto, & vt iustitiam misericordia temperet. Sed quid retri buam tibi, ò benignissime pater, pro omnibus quæ fecisti mihi? Doce me quibus operibus, quo obsequio, quibus te muneribus placare & conciliare debeam. Iussisti quidem ne appareamus in conspectu tuo vacui. Sed quid offeram tibi, qui ipse nihil habeo? Eapropter humiliter pulso ostium diuitis filij tui, atque ex infinito & indeficiente sacratissimæ passionis eius thesauro eleemosynam peto, quam tibi offeram. Enimuerò eundem tibi offero vnicum tuum, in vnione amoris illius, quo tu illum mihi obtulisti, & ex paterno corde misisti in hunc mundum, vt humanam assumeret naturam, & mortem subiret amarissimam: simulque cuncta illius tibi merita offero, videlicet incarnationis, passionis & mortis: specialiter verò omnem illam ignominiosam afflictionem & cruciatum, quem in sui captione sustinuit: sed & voluntariam obedientiam, ineffabilem

effabilem humilitatem & patientiam, & super omnia ardentissimam illius charitatem, ex qua inimicis suis processit obuiàm, ac vltrò & amicabiliter illorum se dedidit manibus. Necnon immitissima vincula, verbera, impulsus, conculcationes, contemptus, conspuitiones, irrisiones, blasphemias, & quicquid in sui captione perpessus est, pleno affectu & multa cum gratitudine offero tibi tanquam dignum sacrificium ad supremam gloriam tuam pro cunctis peccatis & negligentijs meis. Suscipe, quæso, benignissime pater merita vnigeniti filij tui pro cunctis iniquitatibus meis. Quicquid enim ego deliqui erga iustitiam tuam, totum dilectus vnicus tuus sua passione exoluit, diluit, expiauit: & defectus meos oẽs ipse sarciuit atq; suppleuit. Et quod tantum possit esse facinus, cui talis cruciatus non impetret veniam? Quæ tam fœda macula, quam calidus CHRISTI sanguis non diluat? Quænam ita in homine radicata & inueterata malitia, quam amor tam feruidus non liquefaciat, excoquat, exurat. Vincit planè passio illius peccata omnia; diuitieq; meritorum eius tam immensæ ac infinitę sunt, vt cunctis vitijs & negligentijs ꝑponderent. Ideoq; ex his altissimis haurio riuulis, quicquid mihi deesse perspexero. Ad hæc offero tibi innocentissimam mortem eius, & quicquid in assumpta humanitate operatus est, vnà cum meritis oĩbus sanctorum omnium, & cunctis virtutum actibus, qui ad tuam gloriam à bonis oĩbus ad extremum vsq; iudicij fient diẽ: necnon & laude vniuersa atq; gratitudine, quæ in infinita seculorum secula tibi exhibebitur. Ista, inquam, oĩa, tam pleno cum affectu tibi offero, ac si ipse tibi ea exhibuissem. Omnem deniq; hanc

oblatio-

oblationem simul ad æternam gloriam tuam tibi offero pro meis, immo & omnium peccatis viuorũ & mortuorum, pro quibus preces fundere astrictus sum, & tu Deus meus rogari vis, vt tu indè in ęternum lauderis ac benedicaris, & gratiarum tibi ab omnibus reddantur actiones.

Iesus à discipulis relinquitur. Cap. XIIII.



Vm saluator noster, vtì dictum est, tam crudeliter vinctus esset, & à canib⁹ illis rabidis tã miserandũ in modũ abduceret, discipuli nimio timore perterriti, dilectum magistrum suum in fugam versi reliquerunt. Sed ò quantus eos dolor tenuit, cùm in fundum sinum sese recipientes, & ad cor reuersi, secum pensârunt quênam reliquissent, & à quo se separassent: quodq; amabilem magistrum & fidelissimum dominum suum tam infideliter deseruerant in maxima necessitate constitutum. O quàm ignita illa & penetrantia verba, quæ Christus in cœna & in via illos cõmonens dixerat, adhuc ceu viui carbones in eis lucebât ardebantq;. Quanuìs enim ab igne iam se disiunxerant, attamẽ tanquam qui iamiam ab igne venerât, prorsus calebant, & radij lucis adhuc in eorum micabant pectore. Et licet Christus per prouidam sapientiam suam parũper corporaliter ab eis discessisset, interiora nihilo minùs vestigia sua, & signa visitationis suæ, quæ sunt lachrymæ compunctionis & gemitus, in eorum cordibus reliquerat. Enimuerò qui populum suum Israeliticum in deserto seruabat, nocturnis temporibus per columnam ignis ducens eos, ne errantes in manus hostium inciderent:

rent:idem ipſe & ſanctos apoſtolos ſuos per ignei fulcimentum amoris cuſtodiuit atq; deduxit, ne in nocte illa tenebroſa penitus deuiarent,& in ſatanæ inciderent poteſtatem . Quanuis enim corporaliter eorum fuiſſet obtutibus ſubtractus,attamen ſpiritum ſuum in eorum reliquerat cordibus, per quem etiam, cum clamabant:Mane nobiſcum Domine,quoniam aduesperaſcit. O quantis in anguſtijs & preſſuris ibant, fundentes vbertim lachrymas? O quoties flentibus oculis gemebundi in cælum ſuſpiciebant? Quàm miſerabiliter pergebant in via plorantes & vlulantes, conquerentes dolorem ſuũ,manusq; cõprimentes, vt orphani & oues errãtes abſq; paſtore? Quàm fortiter ſua tutudere pectora,dicẽtes:O magiſter benigniſsime,ò dulciſsime pater, ò ſuauiſsime dñe, q nos tot dies in delicijs enutriſti, ac velut filios proprios ſolicitè cuſtodiſti,ſtudioſè rexiſti, ſapiẽter inſtituiſti, & velut cor tuũ fideliſsimè dilexiſti? Quomodo tam turpiter à te receſsimus? Quò nunc fugiemus? Quis deinceps tutabitur nos? Ah lupi rapaces iam tuas inuadent oues. Cur te deſeruimus? Cur tibi non adhæſimus? Cur non ad mortem vſq; vti dixeramus, tibi aſtitimus? Multò nobis meli⁹ erat tecum mori,quàm ſine te viuere. O quoties interim oculos retorſerunt ad magiſtrum ſuum, quem tam ferociter ad mortem duci videbant. Quoties ſecum ſtabant animi dubij,vtrúmne ad ipſum redirent,vel non? Quomodo certabant in eis amor & timor? Sed erat hæc permiſsio diuina,Deo ſic ordinãte,vt ita fieret,quo ſcripturæ implerẽtur.Ceterùm dulcis IESVS iam in medijs verſans hoſtiũ manibus, ne tum quidẽ benignitatẽ ſuam auertit ab impijs illis, curata pijſsimè abſciſſa auricula vnius ex miniſtris Iudæorum. Attamen tanta hęc eius bo-

F nitas

nitas & potentia in perfidos illos declarata, saxea illorum pectora emollire non potuit.

Iesus ad Annam ducitur. Cap. XV.


Inc iam crudelissimè ligatum ad Annam eũ duxerũt. Quis hic cogitare sufficiat, quas molestias, quas iniurias, quantã crudelitatem, quẽ deniq; contemptũ illi hac intulerint in via, quot eũ verberibus affecerint, quot in eũ blasphemias euomuerint, quoties eũ venerãda ꝓtraxerint barba, pedibus à tergo ꝓtruserint, pugnas impegerint, & in faciẽ illã angelis desiderabilẽ sua execrãda congesserint sputa: ac quantoperè demum properârint, vt eum quàm citiùs principi adducerent sacerdotum, ac deinde neci traderent? Nemo prorsus tanta cogitare potest, quin plura in illum fecerint: quandoquidem, sicuti scriptum est, fecerunt in illum quæcunque voluerunt. Attende nunc ò anima mea, quàm miserabiliter Dominus & creator tuus ab impijs illis & lasciuis nebulonibus vallatur & ducitur, haud secùs quàm latro quispiã & morti obnoxius, aut homo sceleratus. Et tamen in om̃i hac persecutione erga homines patiens, erga patrem gratissimus perseuerauit. Cogita, quæso, qualis hæc ei, quàm molesta nox fuerit. O IESV rex gloriæ, qui totum mundum verbo regis, cùm nemo possit resistere potentiæ tuæ, quàm humilis, quàm paruus, quàm infirmus, quàm despectus propter me fieri voluisti? Vbi iam sunt illa millia milliũ ꝓcidentia coram te in facies suas, teq; adorantia, benedicentia, laudantia, & sine intermissione dicentia,

tia, Sanctus, Sanctus, Sanctus? Nimirum ò amabilis Iesu hora est hæc tenebrarum, tēpus mœroris, & nox amaritudinis. Et hâc quidem tam horribilem & tristem noctem propter me spōte aggressus es. Deinde sic ligatum & deformē adduxerūt eum ad Annā. Videamus nūc, sed cū multa cōpaßione, quàm humiliter potēs ille dñs steterit illic vinctus & cōsputus, demißis oculis, virgineo suffusus pudore, amicabili aspectu coram vilißimo ac inflato peccatore, ab eodem iudicādus, cùm nunquam dolus in ore, nunquā iniustitia in opere illius inuenta sit, immo cui propterea quòd gratiæ plenus esset & veritatis, potestas omnis & omne iudicium à patre delegatum est. Et ecce sanguinarius ille pontifex, fallaciter eum percontatus est de discipulis & doctrina eius, vt ex verbis eius occasionem aliquam ipsum condēnandi subdolus caperet. Sed Christus Dei sapiētia fraudem intelligens pontificis, de discipulis quidem ea vice subticuit, cùm nec posset quicquam magnoperè laudandum tunc temporis de eis proferre: sed quod ad doctrinam suam attinebat, prudenter & sapienter illi respondit, dicēs: Ego palàm locutus sum mūdo, ego semp docui in synagoga & in tēplo, quò oēs Iudæi conueniunt. Quid me interrogas? interroga eos, qui audierūt quid locut⁹ sum ipsis: interroga ministros tuos, quos ad repræhendendum me miseras. ecce hi sciunt quę dixerim ego Hæc planè est veritas æterna, cuius tam iusta & vera verba sunt, vt testimonium capiat etiam ab inimicis. Cumq; hæc dixisset, vnus aßistens ministrorum, homo impius & perfrictæ frontis, horribilem dedit alapam IESV, dicens: Sic respondes pontifici? Excepit alapam illā benignè agnus māsuetus, nec faciem contraxit in rugas, non excanduit ad iram, non linguam laxa-

uit ad contumelias, nec manus extendit ad sui capiendam vltionem, sed mansuetè respondens, ait: Si malè locut⁹ sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? O IESV agne mansuetissime, quis nimiá benignitatem & patientiam tuam absq; lachrymis commemorare queat, ꝙ gratiosam faciẽ tuam, in quam angeli desiderãt prospicere, tam crudeliter à vilissimo scurra verberari permisisti? Et tu ò anima mea, quàm superba, quàm impatiens, aspera, torua & vindictæ appetens es, quę vno perturbaris verbo & offẽderis, nec attendis quantá iniuriá filius Dei tui causa perpessus est. Sit tibi passio illius speculum vitæ tuæ, sequere beata vestigia & conuersationem eius, disce ab eo, quia mitis est & humilis corde. Offer illi vel guttulam vnam pro ingenti ac acerbo calice, quem ad fundum vsq; potauit pro salute tua: aliquam ei per compassionẽ vicẽ redde pro labore & dolore suo: patientiá pro patientia, contemptũ pro cõtemptu: ignosce proximis tuis, sicut Deus quotidie multiplicibus ignoscit erratis tuis, quanlibet sæpè eũ offenderis, atq; ita ignoscit, vt nõ minùs te protegat, & suá exhibeat amicitiá & benignitatẽ. Contemplare oẽm Christi passionem ad vltimi vsq; spiritus exhalationem, & ne semel quidem motũ eum fuisse reperies erga hostes suos, tam immaniter eum afflictãtes, nec vllam siue in verbo, siuę in aspectu, siue in opere aspernationem præ se tulisse: quin potiùs omnem, qua eos conuertere aut emollire potuisset, benignitatem & dulcedinem in eos declarasse. Tam enim amicabilis, tam dulcis est DOMINUS, vt nesciat hostibus aliud quàm amorem & amicitiam impendere: osculatur proditorem, se capere volentem, sanat auriculam abscissam, orat pro se crucifigentibus: immo illorum ipsorum

rum peccata & dutitia, grauiori cum cruciatu afficiebant in corde, quàm pœna exterior quam sustinebat in corpore. Et nos ergo si christo placere voluerimus, omnem procul à nobis amaritudinem, rancoré, & passionum nebulas abijciam⁹ oportet, gaudeamusq; dum aliqua nobis occurrit aduersitas. Enimuerò sponsus ille suauissimus suauem quoque petit sponsam, quæ fellis expers, & ei conditione similis sit. Vnde & sponsam in Canticis columbam dicit. Secutus autem erat DOMINUM & Petrus, sed cùm imponeretur illi, ꝙ ex numero esset discipulorum Christi, ter eum negauit. Tum verò Christus misericordia motus, oculos gratiæ suæ conuertit ad Petrum. qui ad se reuersus, cogitare cœpit hæc sibi à Christo fuisse prædicta, vtpote ꝙ ante galli cantum ter eum negaturus esset: atq; ita tactus dolore cordis intrinsecùs, foras exiens extra consortium peccatorũ, per quos ad casum & culpã pertractus erat, fleuit amarè. Videam⁹ nũc hic, quãtus mœror pijssimum Christi cor inuaserit, cùm videret caput & strenuissimum discipulorum ita miserè victum: & sicut fortis ille Samson olim per fœminam robur omne perdidit, ita nunc principem apostolorum, qui verbo solebat fugare dæmones, ancillæ vnius voce territum, suum abnegasse MAGISTRUM. O quàm omnia illius viscera compassione & misericordia mota fuere ob infirmitatem & lapsum discipuli sui: & sicut indulgentissimus aliquis parens vnici mortem luget, ita Christus internam plorauit mortem discipuli ac membri sui, cuius vtique vulnus non minori eum dolore affecit, quàm si ipse illud in seipso accepisset. O quàm citò eum eripuit ex potestate satanæ, in quam lapsus erat, rursus erigens eum per præuenientem gratiam suam. Quàm celeriter re-

ſpexit eum oculis gratiæ ſuæ, permittens radios diuinæ lucis ſuæ micare in obſcurum fundum illius. Vnde factum eſt, vt Petrus ilicò ad ſe reuerſus, in ſuumque ſe fundum recipiens, culpam ſuam & agnoſceret,& acerbè lugeret: ſtatimq; ad primum gratiæ tactum,à filijs tenebrarum auerſus, ad lucem ipſum præeuntem ſeſe conuerteret. Quanuìs enim ex diuina permiſsione per infirmitatem ceciderat, attamen reſignatus erat Deo,propriamque funditus abnegârat voluntatem,& Deo ſe totum dediderat: adeoque illum & elegerat, & corde complexus erat, vt iuxta deſiderium & affectum,nihil eum poſſet ab illo ſeparare. Et quanuìs poſtea deficeret in opere, bonum tamen illius propoſitum &deſiderium erat. Sic enim ait: Domine,etiáſi omnes fuerint ſcandalum paſsi in te, teq; deſeruerint, ſed nō ego. Paratus ſum enim & in carcerem & in mortem tecum ire. Nimirum amor & ardens deſiderium animum illius vltra vires eius extulerat, adeoq; erexerat cor illius, vt humanæ obliuiſceretᷣ fragilitatis ſuæ. Cæterùm tentatio totum hoc inuertit, ita vt iam humiliter ſe infra ſe deijceret vilipēderetq;, qui iactanter ſeſe ſupra ſe erexerat: iamq; ſibi relictus diſceret,quod in feruore illo poſitus agnoſcere non potuit. Enimuerò ſeipſum Deo obtulerat, Deúq; in ſe ſinebat operari,ſed ſublimis illa ſtructura, quam Deus in ipſo moliri appetebat,erigi non poterat, niſi fundum fragile priùs detegeretur,ac deinde fundamētum altū & humile collocaret. Mox eṁ vt à Chriſto reſpectus eſt,& lumē gratiæ eius pcepit in fundo ſuo, lumē ipſum ſecutus eſt, tactuiq; & inſpirationi ſpiritus morē geſsit,faciens quod ab illo facere monebatur, videlicet auertens ſe à creaturis,& conuertens ad lucem, quam intra ſe ſentiebat,

per

per quam ad sui cognitionem perductus est, atque ita fleuit amarè. Quia enim sibijpsi confidens, animosè supra naturæ fragilitatem de se præsumpserat, Dominus eum sibijpsi reliquit, vt suam agnosceret impotentiam & infirmitatē: sicq; ilicò lapsus est. Quantùm nanq; de spiritus feruore confidimus, tantùm contrà de naturæ fragilitate timere debemus. Certè D. Petrus quàm diu cum Domino erat, nec mortē, nec hostes, nec arma extimuit. Satìs enim audenter in hostes sese iniecit, eos gladio cædens. At vbi Dominus faciem suam ab eo auertit, vnius fœminæ verbo deiectus & superatus est. Nimirum hoc est quod Dauid ait: Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. O immensa Dei bonitas, quàm benignè pius Dominus contemptum & confusionem, quam ob discipulum patiebatur, sustinuit, vt idem ille discipulus per hoc & nosse seipsum & humiliare disceret? Iam enim ita constituerat Dominus, vt fundamentum ille esset ecclesiæ: ideoque in imum fundi sui eum delabi permisit, vbi fragilitatem nilque posse suum perspicuè cognouit: ibique didicit nihil temerè de se præsumere, sed in auxilio diuino humiliter confidere, sicut scriptum est: Noli altum sapere, sed time. Ad hæc quia ita præordinârat CHRISTVS, vt murus esset Petrus & turris inexpugnabilis pro domo Israel, necessarium prorsus erat, vt in humilitatis virtute, q̄ toti⁹ structuræ & boni spiritalis fundamentū est, profundè admodū fundaret. Necesse etiā erat, vt caput ęgrè haberet, ꝓpriamq; experiret infirmitatē, quò q̄libet mēbra infirma misericorditer ferre disceret, & iā non septies tātùm, sed & septuagies septies peccantibus veniā daret; vtq; per hoc quod ipse passus

eſt, compati diſceret, & gratiam ſibi à Chriſto factam, cunctis conuerti volentibus peccatoribus impartiretur. Et quia Petrus ſeipſum Deo totũ reſignârat, corq́; illius & intentio recta & vera erant erga Deum, caſus hic non fuit illi ad damnationem, ſed medicina potiùs & profectus ad Deum: vt ſi qui ſe temerè & incautè ad ſeſe conuerterat, iam lapſus & vulneratus, ſeipſum relinquere, & ad Deum cõuertere compelleretur. Et hoc eſt quod Apoſtolus ait: Diligentibus Deũ omnia cooperantur in bonum, & aduerſa & proſpera, deliciæ & paupertas, lucrum & iactura. Qui enim ſibijpſis renunciârunt, à Deoq́; ſe agi ſinunt, illis nihil officere poteſt. Quæcunq; enim illis Deo permittente, occurrit infirmitas, cauſa & materia fit illis ſeſe humiliãdi, cõtemnendi, nihilipendendi, & ad Deum conuertendi, Deum amandi, Deo adhærendi, eiq́; fideliùs ſeruiendi, ſeipſos ſtudioſiùs obſeruandi, ac diligentiùs inuigilandi ſaluti ſuę. Quodq́ue iſtis ex defectu ipſorũ decedit in aſcenſu ad Deum & operatione, id rurſum accedit eis in deſcenſu in ſeipſos & reſignatione. Quanto nanque profundiùs deſcendimus in noſtri cognitionem, tanto altiùs ſcandimus in cognitionem Dei, in qua præcipua conſiſtit beatitudo noſtra: ſicuti puteus quo eſt infernè altior, eo eſt supernè ſublimior. Quanto nos magìs deijcimus, tãto Deum ampliùs exaltamus: quoq́; nos viliores credimus, eo magìs DEVM magnificamus. Nec poteſt quiſquam dignè honorare Deum, niſi qui verè humilis eſt: nec vllum Deo gratũ obſequium eſt, niſi quod ex humili corde proficiſcitur, nulluſq́; ita ſapit Deo, vt ex ipſo fundo humiles. Tales nanq; adeò ſeſe demiſerũt, nihilq́; effecti ſunt in oculis ſuis, vt Deus nec ſeipſo nec omnibus donis ſuis efficere poſsit, vt ſeſe

ſeſe extollant. Quo nanq; magis illuminantur, pluraq́; à Deo dona & chariſmata accipiunt, eo ſuam perſpicaciùs vilitatem agnoſcunt, ſeſeq́; indigniores ſentiunt ad percipienda quælibet dona DEI: ideoq́; mirantur dignari Deum quippiam per eos agere: tantusq́; hinc in eis excreſcit amor, reuerentia, ſtudium & delectatio erga Deum, vt neſciant quonam modo vicem aliquã ſublimi dilectioni & benignitati illius reddere queant, eiq́; ſatisfacere. Cognoſcunt etiam quòd & ipſi, & quicquid poſſunt, minùs huc ſufficiat. Vnde nimis adhuc parum eſt eis pro ipſorum deſiderio, ꝙ ſe totos dederint illi, qui ſe prior totum pro ipſis dedit: q̃quidem non ignorant, ꝙ totum hoc quod ipſi dare poſſunt, nimis impar ſit toti illi, quod ab ipſo perceperũt. Sed neque ſciunt, vt eum ſatis laudare, ſatisq́; ei gratias agere, exaltare ſatis & dignè honorare, ſe verò ſatis deſpicere ac nihiliſacere debeant. Quicquid agunt, plus facere appetunt: ſemperq́; æquè ſitiunt, æquè alacres ſunt: quandoquidem amor ipſorum ſemper plus exigit. Laudãt quidem Deum, ſed laudando deficiunt: & quia deficiunt in bono, delinquere ſe fatentur in eo quod bene faciunt. Ideoq́; repræhendunt ac deſpiciunt ſemetipſos: ſed & hic rurſum deficiunt, atque ita prorſus nihilifiunt in oculis ſuis. Porrò in hoc aſcenſu per laudem & reuerentiam ad Deum, & ad ſeipſos deſcenſu ignita exercetur charitas, rubraq́; veſtis nuptialis, pallium coccineum purpureum bis tinctum texitur. Et hæc eſt ſcala, quam vidit Iacob cælum contingere, in eaq́; & deſcendere angelos & aſcendere: & reuerà quotquot hanc aſcenſus & deſcenſus viam repererunt, iure meritoq́; angeli poſſunt appellari. Enimuerò per ingenté illam admirationem, quã ex DEI cognitione perceperunt, ardentemq́; illum

amorem ex hac cognitione nascentem, adeò in sublime conscenderunt ad Deum per affectum, vt cuncta transcenderint deseruerintq; terrena & caduca, fecerintq; côuersationé sibi in cælis, Deum illuminato contemplantes intellectu, quatenus DEVS ipse vult nosci ab eis, & eis expedit: rursumq; lumine illo, quod ex micãtibus DEI radijs acceperunt, in suum delabentes fundum, in propriamq; sese demittétes vilitatem, vbi se funditus despiciunt, & minoris quàm nihili ducũt. Cumq; iterum mundi huius sentiunt exilium, naturæ fragilitatem, corporis indigentiam, gemebundi clamitant: Heu me miserum, adhuc hic sum? dicũtq; cum Apostolo: Infelix ego homo, quis me liberabit à morte & defectibus corporis huius? O DOMINE, educ è carcere animam meam. Cupio dissolui, & esse perenniter tecum. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te DEVS. O quando oculis contemplabor, quẽ ore confiteor, corde credo, affectu sitio? Quãdo facie ad faciem videbo, quem hic non nisi per speculum in ænigmate cernere licet? Itaque lachrymę meæ & gemitus erunt mihi panes die ac nocte, & consolatio mea: despicietq; anima mea cuncta terrena solatia, donec dicatur mihi, Ecce hic est Deus tu⁹. O qui huiusmodi alis instar castæ turturis gementis sine intermissione per scalam iam dictam sursum euolant, quærentes quẽ diligit aĩa ipsorũ, cũtes gradatim de virtute in virtutem ad DEVM, certo certiùs cum Iacob DEVM videbunt scalæ summitati innixum, expansisq; brachijs excipientem sponsam suam atque dicẽtem: Veni sponsa mea, columba mea, fruere delicijs meis, quas cum labore & gemitu quæsijsti. Eiusmodi homines fidenter ascendere possunt: q̃ppe qui tã altè in humilitate fundati sunt,

ducun

ducunturq; à ſpiritu DEI, vt cadere nequeant, ſuſtentante eos manu Domini. O felices & beatos illos, qui non iuxta naturæ impulſum aut proprium iudiciũ, ſed ſecundum tractum DEI ambulant, ſinuntq; ſe obedienter duci à ſpiritu DEI, ſequentes illum quôcunque præceſſerit. Et nunc ô anima mea, quàm occupatum habes fundum, quàm diſtractum & inquietum, ita vt ſecretam DEI inſpirationem percipere nequeas? Quàm etiam rebellis & propriæ es voluntati dedita, vt toties immorigera ſis ſpiritui DEI, eiusq; iucundam impedias operationem? Diuus PETRVS vnico nutu DEI ſemel ab eo reſpectus, adeò conuerſus eſt, vt tanta cum celeritate ab omni turbatione & auerſione tam fortiter ſeſe conuerteret ad DEVM, vt is eum reciperet in gratiam, peccata remitteret, & in amore ſtabiliret. O IESV benigniſſime, quàm felices ſunt illi, quos ita reſpiciunt oculi tui, quos ſic micantibus illuſtras radijs diuinæ lucis tuæ, vt & fundum ſuum perſpicere, & vitia ſua agnoſcere queant? Quàm citò illi conuertuntur? Quàm celeriter frigida illa & dura corda emolliuntur, accẽduntur, amore liqueſcunt, & fluunt lachrymis: quæq; antea à peccatis abſtinere nõ poterant, iam corde conuerſo clamãt: Domine, quid me vis facere? Certè mirum non fuit lugere Petrum amarè, magìs autẽ mirandum eſt, non crepuiſſe præ anguſtia & tremore cor illius, cum Dominus dilecto eius fundo ſua eum peccata fecit intueri, cernereq; quantum dilecto ſuo Magiſtro contẽptum & iniuriam irrogaſſet. O qui ſic vel ſemel ſuum poſſet fundum perſpicere.

Oratio pro imitatione CHRISTI. Caput XVI.

O IESV


IESV dulcissime, qui à proprijs relictus discipulis, ab electo captus populo, à proprio apostolo proditus, vēditus & traditus es, ante Annam pontificem ignominiosè vinctus adductus, à præcipuo Apostolo trina vice negatus, & à seruo vilissimo crudeliter in faciem cęsus es: obsecro te Deus meus per sacratissimam passionem tuam, perq; contemptum omnem, quem tam voluntariè pro peccatis meis sustinuisti, vt ignoscas mihi, quicquid contra legem & rectitudinem deliqui mandatorum tuorum: atque deinceps omnem dirige vitam meam iuxta gratissimā voluntatē tuam. Da etiam mihi hanc gratiam, vt ad exemplum tuum inimicos meos verè diligam, & benefaciam eis, qui mihi iniuriam & molestiam inferunt. O vnicum solatium meum, emolli sic (obsecro) cor meum, idemq; tui amoris igne ita feruidum & mansuetum effice, vt illud pro tuo voto ac desiderio crebris afflictionū velut malleorum ictibus contundere, operariq; & efficere indè queas vas amoris pro affectu & delectatiōe cordis tui, néve ego sub his ictibus per fragililtatem deficiam, sed ad singulos quosque ictus, igneas patientiæ resignationisq; scintillas emittam. O IESV virtutis speculum, forma perfectionis, via vitæ, lucerna pedum meorum, da vt vestigijs patientiæ, humilitatis, obedientiæ, paupertatis & charitatis tuæ fideliter inhæreā, adeoq; vita mea cum tua concordet, quatenus homini mortali possibile est. O verax hominum amator, qui neminem vis perire, sed conuertere oēs & ad veritatis agnitionē illuminare, obsecro te ex intimis cordis mei, respice me oculis misericordiæ tuæ, sicut respexisti Petrum, Magdale-

gdalenam, Matthæum, pluresq́ alios, quos fortiter valde à via iniquitatis abstractos, ad singularem tuam pertraxisti dilectionem, quo radij diuinæ lucis tuæ in obscurum animę meæ fundũ lucere queant, vtì sic immensam vilitatem, vitiositatem, nihilumq́; meum perspicuè cognoscam, adeoq́; in proprijs oculis nihilifiam, & tam me profundè humiliem coram te & hominibus vniuersis, quàm & mihi possibile, & tibi gratũ ac placitum est. O diuini ardor amoris, qui tam feruenter ardes, vt nullis possis aquis extingui, cũ semper clarè fulgeas, & indeficiẽter flagres, cunctaq́; in te consumas & transformes, velut ignis hic visibilis ferrum & ligna: quecunque sine impedimento appræhendere potes, incende, obsecro, & liquefacito durum & rigidum cor meũ p æstum amoris tui, quò te intima dilectiõe complectar, inq́; fragili, sensibus dedita & corrupta natura mea, quam ipse vtiq; mihi nõ formaui, sed deformaui poti⁹, totus cõsumar, nihilq́; fiam, ac nouã quandam formã & similitudinem iuxta tuam similitudinem per admirabilem transformationem tuam induam obtineamq́;. Et quomodo tu sempiternus DEI filius per Sanctispiritus cooperationem hominis quoque filius effectus es, assumens quod non eras, & manẽs quod eras: ita & me in numerum electorum filiorum tuorum renasci facias, per depositionem veteris, carnalis, ac sensibus dediti hominis, & assumptionem noui ac deiformis, creati secundum imaginem tuam. O clauis Dauid, quæ aperis, & nemo claudit: claudis, & nemo aperit: obsera, quæso, cunctas sensuum meorum fenestras, per quas morti, diabolo, & quicquid vitiosum est, patere possit aditus ad me, domũ tuam quã decet sanctitudo: & quia complacuit tibi templum tuum facere in nobis, conserua domum tuam imma-

maculatam, vt sit domus orationis æterna, placeatq́; tibi in ea commorari: solamq́; in ea aperias portam orientalem, quam vidit Ezechiel, id est, supremam animæ meæ partem, de qua præceperas eidem prophetæ tuo, ne quis ingrederet̃ per eã, quandoquidem tu solus rex Israel hunc tibi seruare velles accessum. Ideo aũt hunc soli tibi seruas introitum, vt pateat ad ortum gratiæ tuæ, vt quando tu sol iustitiæ tenebrosæ animę meæ apparere incipis, mox coruscos lucis tuæ radios in me suscipere queam, atq; ita iuxta scripturã, obscurũ vesperè meum cum lucido manè tuo simul fiat dies vna: quiq; te cum Petro per vitiosa opera sæpenumero in nocte negaui, in die te confitear. Aperi etiam in me Deus meus venam lachrymarũ, sine vt deficiãt & tabescant prę lachrymis oculi mei ex contemplatione multiplicium vitiorum meorum & iniuriarũ, quas tibi Domino Deo meo per dissolutam & negligentem irrogaui vitam meam. Nimirum dulcissime Deus incõparabiliter nos amasti: ideoq; amoris à nobis vicem reposcis: & huic quidem exactioni tuæ cupio facere satìs, & te Deum meum ex toto corde, viribus & cogitationibus meis vicissim amare desidero. Sed ò Deus benignissime, mihiipsi in terram decidi: cor meum commaculatum est, spiritus torpet, caligat intellectus, cogitationes dispersæ sunt, & omnino mei compos non sum: quando tota familia mea pugnat cõntra me, nec quisquam est subditus mihi: quodq́; gemens tibi queror, vxor quam dedisti in adiutoriũ mihi, quam in sinu meo plus satìs in delicijs enutriui, carnem meam loquor, ipsa me persequitur, & indies cupit perdere me, instar Euæ vexans me, & offerés mihi cibum vetitum voluptatis. Quapropter ad te Deum protectorem meum confugio: illumina, quæso, inte

riores

riores oculos meos, vt nunquam consentiam in peccatũ: corrobora vires meas, vt vincere possim hostes meos, & sensus meos omnes cunctaq; membra mea subijcere spiritui meo ad seruiẽdum tibi. Munda cor meum, accende spiritum meũ, intellectũ illumina, cogitatiões collige, omnesq; vires meas vni & constringe vinculo amoris, & cõpedibus timoris tui, vt nunquã à te possim abalienari: sed semp tibi subditus, semp vnitus sim, tibi absq; defectu adhæreã, te timeã & amẽ, tibi gratias agã, te laudem & benedicam hic & in perpetuum. Amen.

IESVS ductus ad Caipham. Caput XVII.



Ehinc Annas IESVM ligatũ misit ad Caiphã, qui anni illius põtifex summus erat: apud quem conuenerant principes sacerdotum, scribæ & seniores Iudæorum, qui omnes vehementer desiderabant Christum neci tradere & innoxiũ illius sanguinem fundere: visoq; illo haud secùs exultabãt, quàm leo capta præda, quã deuorare queat. Et hæc est processio secunda Saluatoris. Sequere nunc ò anima mea sponsum tuũ: qui vt te sibi spõsam despõderet, oẽm hunc laborẽ & cruciatum perpessus est. Neq; eñ diu tecũ permansurus est. En traditur iam in man⁹ hostiũ suorũ crudeliũ, & sanguinem eius sitientiũ Iudæorũ, qui nõ cessabunt, donec eum crucis patibulo affigant. Aspice nunc speciosam eius faciẽ, eãq; imprime cordi tuo: nam post paululũ nec species illi vlla erit, neq; decor. Aduerte, quæso, lugubrẽ hanc processionem, quàm inhumaniter sæui illi canes agnum mansuetissimum duxerunt, & quod

Et-

firmiter credere possumus, vt filij diaboli, pleni inuidia & ferocitate, ita fecere, vt eis suggessit & persuasit pater eorum satanas. Et quia in Annæ domo paulisper quieuerant, viresq; resumpserant, nunc denuò benignissimum dominum in vita vexârunt, irriserunt, conspuerũtq;: necnon sæpi⁹ barba veneranda crinibusq; protraxerunt, ceciderunt, pedibus protruserunt, & humi iacentem propulerunt, & quicquid demum contumeliæ, irrisionis, molestiæ, & iniurię excogitare poterant, in ipsum abundè congesserunt. Recogitemus nunc in cordib⁹ nr̃is, quo angore correptũ erat cor dulcis Iesu, q̃ lassũ corpus, q̃ malè affecta cũcta illius mẽbra ex om̃i hoc graui cruciatu, & prępropera Iudæorũ festinatione. Neque enim in omni hac angustia & pressura vel tantillum ei dabatur spatij, quo respirare semel aut spiritum capere potuisset: ac nihilo minùs agnus innocẽs semper patiens fuit, totumq; se illorum tradidit ferocitati. Cuius iam à lachrymis cor abstineat, hunc illius amorem, humilitatẽ & patientiam attendens? Quis non compassione tangatur, & ex intimis ingemiscat cordis sui, atque in cælũ vsque se reum clamet, animaduertens se tã immaniũ causam esse dolorum domini sui? Itaque tali cum crudelitate dominum IESVM ad Caipham adduxerunt, quò principes ac præcipui Iudæorum, vt filij diaboli, ex instinctu patris sui confluxerãt. Et quia in satanæ nomine conuenerãt effundere innoxium CHRISTI sanguinem, ideo malignus ille in medio eorum erat, intus eos ad omnem crudelitatem malitiamq; instigãs. Attende nunc ò anima mea, quàm humiliter rex gloriæ manibus illic ligatis steterit, oculis demissis, miserabili ac deformi ex sputis & verberibus facie, casta verecundia, ac sitibundo affectu & desiderio acerbũ potãdi calicem

cem, & paternam exequendi voluntatem: vtq; rabidi illi cruétiq; canes frēduerint in eum, toruoq; nimis aspectu intéderint. Hoc nimirum Dominus per Prophetam queritur, dicens: Ipsi verò (terribilibus oculis) considerauerūt & inspexerūt me, aperueruntq; super me os suum sicut leo rapiens & rugiēs, & frenduerūt sup me dentibus suis: acuerunt linguas suas sicut serpétes, vt euomerent in me venena sua. Ah quis sine cordis dolore videre possit agnum innocenté ac mansuetissimū solū inter tot stare lupos longè ferocissimos, eundemq; filium Dei, ac Dominum dominantium, cuius est omne iudicium, vt à vilibus creaturis ac sceleratis peccatoribus mortis sententia damnaretur? O quàm ira feruebant sæua illorum pectora? Quàm animus eorum inuidia, & os maledictione & malitia abundabat? Quantoperè inuidia in illis rationem obcæcabat, intellectui densas offundebat tenebras, iustitiam peruertebat, veritaté extinguebat, consciétię reprimebat iudicium, religionem ac stimulos? Quàm cruenta illorum sitis virulenta eminus hauriebat machinamenta, fraudes moliebatur, falsos excitabat testes, vt agnum innoxium & iustum neci traderét. Nec tamen dulcis Dominus os suum aperuit: sed cuncta illa iniqua & impura mendacia, blasphemias & falsitates, quas in ipsum congerebant, ob honorem patris benignè patienterq; tolerauit. Non se excusare voluit, quādoquidem omnia mūdi peccata in se receperat: & quia cū iniquis crucifigi voluit, vt iniquus etiam iudicari volebat. Sed nec quicquam cunctis illis falsis accusationibus respondit, eo ꝙ ex amore ingenti hominum salutē & paternum potare calicē ardētissimè sitiebat, cum euidēter intrinsecùs tractum & vocationē patris sentiret, ad quem venire non poterat, nisi per pas-

ſionis iter. Enimuerò totum ſe patris dediderat reſignatę voluntati, eumq́; in ſe operari ſinebat, totum ſe illi inſtrumentum offerens, tacensq́;, quid ille in ſe loqueretur, auſcultabat. Nam ſecundum humanitatē aptiſſimū ſe patri inſtrumētum pbebat, ad exequēdum opus exactionemq́; illius, quēadmodum & ſuos inſtituerat diſcipulos, ne cum ante reges & præſides ſtarēt, terrerētur, nec quid reſponderēt ſoliciti eſſent: ſed potiùs patris obſeruarēt ſpiritum, qui eos doceret, & quādo & quomodo loquerētur. Deinde iam falſis teſtibus auditis, nec vlla tamē mortis cauſa in Domino reperta, turbatus eſt iniquus ille Pontifex: raptusq́; ira ex ſede ſua, ait ad Dominum: Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, ſi tu es CHRISTVS filius DEI. Audiens Dominus compellari diuinum nomen ſuum, ob reuerētiam patris, ex ſpiritu in ipſo lucēte reſpondit: Tu dicis, quia ego ſum. Veruntamē dico vobis: Amodò videbitis filium hominis ſedentē à dextris virtutis DEI, & venientē in nubibus cæli. Tunc princeps ſacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicēs: Blaſphemauit, quid adhuc egemus teſtibus? Ecce nunc audiſtis blaſphemiā: quid vobis videtur? Tūc omnes illi canes rabidi vno ore clamabant, dicentes: Reus eſt mortis: ſimulq́; vnanimiter in eum ceu leones ferociſſimi in agnum irruentes, omnes inuidiæ ſuæ laxauerunt habenas, totumq́; in eum furorem & odium ſuum abſq; vlla diſcretione compaſſioneq́; euomuerunt. Et vnus quidem ſputa in faciem, alius in caput, alius in collum pugnas ingerebat, hic crinibus, ille barba trahebat. Quidam verò ex ingenita malitia ſpecioſiſſimam illius faciem crudeliter vnguibus lacerabant. Teſtatur hoc ipſe per Prophetam, dicens: Faciē meam non auerti ab increpantibus & conſpuentibus in me. Itemq́;
Ge-

Genas meas dedi vellẽtibus. Nimirum fecerunt in eum quicquid voluerunt, nec crudelitate exatiari poterant. Immo si possibile fuisset, in ardente illa furia ipsum in nihilum redegissent. Sed necdum venerat hora eius. Mos erat Iudæis, vt si quempiam tanquam impium & reum, contumelia afficere voluissent, in faciem illius, velut DEI iniuriam vindicantes, sputa congererẽt. Idq; sæpius intemperanti quadam crudelitate faciebant, vt plerosque extinguerent & suffocarent. Ideoq; sentire nobis licet, cruciatum hunc Domini ipsa morte non fuisse minorem, eumq; in hac graui angustia extinguendum fuisse, nisi diuinitas illius ad maiora perferenda supplicia eum conseruasset. Vt enim Euangelista ait, non spuerunt tantùm, sed etiam expuerunt, quod est, putentia se phlegmata sua ex imo pectore extraxisse, eiecisseque in faciem illius, osq; benedictum & verè suauissimum. Et quam maiorem contumeliam aut contemptum Domino gloriæ inferre potuissent? Nulli vnquam latroni, etiam morti iam adiudicato, tanta est illata contemptio, irrisus, vituperatio, quanta Domino etiam necdum condemnato. Enimuerò tam indignis eum modis tractauerunt, vt penè hominis nullam haberet speciem. Adeò nanque gratiosa illius facies ex plagis intumuerat, sputis obsita, sanguine rubricata, vnguibus lacerata erat, pariterq; sanguis & phlegmata commiscebantur, vt tam miseranda esset species dulcissimi Saluatoris, vt vel saxeum potuisset pectus ad miserationem compassionemq; conuertere. Et quia tanta erat faciei illius gratia, vt solo aspectu peccatores emolliret sibiq́ue attraheret, idcirco eam impij illi obuelauerunt, ne qua benignitate vel misericordia

mouerentur, sed omnẽ suum furorẽ crudelitatemq́; in eum pro voto effunderẽt. Itaq; iam tunc absq; vlla misericordia crudelissimè eum verberabant, simulq́; irridiculè dicebant: En Prophetam nostrum. Prophetiza nobis Christe, qs est. qui te pcussit? Atq; ita patientissimo domino quicquid molestię, contumeliæ ac cruciat⁹ diabolico suo poterant corde concipere, irrogabant. Attamen nec ita quidem sitis eorum extincta est. Postquã enim omne in illum suæ acerbitatis virus euomuerant, prorsusq́; iam defatigati erant, viribusq́; defecerãt, suis eum ministris tradiderunt, vt id quod reliquum erat noctis, in illius custodia & vexatiõe expenderẽt: & ipsi mẽbra sua quieti dedêre. Cæterũ exhausto nimiumq́; lasso & excruciato dño nulla quies vel respirandi facultas data est: sed nequissimis traditus est satellitibus, qui tota illa nocte inhumaniter eum vexauerunt. D. Hieronymi quidẽ sentẽtia est, molestias illas & pœnas, quas dño illa nocte intulere, ante iudicij diem nõ forè manifestas. Vnde deuoti quique, qui in dominica se cupiunt passione exercere, aliquid ad honorẽ occultorum illorum DEI cruciatuum facere deberẽt, eosdemq́; patri cælesti, cui vtiq; bene noti sunt, pro suis occultis & ignotis offerre peccatis. Nunc igitur ò anima mea & quotquot IESVM diligitis, eamus cum interno dolore visum, quãtis in angustijs & afflictionibus dulcis IESVS cæli gaudium tum erat. Cuius sibi cor à lachrymis temperet, dominum gloriæ, cæli regem tam turpiter tractari videns? O speciosus forma præ filijs hominum, quàm modò deformis est? vt speculum claritatis æternæ, cuius pulchritudinem elementa mirantur, obductum est, viliq; ac sordido tectum linteo? Euidenter hoc magnoq; cum dolore Propheta describens, ait: Vidimus eum, & non

non erat ei species. Et nos reputauimus eũ quasi leprosum, & percussum à DEO, & humiliatum. Scindāt verba hæc cor tuum ò anima mea, statuasq́; modò formā hāc seu imaginē maximè afflictā ob oculos cordis tui, eāq́; tam miserandam fuisse intellige, vt Propheta ille tam illuminatus, nullis eam potuerit verbis exprimere: sed leproso eam comparat, cuius nimirum nemo non exhorret aspectum: quandoquidē amabilis CHRISTI vultus adeò ex plagis intumuerat, sanguine obductus, phlegmatibus repletus, vnguium laceratione dissectus erat, vt non esset illi species hominis, neque decor. Penetret pasśio ista cor tuum ò anima mea, inflammet te ingens charitas, quæ hæc operata est. Erubesce homo superbe, vile stercus, qui tibi esse aliquid videris, oblitus cinerē, lutum, & ipso quoq; nihilo minus, te esse. Aspice vt filius DEI ob peccata tua humiliatus est, vt gloria cæli, cuius celśitudo oēm vincit intellectum, tui causa contempta & nihiliducta est. Aduerte vindictæ cupide, inflexibilis, crudelis & impatiens terræ puluis, vt Dominus dominorum omnem hanc grauissimam afflictionem patiētissimè tulerit, idq́; à vilissimis scurris & indignis mācipijs, & quidē pro sceleribus tuis. Certè in omni hac molestia & vexatiōe nec semel eum inuenies frontem in rugas contraxisse, vel os aperuisse ad maledicendum, aut manus pro sui defensiōe exeruisse. Et tu miser verbulum vnum ferre non potes propter DEVM, quin mox iracundiam tuam verbis, actibus, signis, gestibus & aspectu testeris. Ipse quidē confiteris DEO peccata tua, & ille tui misertus, recipit te in gratiam, modicam imponit satisfactionis pœnam. Crucem aliquam euenire tibi permitit, eamq́; vult vt feras pro omni illa, quam ei peccatis tuis imposuisti, iniuria & contemptu. Sed repete

erumpis in querelas, in murmurationes, in impatientiam, nolés ferre crucem à DEO impositam: quin & grandem iniuriam tibi fieri causaris ab illo. Quid hoc aliud est, nisi quòd re ipsa & actibus tuis declaras, dicisq́; nolle te iniunctam à DEO satisfactionem exequi, velle potiùs post hanc vitam luere pœnas in flammis sulfureis, quàm hic modicam perpeti afflictionem? Itaq; ignem desiderasti, & ignis veniet tibi: misericordiam DEI repellis, & ipsam non inuenies. Hic eius gratiam spernis, & optas in posterum sentire iustitiam. Ipse náq; ait: Quid prodest, vt gratiam postules, dicẽdo: Domine domine, & non facis quæ dico? Optares certè, vt in om̃ibus permitteret tibi DEVS vti voluntate tua, omni satisfacere sensualitati ac oblectationibus tuis: impleret omne desiderium cordis tui, & ne vnum saltem verbulum asperum tibi diceretur, ac nihilo minùs per sua merita veniã daret cunctis iniquitatibus tuis, & absque pœna in suam æternam eueheret gloriam, (videlicet ea dignus es.) velles, inquam, vt in omnibus submitteret ille se tibi, & propter te iniustus fieret. Sed falleris prorsus, falleris. Non tam vile habet regnum suum. Cariùs id ei cõstitit. Christum oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam: si tu pati recusas, foris remaneto. Ipse ait: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Itaq; si gratiam DEI vero petis spiritu, confitere ei peccata tua cum odio & auersione à peccatis, illiusq́; te correctioni totum exponas, totumq́; illi te offeras, dicens cum Propheta: Quoniam in flagella paratus sum. Iacta te in illum, paratus ad omnia, libensq́; ac spontè crucem ab illo tibi impositam amplectere: nec ad illius molestiam vel grauitatem, sed quis eam tibi imponat, attẽde: nimirum Dñs noster

Iesus Christus Dei filius, qui sua te cruce præcessit, cui bene perspecta est infirmitas tua, nec te supra vires onerabit. Natura namq; illius, bonitas est: aderitq; tibi & assistet in cunctis afflictionibus tuis, sicut & cæteris sanctis omnibus. Non erit ille immemor misericordię suæ, si tu tantũ voluntatẽ propriam, murmurationẽ, querimonias abijcere nõris. Sine igitur, agat ille tecũ pro voluntate sua, perficiat in te opus suũ. Et certè in hac humili tui subiectiõe multã tecũ faciet misericordiã, cunctaq; illius viscera cõpassione erga te mouebũtur, & veniam dabit omnibus erratis tuis, nec secùs hanc tui resignationẽ bonamq; voluntatẽ accipiet, quàm olim Abrahæ patriarchę voluntatẽ, cũ is filiũ suũ vnicũ offerre gestiret: ac nihilo minùs æquè parcet tibi & ꝓpicius erit, vt fuit Isaac filio Abrahæ. Suã namq; perennẽ gloriã impartiri tibi exoptat: sed tñ aliquid te facere vult, vt iustè hãc tibi impartiatur: quod est, vt animo obediẽte illi te submittens, opus suum eum in te perficere sinas, obseruesq; gratiam illius, ne ea in te vacua sit. Sic enim de sanctis omnibus multa legimus, vt innumera mala perpessi sint, vitamq; seueram & rigidam duxerint, quò digni fierent esse cohæredes CHRISTI in regno patris illius. Sed nunc ad pijssimum Dominum, vnde paulisper aberrauimus, reuertamur: fluxusque lachrymarum, qui interim stetit, nunc denuò amorosè laxetur. Quid, oro te, factura fuisses ò anima mea, si coràm illic adfuisses, vidissesq; omnem illum contemptum & afflictionem inferri Domino tuo? An non ex ardẽti amore in illius irruisses amplexus, deformemq; faciem illius tuis abluisses lachrymis, amanterq; osculata fuisses? necnon maximè amicis & consolatorijs, quæ quidẽ excogitare potuisses, verbis eum affata fuisses dicendo:

O IESV dulcis, domine DEVS meus, iam ferre non potest cor meum, q̃ ita te persequuntur, despiciũt, & inhumaniter tractant impij isti. Iam præ dolore scindetur cor meum, si te diutiùs in his miserijs videro. O IESV spes, solatium & amor meus, quem diligit anima mea, quis det mihi, vt ego pro te patiar? Non enim tu peccasti, sed ego. O pulcherrime & speciosissime inter filios hominũ, vt ita deturpat⁹, ita deformis & absq; specie effectus es? Quò abijt pulchritudo tua? Cur ita humiliatus es? Vt tibi omnis hęc ingens culpa imposita est, à quo prorsus es alienus & innocens? En sanguis vitiorum nostrorum aspersit om̃ia vestimẽta tua: & ipse factus es opprobrium hominũ & abiectio plebis. Ah quis te rapacibus hisce lupis tradidit? An non ò anima mea his dictis, toto dño tuo corpore adhæreres, brachijs tuis illũ complexans defenderes, hominesq; impios reprę̃hẽderes, dicẽs: Quæso, tanta crudelitate in filiũ DEI, omniumq; nostrũ dñm debacchari nolite. Me potiùs rapite, & quicquid placet, mihi facite. Non em̃ peccauit agnus hic innocẽs. Ego sum q̃ peccaui, & morte digna sum. Itaq; in me sputa congerite, me irridete, me pugnis atterite, me ꝑsequimini: me cruẽtam vestram exatiate sitim, me ardẽtem extinguite furorẽ vestrum, me inuidam & virulentam ꝑficite malitiã vestrã: me deniq; quicquid voletis facitote, tantùm vt IESVM dñm meũ missum faciatis. Neq; em̃ contẽptum hunc & iniuriã, quibus eũ afficitis, ferre queo. O quì pater æternus iniuriam & probra, quæ videbat, gloriosi filij sui tolerare potuit? Prophetã suum Helisæum, à pueris non tam ex malitia, quàm puerili leuitate irrisum, tam grauiter vltus est: & vnicũ eũdemq; charissimũ filium suum vlcisci noluit, sed totũ eũ ferocitati malitiæq; tradidit Iudæorũ. O pater amãtissime, quid

quid est homo, quod sic eum amas? quod tam venerãdum, tam bonum, tam dilectum filium pro impio ac dãnato peccatore manibus tradidisti canum rabidorum? quod propter scel⁹ populi tui tam dirè eum percussisti? Et quomodo paternum cor tuum admittere potuit, vt in gratissimum filium tuum, qui nunquam fecit cõtra voluntatem tuam, peccata & debita omnia plebis tuæ imponeres, vt calicem amaritudinis & iræ, quam nostra peccata cõflauerant, totum simul in ipsum effunderes? Vt eum in omni sua afflictione reliquisti, ac velut exulem & hostem abiecisti, vt nos qui inimici & irę filij eramus, amici & adoptionis filij efficeremur? quàm absorptum & erga hoĩem amore ebriũ est cor tuũ, vt nõ attendas, quanta patiatur vnicus tuus? Nihil te mouet, quanlibet preciosum expendas thesaurum: non laborem, non dolorem, non sumptus vllos attendis, tantùm vt salutem homo consequatur. Ideoq; vnigenitum filium tuum totum exposuisti, ac impiorum hominum voluntati obtulisti, haud secùs quàm si cum indignatione eum abdicasses, in locum illius homine adoptato. Et nunc pater dulcissime, ingentem dilectissimi filij tui IESV Christi resignationem & obedientiam tibi offero, maximè tamen immensum illius amorem, ex quo vltrò se ad omnem hanc intolerandam obtulit afflictionem & cruciatum, à te deseri, castigari, verberibus affici, & tam inhumaniter crudeliterq; corripi eligens, quò nos gratiam, misericordiam & pacem consequeremur. Sed & cũcta illa crudelia verbera, irrisiões, cõspuitiones, & quicquid demum acerba illa nocte dilectus filius tuus magno cum desiderio perpessus est, offero tibi pro peccatis meis. O pater misericordiarum, miserere mei per dilectum filiũ tuum. Licet enim ipse ex infirmitate pec-

cârim, ſed debitum omne ex amore ſoluit filius tuus, cuius bonitas & amor peccata vincit omnia. O ſi peccata mea in lance vna, & merita filij tui in lance altera ponerentur: multò hæc illa vincerent. Itaq; proſit mihi, obſecro, paſsio illius, quandoquidem pro me illam ſuſtinuit, & ſacra illius vulnera meis vulneribus medeantur: puriſsim⁹ ſanguis eius, ſordes diluat cordis mei: illius humilitas, meam ſuperbiam: eius obedientia, meam inobedientiam: patientia ipſius, meam impatientiam deleat & excuſet. O abyſſus ex qua bona cũcta promanant, da mihi per ſacrum nomen dilecti filij tui gratiam corrigendi malam vitam meam, ac deinceps iuxta tuam gratiſsimam viuẽdi voluntatem. Illumina cęcum cor meum micantibus radijs diuinæ lucis tuæ, quò vitia, fragilitatem, vilitatemq; meam cognoſcam, vt ſic ex vera mei cognitione funditus memet humiliem, contemnam & ſubmittam, non tibi tantùm, ſed & hominibus vniuerſis propter te, quò humilitatis ac obedientiæ veſtigia dilecti filij tui fideliter ſequar. Da etiam mihi Deus meus, vt & meipſum & cuncta quæ infra te ſunt, tã perfectè abnegem deſeramq;, quàm tibi gratum eſt, & quatenus ea mihi impedimento ſunt ad obtinendum perfectum tui amorem: quò te ſine medio diligam, adeoq; clauis puræ charitatis tibi affigar, vt me nec aduerſa, nec proſpera, nec afflictio quælibet à te poſsit vlla ratione ſeparare. Amen.

Maria Ieſum filium ſuum proſequuta eſt. Cap. XVIII.

VIdeamus nunc, quò pijſsima abierit DEI mater, & vtrúmne vſpiam in publicum proditura ſit,

ſit, vel forſitan cum Apoſtolis deſeruerit filium ſuum. Certè quanuis in apoſtolis fides titubauerit, charitas refrixerit, ſpes vacillârit, licet timor oues diſperſerit à paſtore, palmites à vite abſciſsi ſint, attamen ramus vnus integer permanſit & illæſus, qui eſt virgo beata Maria, ſucco fidei plena. Neq; enim poſsibile erat, vt in hác dubitationem incideret mater Chriſti, eſſétne Ieſus filius Dei, vtpote quem abſq; viri contactu ex ſancto ſe nouerat ſpiritu concepiſſe: nec vlla eum poterat ratione deſerere, cum quo vnus erat effecta ſpiritus in DEO. Enimuerò ſpiritus DEI, quo ipſa plena erat, teſtabatur in ea de filio DEI, ſic eum in gloriam patris pati oportere. Vt enim Paulus ait, Qui adhæret DEO, vnus ſpiritus eſt. Quamobrem prorſus veriſimile eſt, Spiritum ſanctum omnes Deiparæ virginis complexum eſſe vires animæ, fortiterq; ſibi totam illius voluntatem, intellectum, amorem & affectum vendicaſſe, creatum illius ſpiritum erigens ad gloriam patris, eamque legi & ſcripturis, quæ erant de filio eius, reddens ſubiectam. Vnde ſicut CHRISTVS non ſeipſum quæſiuit, ſed gratiſsimam patris voluntatem & ſalutem exequi animarum: ita & Maria vnigenito filio ſuo non pepercit, ſed & ipſa eum vltro ad omnem illam obtulit paſsionem, quam ab illo DEVS pater exigebat tolerandam. Nec attendit doloris gladium, quo cor ſuum ſcindendum erat: non theſaurum precioſiſsimum, quo priuanda erat, conſiderauit, nec denique vna ſe hora omni gaudio, ſolatio, ac ipſo demum chariſsimo filio ſuo deſtituendam contuita eſt: ſed totam ſe cum omni facultate ſua, ſimul in gratiſsimam reſignauit

Dei

Dei voluntatem, parata omnem ferre pressuram, afflictionem & grauissimos cruciatus, qui hinc ei accidere possent: tãquam & ipsa iuxta filij sui spiritum diceret: Si non potest à me transire calix iste, nisi bibam illum, fiat Domine volũtas tua. Sed & ambiguum nulli esse potest, beatissimam illam matrem & dominam nostram, tanto erga Deum & cũctos homines amore flagrasse, adeoq; salutem sitijsse animarum, q̄p & ipsa libentissimè crucis subijsset mortem, si ita visum fuisset omnipotenti Deo. Et quia id fieri non debebat, tãtam intrinsecùs crucem & dolorem sustinuit, quantam absq; cordis diruptione ferre potuit. Et sicut ipse Dominus Iesus, tametsi semper cum paterna esset vnitus voluntate, secundum humanitatẽ nihilo minùs extimuit & exhorruit mortem, ita vt ex imminentis contemplatione passionis, ad mortem vsq; tristaretur, & sanguinem copiosè sudaret: ita fieri non potuit, quin incompræhensibilis maternum pectus scinderetur doloris acerbitate. Et certè multo ei fuisset iucundius vnà cum ipso mori, quàm sine ipso viuere, & mortem illius acerbissimam coràm intueri. Vt enim amabilem illum dominum ac Deũ suum non vehementissimè amaret, qui & forma erat speciosissimus & elegantissimus præ filijs hominum, & cor ipsius suo constrinxerat prorsusq; liquefecerat amore: qui & præ cunctis eam fœminis elegerat, supra omnes exaltârat, honorârat, benedixerat, sanctam beatamq; effecerat: qui cunctas illius vires, voluntatem, intellectum, memoriam & amorem in se possidebat, deificârat, secumq; & in se transformauerat, ita vt incompræhensibili afficeretur gaudio ex contemplatione diuinitatis, & humanitatis intuitu, necnon ineffabili cum suauitate melliflua illius dicta auscultaret? Nam & quicquid ille

non

non erat, crux ei fuit, & paupertatem omnem, afflictionem, persecutionem, contemptum propter ipsum & cum ipso perpeti gaudebat intrinsecùs, eratq; id illi iucundum satìs. Nulla sanè vnquam genitrix tanto filium suum amore complexa est, vt virgo beata vnicũ suum: nec vlla vnquam sic doluit ob filij discessum, vt ipsa. Cęterùm, quia pater æternus vnigenito filio suo nullum excellentius vel præclarius quàm crucis seu passionis donum conferre potuit, (hoc nanq; post ipsum gratissimum beatissimumq; munus est, quod charissimis pręstat amicis suis) ideo & virgini intemeratæ hoc ipsum donum largitus est. Et sicut Christus patri obediẽs fuit vsq; ad mortẽ crucis, ita & beatissima virgo Maria ad crucis vsq; mortem Deo obtemperauit: quãdoquidem pœnam illam quam dilectus filius eius sustinuit in corpore suo, ipsa per cõpassionem in corde ptulit. Ideoq; Deus omnipotens nomen illius post Christum supra oĩes extulit benedixitq; creaturas. Et sicut electa erat à Deo, vt in generatione humani generis redemptioni cooperaretur: ita nihilo minus & in passione huic eam voluit cooperari, vt quemadmodum parẽs nobis fuit, generans nobis saluatorem: ita & liberatrix esset, portans intrinsecùs passionis crucem cum filio suo, & doloris sentiens gladium peracutum. Vt enim pater cælestis vnicum filium suum in ara crucis viuam obtulit hostiam, & quotidie adhuc offert in sacramento pro salute hominum, quò perpetuus esset inter ipsum & homines intercessor: ita & electam filiam suam, beatissimam virginem Mariã durè pati permisit, eiusq; oblationem in gratum suscepit sacrificium ad vtilitatem & salutem totius humani generis, quò & ipsa perpetua esset mediatrix inter Deũ & homines, offerretq; semetipsam cum

omni

omni afflictione sua cunctisq; virtutibus suis in cōspectu Dei pro hominibus vniuersis ipsam innocantibus, quò per afflictionum suarum merita, iram Dei in misericordiam commutaret: vt sicuti Eua stãdo & cum delectatione aspiciendo fructum mortis, hominem perdidit: sic ipsa nimio cum dolore stans sub ligno crucis, fructumq; vitæ cum amaritudine contemplando, hominis redemptioni cooperaretur. Necnon infinitũ quendam hic thesaurũ cōparârat meritorum, quibus miseris omnibus semper apud Deũ subueniret, pectusq; suum adeò spiritalibus impleret virtutibus, vt cunctis esset hominibus fidelissima parens, misericordia affluens & abundans. O Maria gratiæ fons, præcipua martyrum omnium: nō hoc initiũ est dolorũ tuorum, non hic tua cœpit ꝓfessio, non hæc prima est tui sub Dei obedientia abnegatio: sed sicut Christus filius tu⁹ ab initio gratissimæ se subdidit ad mortẽ vsque patris voluntati, vltroq; humeros cunctis à patre sibi impositis crucibus submisit, & toto vitæ suæ spatio paupertatem, persecutiones, oblocutiones & contemptum spontè sustinuit: sic & tu domina nostra dulcissima totã te resignasti Deo, quando mater filij Dei esse consensisti, dicẽdo: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secũdum verbum tuum. Christus autem ad hoc natus est, vt moreretur. Sicut ergo ad filij Dei generationem te obtulisti, ita & ad mortem & passionem te resignasti. Vnde sicut in natiuitate, omnium quæ vnquam fuere, genitricũ lætissima fuisti, ita in passione omium maximè doluisti: & dolores atq; angustias quas pariẽs euasisti, patiente filio, cumulatiùs asperiusq; multo perpessa es. O mater pijssima, quàm fideliter crucem tuam in humeros recepisti, sequẽs dilectum filium tuum, cuius oẽm passionem corporalem & exter-

externam tu intrinsecùs pertulisti. Eius nanq; crux tua erat, & tua illius. Et sicut Eua vsurpás temerè de arbore scientiæ boni & mali, homines in Adam perdidit: ita tu de arbore crucis dolorem in te suscepisti, satiataq; amaritudine, vnà cũ filio tuo hominẽ redemisti. Adam de Eua recepit, quo nos interemit: & Christ⁹ ex te sumpsit, quo nos redemit. O Maria grãæ mater, quàm abũdè beata implesti meritis vbera tua, ꝓ filijs tuis patiés atrocissimè vnà cum dilecto filio tuo. Et quis æstimare sufficiat, quas curas, quæ onera, quantam penuriam, afflictionem, molestiam trigintatribus annis cum filio tuo pertuleris? Enimuerò quicquid persecutionis & afflictionis à Iudæis vnicus tuus perpessus est, id omne tu eius pijssima mater sustinuisti. Anima nanq; tua per mirabilem quendam introq; trahentem amorem, in ipso habitabat: ideoq; nihil ei molestiæ vel doloris, te inspiciente, inferebatur, quin anima tua quæ in illius degebat corpore, simul cruciaretur. Deuotus quisque tuos venerans dolores, diligentiùs ac profundiùs ista secum meditari & pensare poterit.

De compaßsione virginis matris erga filium suum. Cap. XIX.



Benedicta Dei genitrix, semperq; virgo Maria, cui⁹ cogitare cor possit, quantá perpessa sis crucẽ & afflictionem nocte illa tristißsima, qua dilectus fili⁹ tu⁹ vnicũ solamẽ cordis tui manib⁹ est traditus hoĩm impiorum, & à proprijs relictus discipulis. Satìs quidem credibile est, mater dulcißsima, cùm

plena

plena esses spiritu sancto, vidisse te in spiritu omnem illum dolorem & cruciatum, quem vnicus tuus nocte illa horribili expertus est. Sicut enim pulcherrimo, iuuenili ac florido corpori suo ob salutē hominum parcere noluit, quomodo illud morti traderet: ita nec materno pepercit cordi tuo, quo minùs gladio illud doloris permitteret transuerberari. Vnde etiam omnem suam tibi prædixit passionem, quò meritorum suorum omnium & afflictionum te participem faceret, eiq; in salute hominum reparanda cooperareris, quò materna vbera tua cunctis referta meritis, semper lac gratiæ in promptu haberent, quod in singulos quosq; ea per deuotas preces comprimētes vbertim effunderent. O Maria mœstissima mater, quàm acerba, quàm tristis ista tibi nox fuit, vt gladius Simeonis sæuijt in corde tuo, quàm lugubres decantasti matutinas preces. Cāticum tuum erat carmen & væ, pro iubilo gemitus emisisti, & spiritus plena eras angoribus. O quàm tristia verba, quàm miseranda suspiria, quàm ignita ad patrem cælestem in cælum suspiria edidisti. Quàm feruido ac deuoto corde cælestem patrem rogasti pro filio tuo, totum illum offerens & commendans eidem. Et licet corporaliter necdum adesses filio tuo, hoc ipsum tamen quòd eum pati sciebas, adeò scidit cor tuum, ac si ipsamet in tuo fuisses passa corpore: ipsumq; cor tuum velut in ardenti fornace intra te torrebatur, liquescebat, exarescebatq; præ amore feruentissimo, & deuastante flamma afflictiōis & crucis. Quis cogitare sufficiat, quàm ignita verba, quàm feruidas scintillas tota illa nocte ardentissimum cor tuum emiserit? Forsitan enim hoc, similíve modo dicebas: O IESV fili mi, fili mi dulcissime Iesu, quis te mihi eripuit? Quis matrem à tam charo separauit

rauit pignore?vt quid non video te lumen desiderabile oculorum meorũ?Quis det mihi Iesu fili mi, vt ego pro te patiar,pro te moriar? O IESV vnicum cordis mei solatium, cur non tecum iui in mortem? cur non confestim te secuta sum abeuntem? O dulcis Iesu bone fili, vbinam hodie pernoctas? in cui⁹ es manibus? quidnam modò pateris?O si furentes illi canes suam in me crudelitatẽ euomere vellent, tantùm vt tu illæsus abires. O IESV spes mea, nutrimentum meum,suauis delectatio mea,cur non ipsa pro te mortem excepi, ne viderem in te tãtum dolorem cordis mei?Multo quidem mihi dulcius esset mori,quàm in tantis videre angustijs te dulcissimum vnicum meum.O Iesu mi vita mea, nutrimẽtum meum,dimidiũ animę meę, dulcedo & consolatio mea, vbi iam est ꝓmissio angelica, qua mihi pollicitus es fore me matrẽ absq; væ,gratia plenã, præ cunctis fœminis benedictã? Nimirum omniũ mihi videor esse miserrima,quos mundus habet, mater præ cunctis vnquã reptertis tristissimi plena doloris. Enimuerò afflictio mea multa nimis est,cor meum abundat amaritudine, spiritus me deficit præ pressura, dolorq́; meus humanã vincit afflictionem. Hoc similique modo benedicta Christi mater seipsam tota illa nocte flendo,gemendo, querendo,lamentando exhausit.Et sicut Christus omni illa nocte nunquam fuit absq; cruce, ita ipsius dulcissima genitrix ne vno quidem momento diri fuit expers doloris. Et quomodo canes illi sanguinarij nunquam à Christi vexatione & inhumanis afflictionibus abstinuere, ita nec doloris gladius vel breui tempore à materni cordis compunctione cessauit. O Maria fidelissima parens, quo tunc animo secuta es filium tuum? vt amor ille, qui filium tuum accenderat, quò vltro per-

geret ad locum illum, vbi calix ei amaritudinis paratus erat, te quoque mouit, vt eò properares, vbi gladius doloris exacut⁹ erat, qui virgineum scinderet pectus tuum, & intima confoderet animæ tuæ? O gloriosa cęli regina, quàm lamētabiliter per viá illam deducta es ab amicis tuis? Quàm om̄es illos ceu mœstissima cantrix lugubri voce tua ad lachrymas commouisti? Quis æstimare possit, quàm hoc triste tibi iter fuerit? Quo enim propiùs accedebas ad vrbem, eo altiùs tuis doloribus immergebaris. Nec dubium esse potest, quin tam diu iueris, donec ad conspectum venires filij tui, siue quum ille duceretur ad Herodem, siue quum indè ad Pilatū reduceretur, siue etiam quum eum Pilatus ad populum produceret, dicens: Ecce homo. Sed cuius possit animus capere, quis te dolor inuaserit, quum eundem vnicum tuum tam dirè ligatum, tam ex verberibus, sputis, sanguine miserandum in modum deformem cerneres, vt penè hominis speciem videretur amisisse? Et quidem omninò verisimile est, amabilem Dominum dulcissimam matrem suam quàm potuit placidissimè respexisse, quodq́; verbis nequiuit, amicabili fecisse aspectu. Tum verò ò mater dulcissima, quàm liquefactum est intra te cor tuum, haud secùs, quàm cera ab ignis ardore? Quàm tum tota penè in lachrymas resoluta es? Verùm quum ista apud Euangelistas non reperiantur, non expedit multis hinc agere. Quæ autem hîc scripta sunt, ad excitandam in nobis deuotionem compassionemq́ue erga virginem beatam scripta sunt. Cæterùm, quilibet ea intra se penitiùs profundiusq́ue & poterit & debebit meditari.

IESVS Pilato traditur. Cap. XX.

Hora



Ora prima omnes illi sanguinarij canes & cruentæ bestiæ manè admodum conuenerunt, vt IESVM neci traderent. Pestifera nanque inuidia, qua pleni erant, & cruenta sitis nullam eis permittebat requiē: necnon insanus furor adeò eorum deuastabat exurebatque pectora, vt instar canum rabidorum penè furerent, auidißimè sitientes agnum mitißimum perdere, & eius innocentem effundere cruorem. Itaque in suum eum adducentes concilium, denuò examinârunt: auditoque ex verbis illius, quòd Dei filium se diceret, ita vociferati sunt: Quid adhuc egemus testibus? Ipsi nos audiuimus ex ore eius. Tum verò ita ligatum & turpiter deformem, ad Pilatū adduxerunt, ab illo cane incircunciso morti adiudicandum: vt videlicet Pilatus ita eum à Iudæis despectum, & à principibus sacerdotum cōdemnatum ac reprobatum videns, scelestum eum nebulonem esse crederet, & sic etiam indicta illius causa, mortis in eum sententia lata, totum eum sacerdotum traderet impiißimæ voluntati. Et ista quidem DOMINI IESV tertia processio est, quam ineffabili cum dolore nostri causa in sua paßione peregit. Attende nunc ò anima mea cum dolore & compaßione vehementi, vt homines truculēti DOMINUM Deum tuum vinctum & miserabiliter deformatum, cunctisque quæ excogitare poterant, condēnationis indicijs denotatū, ad iudicē Pilatū adduxerint, ab eo iudicandum. O quis cogitare queat, quę probra, conuicia, afflictiones, molestias, contemptus dulcißimo Iesu in via illa irrogârint? O quanta cum ignominia DOMINUM gloriæ, cuius est omnis honor & gloria, ad hominē pphanum

& ethnicum adduxere, vt mortis ab eo ſententiam acciperet, ac ſi vnus omnium ſceleratiſsimus latro fuiſſet? Vbi verò iam ad Pilatũ vẽtum eſt, haud ſecus quàm rabidi canes abſque iudicio & ratione vlla quoſdam vnà edidere latratus, & DOMINUM Ieſum falſò accuſantes, multa in eum mendacia congeſſerunt, vt Pilatum multo clamore obtunderent, ferociq; verborum ſtrepitu obtinerent, quod veritate & iure probare non poterant: vtq; Pilatus dum omnes idem petere cerneret, om̃ibus ſe opponere vereretur. Hic nunc Chriſtifideles omnes agite, quęſo, videamus, vt dñs noſter velut agnus illic innocens ſteterit, paratus noſtræ ſalutis cauſa in mortẽ immolari. Sedebat illic Pilatus faſtu multo turgidus, vt iudex. Hinc atq; inde latera illius ſtipabãt tortores ferociſsimi, Pilati ſententiam expectantes, parati crucifigere & enecare. A tergo ſtabat impia crudelium Iudæorum turba, inſtar leonum rugiens, & horridos edens clamores. Inter hæc omniá, agnus manſuetiſsimus os ſuum benedictum ad ſeſe purgandum & excuſandum non aperuit, vtpote paratus mori pro ſalute miſerorum. Immites illi ac impij Iudęi terribilibus in eum oculis toruoque aſpectu intendebant, frendentes dentibus ſuis: & amabilis ac pius DÑS ſtabat illic humili verecundia, depreſsis oculis, vinctis manibus, paratus bibere calicem patris ſui. Et Pilatus tanta humilitate & patientia non ad benignitatem, ſed ad dedignationem potiùs motus, Chriſtum aſperè ſatis allocutus eſt, dicens: Mihi non loqueris? Neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te? Ah quis non ad humilitatem, ad patientiam, ad amorem accendatur, vbi aduertit quàm humiliter DÑS dominorũ qui iudicaturus eſt viuos & mortuos, coram

vili astiterit homuncione, condemnandus ab eodem, tantaq; cum patientia omnem illam iniuriam, probra, confusionem, contemptum & ignominiam perpessus sit? Et tamen nos miseri vix verbulum Dei amore ferre valemus. Sed si quid nobis aduersi inferatur à proximis, totũ annum iram atq; odiũ nostro gestamus in pectore, nosipsos per iræ insaniã miserè deuastantes: nec attendimus, q̃ Dñs maiestatis quotidie tantam à nobis contumeliã, infidelitatẽ, iniuriã, contemptum sustinet, dum sacra illius mandata toties cõtemnimus, eius obsistimus voluntati, ipsius gratiã negligimus, & in vacuum recipimus, atq; indies eum denuò crucifigimus, irridemus, vulneribus diris conficimus, & sacrum illius effundimus cruorem. Neque enim execranda & odibilia veremur peccata admittere, propter quæ Christus ista perpessus est. At nihilo minùs benignissim⁹ Deus semp nos in gratiã recipere, ignoscere peccatis nostris, & nõ ignoscere tãtùm, sed & obliuisci ea, atq; adeò obliuisci paratus est, vt non minorẽ in nos gratiam & amicitiam sit confirmaturus. Cùm enim toto corde à peccatis ad ipsum conuertimur, paratus est intercessor & aduocatus noster esse, seq; medium interponere inter iram patris & nos atq; peccata nostra: necnon seipsum totum cum omni passione sua patri offerre pro delictis & negligentijs nostris. Et nos inflati ac miseri, qui cinis & lutum sumus, vix inuicẽ verbuli iniuriã remittere, aut placidis oculis inspicere valemus eos, qui nos offenderũt. Itaq; & Deus veniã dabit iniquitatibus nostris, quemadmodum nos ignoscimus proximis nostris.

Oratio pro perfecta imitatione & amore IESV. Cap. XXI.



IESV spes, vita, nutrimētum & solatium meum, lumen cordis mei, gaudium animæ meæ, recreatio spiritus mei, sanitas, salus & requies mea, quid retribuam tibi pro innumeris beneficijs tuis, quę mihi indignissimæ creaturæ tuę præstare dignatus es? Vt immenso amori tuo mihi abs te impenso, redamando vicem reddere potero, cùm tantus tamque infinitus & abundans sit amor tuus, vt intellectum cunctasque vires meas præ admiratione deficere faciat? Et quó vnquā tui ex corde obliuisci possum? Quó vlla alia pro re laborare mihi libet, quàm vt sublimi amori tuo vicem reddā & faciā satìs? Nā si vel millies meipsum rependā, quid sum ad Dn̄m meū? Vt admirabile hoc opus vnquā è mea potest abire memoria, ꝙ tu Dn̄s dominantiū nō modò velut seruus seruorū, sed etiā iudex creaturarū oīm velut reus & iniquus fieri dignatus es, & cū sceleratis morti adiudicari & morte turpissima condemnari voluisti? Et ecce miser ego & vilis peccator, quē ꝓpria dānat cōscientia, in oculis hominū iustus & virtutis studiosus haberi cupio: & si qs mihi honor, si qua laus defertur, huic ego innitor satìs. Cur hoc ò pijssime Dn̄e, nisi qa oīai virtute & facultate mea tuū honorem & gloriā nō quero? Cur aūt non quæro gloriam tuam, nisi quia te toto corde nō diligo? Quare aūt, quantum debeo, te nō amo, nisi ꝙ meipsum adhuc diligo, & necdū me contēpsi & abnegaui? Hac scilicet de causa te Deum meū totis viribus non quæro, sed potiùs meipsum multipliciter. Hęc ratio est, cur sanctissima vestigia humilitatis, patiētiæ, obedientię & resignationis tuæ non amplectar. Sed ò clemētissime Deus, miserere mihi miserrimæ

ſerrimæ creaturæ tuæ: quandoquidem magnã tibi con fiteor infirmitatẽ & peruerſitatem meã.Adiuua me Dñe Deus,vt meipſum abnegẽ & occidã, naturamq́; meam voluptuariam itá crucifigam,vt peccato ad ſanguinem vſq; relucter. Nihil enĩ poſſum abſq; auxilio gratię tuę. Et licet nõ ſit fortis in me vt mors dilectio,vt quemadmodum ſancti fecere martyres,ignominioſam mortem tuam ipſe quoq; morte corporali cõpenſare queã,adeò nihilo minùs ſpiritum meum corroborare digneris, vt partibus & paulatim tibi ſatisfaciam,quod vniuerſum ſimul exoluere non poſſum: vtq; tanto crebriùs ꝓ tuo honore mihi moriar in omnibus,quæ ſenſibus iucunda ſunt,& tuo preſtant amori impedimentum,quanto minùs crucis ſubire mortem tua cauſa non ſum idoneus, ſicuti & ipſe pro me & innumeri poſt me martyres mortem excepere. Sed quæ alia cauſa eſt ô pijſsime Deus, ꝙ tam fragilis,tam ineptus,tam inſtabilis, tam mutabilis ſum, niſi ꝙ te Deum meum ex omni corde fortiter nõ amo?Itaq; adiuua me, vt te ex intimo corde fortiter diligã.Accẽde cor meum ampre tui,vulnera cor meum charitate tua. Cõfiteor equidẽ benigniſsime Deꝰ,ꝙ ab oĩbus optas hoĩbus diligi,nec vlli denegas amorem tuum,q illũ capere idoneus & habilis ſit. Scio etiã dulciſſime Deus,peccatis meis oĩbus aſſcribendũ eſſe, ꝙ tua in me tepuit charitas. Enĩuerò multiplices culpæ meæ diuidunt inter te & me,ſuntq́; impedimẽto amori tuo, vt is intra me locum habere, ſuumq́; gratiſsimum opus exequi non poſsit. Sanctus nanque ſpiritus tuus, qui ipſe amor eſt, non poteſt habitare in vaſe ſordido, nec corpore ſubdito peccatis. O IESV Saluator inuiſibilis,en confiteor tibi me vitioſum & ſordidum vas eſſe: ſed ſi vis,potes vtiq; me mũdare, cùm ſis agnus ille ſine

macula, qui aufert oīa mundi peccata, qui occisus es ꝓ peccatis nostris, crucifixus pro sceleribus nostris, vulneratꝰ es vt nostra curares vulnera, tuū deniq; sacrum fudisti sanguinē, vt nos ab om̄i vitiorū macula emūdares. Vnde & oro te Iesu pijssime, vt diluas purissimo sanguine tuo, quicquid tibi displicet in me, & medium efficere possit inter nudū amorem tuū & miserā animam meā: ideq; ꝓrsus absumas & in nihilū redigas in abysso diuinæ gratiæ tuæ, quò sine vllo medio, tuo amore capi, ligari, vulnerari, absorberi & transformari merear, vt sic veteri homine, qui totus carnalis & terrenꝰ erat, in me extincto & crucifixo, nouus per te excitet̄ & nascatur ex te, factus ad imaginem tuam, qui terrena nesciat, carnalia nulla appetat, sed ad te originem suam semper erectus & propensus sit: qui totus ab huius seculi malitia innocens & immunis, omnem cōuersationem suam constituat in cælis: qui denique te Saluatorem suum iugiter hic interioribus contempletur oculis, quem in beata æternitate & æterna beatitudine facie ad faciem perspicuè se visurum sperat ex gratia tua.

Iesus ad Herodem missus. Cap. XXII.



Osteaquàm Pilatus falsas omnes & iniquas Iudeorū accusationes audierat, videratq; nullam eos mortis causam in Iesum conferre posse, simulq; audito Iesum Galilęū esse, misit eum ad Herodem, qui tunc Galilææ dominabatur. Et hæc est quarta IESV ꝓcessio, quā ineffabili cū dolore in sua passiōe pegit. O quantū laborauerūt iniqui illi, quātas sunt expti molestias

ſtias, antequã DOMINŨ neci dare poſſent. Neq; enim poſſibile erat, vt in auro illo puriſſimo, toties in igne affli-ctionis probato, vllam cuiuſlibet vel tenuiſſimæ impuritatis maculam inuenirẽt. O quanta cum ignominia & crudelitate Dominum Maieſtatis, cui om̃is debetur honor & gloria, per ciuitatẽ in conſpectu omnium deduxere: quandoquidẽ ciuitas plena erat populo. Vnde & magna hauddubiè hominum concurſio facta eſt Chriſtum videre cupiẽtium. Itaq; factus eſt Dominus maieſtatis ſpectaculum DEO & hominibus. Quidam eum habuere irriſui, & multis eum iniurijs & moleſtijs affecere. Alij currẽtes poſt ipſum, probra & cõtumelias in eum congeſſerunt. O quantoperè feſtinârunt cum dulciſſimo IESV, de vno eũ ad aliũ iudicẽ pertrahẽtes? O quàm omnia illius mẽbra ægra erant & malè affecta ex laſſitudine & multiplici illa afflictione & cruce, quam nocte illa ſuſtinuerat? Quàm pedes illius attriti & læſi erant ex plateis lapideis, cum & illi immodicè properarẽt, & dñs nudis pedibus incederet? Diſce hic ò anima mea ex ſponſo tuo, abnegare teipſam, & potiſſimũ quidẽ DEO, deinde & ſuperioribus tuis tanquã DEI vicarijs, necnõ ex charitate hominibus quibuſcunq; temetipſam ſubijcere, quò ad ſponſi tui exemplum, omnium te minimam ac viliſſimam cenſeas, gaudeasq́; eſſe miniſtra ſeruorum Chriſti. Si enim grata illius ſpõſa fidelisq́; imitatrix eſſe cupis, ita te omni voluntate propria & electione oportet eſſe deſtitutam, ac ſi nunquam quid ſit velle, perſpectum habuiſſes: patiarisq́; te mitti ab vno ad aliũ, vltrò citroq́;, ad ſummum & infimũ, foras & intrò, ſisq́; ſemper ſpontè obediẽs & ſubdita, quálibet moleſtũ & aſperum, quantumuis tuo ſit ſenſui vel iudicio aut ſenſualitati aduerſum atq; cõtrarium: ſicuti & chriſtus vltro ſe

tradidit ad oēs istos immanes cruciatus, tenerrimæ ipsi us cōplexioni vsqueadeò molestos, atq; à iudice ad iudicem, à pœna in pœnā se trahi libentissimè passus est, variasq; & sibijnuicē succedētes pertulit cruces & afflictiones. Nec tñ vnquā faciē cōtraxit in rugas aut aspernationē, non os querelis vllis aut murmuri patefecit. Nō attendit pijssimus Dñs, q̄ probra, quas cruces, quas iniurias pateretur: sed factꝰ est humiliter obediēs patri suo ad mortē vsq;, patiēterq; totū se oībus submisit doloribus, pœnis & cruciamētis, quę illi inferebantur. Sic ergo canes illi ferocissimi ad Herodē eum adduxerunt. Herodes autem cum esset curiosus & tumidus, & multa de Christi miraculis audierat, ex multo eum tēpore videre desiderabat. Sed nullum potuit à Christo habere responsum. Quando enim nō nisi vano ac curioso animo miraculū aliquod videre cupiebat, planè indignus erat vel verbum vel signum aliquod ab æterna consequi veritate. Hîc iam iterū fallaces & sanguinarij illi Iudæi, velut canes rabidi, horridos edidere latratus, Christum accusando, condēnando, falsos proferēdo testes, quò incomposito multoq; clamore Herodē ad Christum iudicandum condēnandumq; excitarent. Et inter hæc omnia agnus mansuetissimus humiliter tacuit, patienter expectans acerbum calicē ipsi à patre præparatum. Vidēs itaq; Herodes eum neq; signum aliquod neque responsum edere, turbatus, spreuit eū & irrisit eum omni exercitu suo, à quibus Dominus IESVS contumelias & probra multa perpessus est. Attendamus hîc ineffabilem Christi humilitatē & patientiam, vt cruces & contumelias alias ex alijs sustinuerit. Nimirum in locis omnibus, & ab hominibus vniuersis persecutiōes, contemptum & iniuriam patitur. Nemo est qui eum rele-

uet,

uet,qui aliquid in eũ conferat beneficij,qui cõpatiatur afflicto,qui vel cõsolatoriũ loquatur verbũ.Iuuenes & senes,pusilli & magni, serui ac domini omnes in eum insurrexere,omnes vnanimiter suam in eum virulentam malitiam & falsitatem euomuerunt. Cuncti illius auidi sitiebant mortem, illius innoxium ardebant sanguinem fundere.Neque enim absque dolore & nausea eum videre poterant.Sic planè factus est Christus DOMINUS opprobrium seculi & abiectio plebis. Herodes nanque non solùm cum indignatione eum à se repulit,& contumelijs affecit:sed etiã veste alba ceu fatuum induit, quò hoc ipso cunctos simul hoĩes ad Christum illudendum prouocaret.Atq; hac tanta cum ignominia & cõfusione ad Pilatũ eum remisit:quæ est Saluatoris nostri quinta processio,quam habuit in sua passione ob scelera nostra.Quisque hic secum æstimare potest, quàm miseranda hęc CHRISTO processio fuerit,quando eum ita ab Herode turpiter illusum & despectum,vilissimi serui ac carnifices illi velut fatuum irriserunt, & ingenti cum contemptiõe abiecerunt, alijs sputa in eius faciem congerentibus,alijs eum cædentibus,alijs pedibus eũ contundẽtibus,quibusdam veste trahẽtibus,nonnullis maledicta & probra à tergo illius euomẽtibus: præter alia innumera cõuicia,iniurias & scommata,quibus in eum ferebantur impuri, quorum in sacris literis non fit expressa mentio,nec certa habentur testimonia.Sed quia filij erãt diaboli,omnem Christo malitiam irrogârunt, quã suggerente patre suo concipere poterant.Aduerte nunc ô anima mea acerbo cum dolore IESVM sponsum tuum, cæli gaudium, patris sapientiam, regem gloriæ, tam turpiter confusum & contemptum, vt iam non

sit

ſit homo, ſed abiect⁹ vermiculus, nec ſolùm vt ſceleratus & reus morti adiudicetur, ſed etiam inſtar deliri in veſte ſtulti irrideatur ab omnibus. O quis tam ferreo ſit pectore, vt iſta eum non emolliant? Pudeat vos ſuperbi homines, qui erecta ceruice, ſuperbia tumidi inceditis. Erubeſcite qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & extollimini vltra id quod eſtis, obliti vos ſtercus eſſe & cinerem, & vaſa teſtea plena immunditia. En Domin⁹ dominorum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientię abſconditi, vt fatuus deridetur: & vos ipſis quoq; irrationabiliores brutis animantibus, quæ pro ſuo captu & conditiõe ſuum laudant creatorẽ, modumq; obſeruant in edẽdo ac bibẽdo, ſapiẽtes, circunſpecti & ſancti ab hominibus haberi vultis. Erubeſcite, inquam, peccatores tumidi & ſuperbi, qui coram DEO fœtetis & omnibus ſanctis eius, qui toti in hoc incumbitis, vt ſaccum veſtrum ſtercoreum & nidum vermiũ rebus precioſis exornetis, quando dominus maieſtatis veſtri cauſa alba ac contẽptibili veſte velut ſtolidus deſpect⁹ eſt, & cæli celſitudo humiliari dignata eſt. Et vos peccatores miſeri ac inflati, quibus nõ niſi æterna debetur condemnatio, elati ac tumidi eſtis? Iam olim angeli per ſuperbiam ceciderunt, & è cælo eiecti ſunt: & vos ſuperbia illud obtinere vos poſſe confiditis? Parẽtes noſtri ob ſuperbiam ad magnas deuoluti ſunt miſerias & calamitates, & ex paradiſo expulſi, per quinq; annorum millia à celo exules, & in inferni carcere detẽti fuere: & nec ſic tamẽ hanc maledictam peſtẽ, hoc mortiferum ac deterrimum vitamus peccatum? Hoc ipſum fœtidum corpus noſtrum de immundo cõceptum ſemine, quod vermibus quandoq; deuorandum obijcietur, neſcimus vt curioſè ſatis ornare velim⁹, vt delicatè ac molliter ſatis

pa-

pascere, quid ei solatij & commodi adhibere debeamus. At animas nostras multo nobiliores, in quibus sibi DEVS habitationẽ constituit, quæ ex DEO genitæ, & ad sanctissimę Trinitatis imaginẽ conditæ sunt, rursusq; in diuinæ adducẽtur præsentiam maiestatis, præ fame & defectu perire sinimus. Quæso capiamus exemplum in piissimo Saluatore nostro, eiusq; sequamur vestigia in omni humilitate, paupertate, resignatione, & patiẽtia: quandoquidẽ ipse in maxima necessitate sua nullum habuit commodum, sed totus nudus pependit in cruce, ita membris omnibus intentus & clauis adeò cruci affixus, vt ne vllum quidẽ membrum mouere posset, nec haberet vbi reclinaret caput suũ: & in siti sua fel & acetum hausit, atq; in tanta demum paupertate emisit spiritũ. Si itaq; tanta ille fecit ob peccata nostra, faciamus, obsecro, & nos aliquid pro iniquitatibus nostris.

Iesus ab Herode despectus, ad Pilatum reductus est. Cap. XXIII.



INC iam crudelissimi nebulones Christum ad Pilatum reduxerunt, denuoq; suas in eum accusationes acerrimè intẽderunt, quò mortem illi afferrẽt: rursumq; horrẽdis clamoribus Pilatũ obruere moliebantur, quãdoquidẽ nullam rationem, æquitatẽ, vel causam aduersus Dominũ proferre poterant. Ideoq; vociferando, comminando veritatem opprimere, rationẽ obnubilârunt, iustitiæ obscuritatẽ attulere. Cæterum Pilatus cum aduerteret sola inuidia Iudæos adduci vt IESVM neci dare appeterẽt, & Herodem nullam similiter in eo mortis causam inuenisse, nihil in-

hil intentatum reliquit, quo Dominũ liberaret. Et quia ratione Iudæi placari non poterãt, sciscitatus est ex eis, si eum pro cõcesso ipsis priuilegio, ad Paschalis solẽnitatis honorẽ dimitti vellẽt. Sed oĩm vna voce exortus clamor est, Barrabã se poti⁹ velle. O ingẽs cæcitas, ò insatiabilis ferocitas Iudęorũ, ò infelix pmutatio. Lupum elegerũt præ agno, scelestũ ac odibilẽ nebulonẽ prę iusto ac innocẽte homine, impiũ deniq; & latronẽ præ vitæ authore. Sic quotquot in suis optant pseuerare peccatis, nec Deũ verẽtur offendere, illiusq; sacra trãsgredi mãdata, & ipsi Deũ abnegãt & respuũt, eliguntq; crudelissimũ latronẽ, puta diabolũ, qui peremptor est animarũ omniũ ipsi cõsentientiũ. Quæsiuit deinde Pilat⁹, quid de IESV faceret. Et illi fremitu horrisono clamabãt: Crucifige crucifige. Pilat⁹ respõdit: Quid eñ mali fecit? Nullã in eo causam inuenio. Verũ quò ardẽs furia vestra & liuor virulẽtus tẽperetur, & sitis cruẽta nõnihil restinguatur, etiam sine causa cum castigabo corripiamq;, vt vel sic cõpuncti, immeritã & innocentẽ illius mortem appetere desinatis. Tunc itaq; Pilatus Christũ suis tradidit ministris & tortorib⁹, vt eũ flagellarẽt. Veni nũc ò anima mea gemebundo corde, & vide vtì sponsus tuus IESVS cæli gloria, immitissimis traditur manibus viliũ seruulorũ, quò sæuã in eo explerẽt malitiã suam. Vide vt rabidis illis ac sanguinarijs canibus facultas detur & potestas purissimũ, nobilissimũ, & virgineũ corpus illud discerpẽdi, regiumq; fundẽdi cruorẽ. Aspice quàm spontè Dñs dominantiũ, abiectis illis nebulonibus ac vilibus mancipijs sese tradit, subijcitq;, oẽm in se malitiã illorũ crudelemq; tyrannidẽ expleri sinens, factus obediẽs cælesti pñi ad mortẽ vsque. Nec vnq̃ aperuit os suũ benedictũ ad maledicẽdum, vel murmurandum,

dum, conquerēdúmve, nec manus pro sui vltione extē-
dit, nec faciē mutauit ad iram seu indignationē: sed beni
gnè totū corpus suū tortoribus exposuit. Attēdite hęc
quotquot estis ceruicosi, elati, superbi, religiosi, qui fi-
ctā quandā extrinsecùs præfertis speciē obediētium ac
verè religiosorū hoīm: intrinsecùs autē prorsus irresi-
gnati, morosi, ac ꝓprię estis volūtati dediti. Quod tum
quidē re ipsa declaratis, cū aliqd vobis põit, quod vrę
sit contrariū volūtati aut iudicio ꝓprio: quāquidē mox
tunc ad querimonias, impatiētiā, & murmur ꝓrumpi-
tis: necnō verbis, aspectu, & impatiēti corporis habitu
ac gestibus fundū vestrū irresignatū & ꝓpriā satis pro-
ditis voluntatē. Neq; eīm naturā vestrā sensibus deditā
& necdū mortuā, cohibere aut sub religionis tegmine
occulere nouistis, eò ꝙ nūquā vos viriliter viceritis,
nec ꝓpriā in seruitutē redegeritis voluntatē: ideoq; &
dominatˀ ea vobis. Et hac de causa sæpe passiōibus abū-
datis, & cordis pacē nullā habetis. Neq; eīm diuturnior
est pax vestra, quàm dum vobis fit, & facere vobis per-
mittitur, quod libēter facitis & habere desideratis. Sed
quęso aduertite, quàm vltro se Christus in mortē obtu
lerit, quātoq; cū affectu acerbum passiōis suæ calicē ag-
gressus sit, licet illū tātoperè natura illius exhorreret:
vtq; inimicis suis spontè processerit obuiā, & manibus
illorum vltro se tradiderit capiendū, dicēdo: Ego sum
quem quæritis. Itaq; ex ipso exemplum capite, elatamq;
ac rigidam ceruicem vestram subter diuinam correctio
nem, & Dei ac superiorum vestrorum, qui Dei erga vos
vicem gerunt, mandata submittitote: certi quòd quic-
quid contemptus, murmuris aut rebellionis vestri è
vobis prælati acceperint, id in ipsum Deum Optimum
Maximum redundare.

IESVS flagellis dirè cæditur.
Caput XXIIII.



INC iam lictores ac satellites prę sidis furibundi Christum rapientes, vestibus illi ferociter detractis, cæli creaturarumq; omnium conditorē, qui cælum nubibus operit, & cunctis esse largitur, tam inuerecundè coram omni populo denudârunt. Itaq; stabat illic speciosissimus & elegātissimus mortalium omnium, virgineo affectus pudore in innocentia simplici. O quanta crux erat honestissimo cordi illius, quòd tam turpiter & inhonestè coram vilibus illis scurris assistere cogebatur. Quo enim quis plus verę virtutis habet, eo est & verecundior. Deinde tam inclementer ad columnā eū ligauerunt, quòd quēadmodum legitur, caro illius funes quibus vinctus fuit, prorsus operuit. Tanta erat teneritudo & mollities naturæ illius. Quin & hoc scriptū reperimus, tam crudeliter eum esse ligatum, vt sanguis ex digitorum vnguibus erumperet. Id verò ea de causa fecerunt, ne ex eorum manibus elaberetur: quandoquidē maleficum & impostorē eum habebant. Post hæc immites illæ beluæ velut leones ferocissimi, elegantissimum sacratissimumq; Christi corpus tam inhumaniter dilacerârunt, flagellis affecerunt, vulneribus vndiq; inflictis exarârunt, & tā virgis quàm alijs terribilibus, quæ inuido suo inuenire poterāt corde, flagellis discerpserunt, vt totus sibijpsi dissimilis esset, vniuerso corpore eius sanguine perfuso, & cruētis scatente vulneribus. Neq; enim cutē duntaxat illius virgis absciderunt, sed etiā sacratissimā carnē eius inhumanis

nis discerpsere cruciatibus, adeoq; dilaniârunt, vt omne eius corpus ceu excoriatũ videretur, malignis illis vulnus addentibus vulneri, pœnam pœnæ, doloremq́; dolori. Cumq́; iam alterum illius latus tam crudeliter dilacerassent, vt non nisi sanguinẽ videre esset & vulnera, vt quidam affirmant doctores, cum soluẽtes, dorso ad columnam religârunt, manibus supra caput simul alligatis. Tum verò sacrum illius ventrem, quo priùs columnam attigerat, necdum admodum læsum, de integro vulneribus crebris affecerunt cõsciderunťq;, vtì priùs dorso fecerant. Et hi forsitan recẽtes fuere carnifices, (Quatuor nanque fuisse legimus) qui suam non minùs, quàm priores, in dominum euómuere crudelitatẽ. Colligere hoc licet atq; probare ex Propheta dicẽte: A planta pedis vsq; ad verticẽ capitis, non est in eo sanitas. Cogitemus interim, quantus hic fuerit cruciatus, vincula iam carni illius inserta euellere, rursumq́; inijcere extracta, ac denuò inhumaniter sauciari ac verberibus cõfici. Sanctus Bonauẽtura ait, plus quàm quinq; vulnerum millia hic Christum excepisse. Nimirum adeò hic deformis & miserabilis effectus est, vt non solùm ministri verberando, sed homines etiam aspiciẽdo defetiscerentur. Atqui nihilo minùs benignissimus Saluator noster stabat illic pleno cum affectu & ardentissima charitate, omnẽ hanc afflictionẽ & pœnam nostris pro peccatis patiẽtissimè sufferẽs, elegansq́; suum ac floridum corpus cælesti patri pro salute nostra desiderabundus offerens hostiam viuam. Enimuerò nũquam tanta perpessus est salutis nostræ causa, quin plura pati desideraret in gloriam patris, vtq́; nobis incompræhẽsibilem cordis sui amorem testatum redderet, & re ipsa quàm euidẽtissimè declararet. Nihil quidem iam sanum & in-

tegrum in illius relictum erat corpore, & integer adhuc ac indistractus in eo perseuerabat affectus maiora patiendi. Flagella tortorum totum eius corpus crudeliter lacerârant, & amor nihilo minùs cor ipsius in patientia seruabat illæsum. Iam ministri penè flagellando defecerant, & Christus secundum affectum necdum patiendo fatigatus erat. Vbertim sanguis eius preciosus ad peccatores defluebat in terram, & spiritus eius per gratitudinem erigebatur ad patrem in cælum. Sacrum illius corpus ictibus peccatorum subiacebat, & preces cordis eius per angelos ad patrem in cælestia ferebantur. Deorsum & caro & sanguis ipsius defluebat, sed sursum gemitus tendebant & ignita desideria, quibus omnem hanc afflictionem patri pro cunctorum offerebat salute mortalium. Omni ex parte ad homines profluebat, & vniuersis viribus suis sursum cum digna & plena reuerentiæ laude ad sublimem cælestis patris præsentiam contendebat. Infernè homo ægrotus & æger vitæ hausit medicinam, & supernè pater in vnici sui patientia exultauit. Accepit ibi homo, per quod in æternum seruabitur, & Deus pater, vnde in æuum omne laudibus celebrabitur. Vulneratus est filius Dei in corpore suo, vt salutem hominum animæ recuperarent. Ex omnibus suis membris sanguinem emanauit, vt eũdem ceu salutiferum balsamũ in nostra infunderet vulnera. Botrus in vectem appensus est, vt nos de promissionis terra redderet certos atque securos. In torculari idem expressus est, vt nos suo inebriaret amore. Vas diruptũ est, & oleum misericordiæ emanare cœpit. Tunicã corporis sui purpureo fecit tingi colore, vt nos ceu sponsus singulari decore conspicuus, ad suum prouocaret amorem. Grauiter in suo perpessus & mœrore affectus

est corpore, vt nos in spiritu exhilararet. A suo derelictus est patre, vt nos ab illo reciperemur in gratiam. Corpus eius feruenti illius sanguine maduit, vt idoneum nobis balneum prępararet, in quo ex integro ablueremur, & ab omni vitiorum macula emundaremur. Feruens illius cruor è sacro ipsius corpore ceu ex feruenti ebullijt cacabo, quo frigida nostra ac rigida corda, in suo faceret amore liquescere. Instar aquæ effusus est, quò spũs noster in gratia sua deliciosè nataret. Nihil in omni eius corpore remansit integrum, vt nihil cæsum, nihil fœdum, nihil non integrũ in nostris permaneret animabus. Et quãuis tam inhumanis vndiq; correptus esset doloribus, vt ob naturæ & complexionis excellentiã ac teneritudinẽ quilibet ictus cor illius penetraret: adeò nihilo minùs voluntas eius & DEO & hominibus subiecta erat, feruensq; desiderium patris exactioni satisfaciendi, & redimendi hominem, tam immodicum in eo fuit, & amore denique sic victus erat, vt conqueri non posset. Neque enim aliud poterat, quàm amare, & ob amorem pati. O anima mea & quotquot DEVM amatis, qui Christi IESV precioso sanguine redempti, & à peccatis vestris abluti estis, venite, & interno cum dolore videte, quanta fecit Deus animabus nostris, quanta passus est pro iniquitatibus nostris. Et si ista corda vestra non compungunt, aut certè non commouent, ferro ac lapidibus vos duriores arbitramini. Aspicite, vt rex gloriæ pro vestris hic sceleribus vulneratus & deformis effectus est. Videte si dolor vllus hisce possit doloribus æquiparari. Quid vltrà ab eo exigitis? Quod si & ista non sufficiunt, plura adhuc pati paratus est.
Aliquíd né in corpore eius putatis remansisse illæsum & integrum? En pro peccatis vestris libens etiam

mortem excipiet, sanguinemq; suum ad extremam vsq; guttulam effundi patietur. Sed & cor ipsum vestri causa cõfodi sinet, vt ipsum vobis patefaciat, nimiumq; suum declaret amorẽ. O quî vnquam immẽsæ huius nos capere potest obliuio charitatis. Mirum sanè est, non liquefieri præ flagrantissima hac dilectione corda nostra. Vt vnquã ab eius laude & gratiarum actiõe cessare possumus? Vt aliquid amare velle possumus præter eũ, cuius tanta est erga nos amoris intẽperantia? aut quî vllam aliã in curã incumbere libet, quàm vt charitati huic vicẽ qualẽcunq; reddam9 amoris? Cur molestum nobis est, vel guttũlã vnã myrrhę acerbioris causa illius degustare, qui sese totũ propter nos in ipsum passionis pelagus immergi passus est? Aut quî vnquã graue nobis esse potest illi9 animo cõmemorare passionẽ, quã ille haud grauatè sustinuit? O IESV dulcissime, quæ cor tuũ vicit pietas, quę illud charitas absorbuit, vt ꝓ vilissimis peccatoribus tã acerbã, tamq; ignominiosam volueris subire passionẽ? Cur nõ omninò tibi pepercisti, quãdo satìs vtiq; esse poterat ꝓ tuę excellẽtia ac dignitate ꝑsonę ob hoĩs redẽptionẽ vel vnã preciosi sanguinis guttulã effudisse? Cur adeò teipsum totũ abiecisti, totũ exposuisti, totũ tam horrẽdum in modũ penè in nihilũ redigi permisisti? O amabilissime IESV, tuũ in hoc nobis effulctissimũ prorsusq; immẽsum, quo nos ab initio complexus es, indicare amorẽ voluisti. Ideoq; teipsum cũ omni facultate tua totũ pro nobis tradidisti, vt nos vicissim totos tibi redderem9, omniq; virtute ac facultate nostra te redamaremus. O potentissime pater, quis sum ego vilis homũcio, indign9 peccator, vt ꝓ me nec vnigenito tuo parceres? Quàm preciosa, quãq; cara fuit in oculis tuis uĩa mea, ꝓ qua tã insigne dedisti pignus, quã tã precioso rede-

redemisti thesauro? Quàm me ab æterno dilexisti, vt ꝓpriú malles vulnerari, cõteri, affligi, excruciari, extingui filiũ, quàm me perire sineres? Et quî paternum hoc ferre potuit cor tuũ, ô benignissime pater, vt dilectissimũ filium tuũ, cõsempiternũ & coæqualẽ tibi Deũ, tam inhumanis videres obrui cruciatibus, vt & hostib⁹ suis esset aspectu miserabilis? Oppressis & afflictis oĩb⁹ subuenis, furum ac latronũ misereris, opẽ illis ferẽs etiã pro suis dum patiũtur sceleribus & culpis: & quare dilecto non adfuisti filio tuo? cur in tantis nõ eum solatus es angustijs? Cur eũ o pater pijssime reliquisti? Cur mota non sunt paterna viscera tua super afflictiõe graui & intolerabili, quã hic sensit ipse vnicus tuus? Quare eum ex Iudeorũ manibus nõ extraxisti? vt quid dolorẽ eius internæ infusione dulcedinis non tẽperasti, quẽadmodũ sanctis fecisti martyrib⁹ sub immanibus eorũ cruciamẽtis? Nimirũ pater clemẽtissime fecisti hoc per diuinã iustitiam, sapiẽtiam & bonitatẽ tuã, quo resignatio ac patiẽtia dilecti filij tui nobis euidẽtiùs reluceret, ne virt⁹ & meritũ passiõis eius imminuereť, vt salus hoĩm strenuè, fortiter & perfectè peragereť, quoq; postremò debitũ humani generis largè copioseq; exolueretur. Enuerò vt ardentẽ nobis significares amorẽ erga nos tuũ, dilectissimo filio tuo ad vltimã vsq; sanguinis guttulã non pepercisti. Planè si mors & passio Christi ad seruandũ hominem non suffecissent, & pater cælestis & Spũssanctus quoq; humanã potiùs assumpsissent naturã, & pro homine mortẽ subijssent, quàm eũ perire siuissẽt. Porrò licet filius solus hominẽ assumpserit, mortemq; ob hominem perpessus sit amarissimã, amor tamẽ & affectus patris & Sanctispiritus, nõ minor erga nos fuit: quãdoquidem vna est trium personarũ essentia, vnus amor, indi-

ſtincta operatio, vna eademq́; volũtas. Conſilium quidem ſuper humani generis redemptione veneranda ſacratiſſimaq́; Trinitas egit, eſtq́; concordi ab ea finitione decretum, vt hominem redimeret, & quia in nullam magis quàm filij perſonam competebat naturam humanam aſſumere, lætus ipſe tum ſpontè ſua, tum voluntate paterna, tum ſuaſu Sanctiſpiritus in terram delapſus, qui creator erat omnipotens, hominem induens, factus eſt creatura, cooperante ad hoc ipſum & patre & Spirituſancto. CHRISTVS nanque per patris cooperationem de Spirituſancto conceptus eſt. Et ipſe ait: Ex meipſo facio nihil: ſed pater in me manens, ipſe facit opera. Quod autem idem patris & Sanctiſpiritus, qui & filij, erga nos amor ſit, vel hoc ipſo ſatis pater indicat, quòd eundem filium ſuum noſtri cauſa in mortem tradidit, & CHRISTVS ipſe teſtatur, dicens: Nam & pater amat vos. Et de Spirituſancto Apoſtolus ait: Et ipſe poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, id eſt, inſpirat nobis, mouet & excitat nos ad orandum, & virtutibus incumbendum. Sed & teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd filij DEI ſimus, vt ex interno huius teſtimonij gaudio clamare poſſimus in eodem ſpiritu, Abba pater. Quid verò in miſeranda hac lachrymarum valle beatius aut iucundius eſſe queat, quàm vt homo ex teſtimonio Sanctiſpiritus in conſcientia percepto, DEVM poſſit patrem ſuum dicere? Si enim filij ſumus, ergo & fratres & cohæredes CHRISTI. Vide quàm pro te ſolicita fuerit Trinitas adoranda. Contuere, quàm te ab omni æternitate dilexerit Deus. Attendite, quæſo, hæc frigidi ac obdurati filij Adam. Cogitate quàm caro vos precio comparârit. Digniſſimum quidem, quod cor illius concipere, & præcipuum quod di-

uina

uina eius potentia exhibere potuit, pro vobis obtulit, quin & quotidie offert in admirabili Sacramento. Et sicut pater cælestis olim non pepercit vnigenito filio suo, sed pro peccatis hominum in mortẽ, & illam ignominiosissimam, puta crucis, eum obtulit: ita etiamnum nullo non tempore æquè pro peccatis nostris eundem in dignissimo offert Eucharistiæ sacramento. Atq; sicut CHRISTVS patri factus est obediens ad mortem vsque: sic hodieque & ad nouissimum vsque diem, non solùm DEO patri, sed & cunctis hominibus, paternam voluntatem fidis cordibus amorosisq; desiderijs, diligentibus, eidemq; adhærentibus, morem gerit. Quia verò necesse non est, denuò eum mortem subire, quando sacra illius mors ad peccata omnia, quæ iam facta sunt, & adhuc fient, sese extendit, nihilo minùs sacrum corpus, præclaram animam, preciosum sanguinẽ vnà cum meritis omnibus vitæ & passionis suæ quotidie in altaris venerabili sacramento in nostrarum remissionẽ culparum, memoriamq; passiõis & mortis suæ, offerre non desinit: nimirum hoc ipso nobis insinuans, si ita foret necessum, paratum sese esse adhuc quotidie venerandum corpus & sanguinem suum nostræ salutis causa neci tradere. Quo enim amore tunc Christus nos prosequebat̃, idẽ etiamnũ in eo erga nos pseuerat, in æuumq; oẽ perseuerabit. Cuius iam, obsecro, hinc vel saxeum pect⁹ nõ cõpungatur? Cui⁹ hoc ex amore spũs nõ exultet? Cuius cor præ feruẽtissimę charitatis huius ardore non totũ liquescat? Cuius nõ deficiat præ ingẽti admiratione intellectus, vbi immensam erga nos Dei bonitatem & dilectionem contẽplatur, vbi cordis attendit oculis, & conscientiæ trutina examinat, seu lance metitur ingentia DEI beneficia, quæ is contulit in nos

miseros, & indies confert, q̄ certè tanta sunt, vt vix possint esse maiora? En grata Christi brachia, ad nos suscipiẽdum semper extensa sunt. Itemq́; vulnera eius nunquam non patent, parata profluere in omnes qui id appetunt. Vexilla misericordiæ eius perpetuò explicita sunt, vt sub illis protegamur deliteamusq́;, cum semper ipse nos suscipere parat⁹ sit. Immo quod plus est, tanto nostri tenetur desiderio, vt per diuinos tractus, inspirationes, internasq́; repræhensiones suas plùs nos roget, quàm rogetur à nobis: quandoquidem & multo dare nobis paratior est, quàm nos petere. Quid multis agimus? Certè non parum illi dolet, ita in seipsis sua exarescere vulnera, nec posse ea manare in nos, cum paucissimi sint, proh dolor, qui id desiderẽt toto ac integro corde. Vnde & seuerum hauddubiè experturi sunt iudicem, qui modò benignitatẽ & misericordiam eius negligunt, quando tanto ipse erga homines amore flagrat, vt delicias suas fateatur esse cum filijs hominum. Ideoq́; si coaptatis ac pręparatis illi cordibus nostris, opus voluntatemq́; suã illum intra nos exequi pateremur, pro largissima bonitate sua & seipso & cum omnibus donis suis in nos hauddubiè promanaret. Deus nanq; fons viuus est perpetuò scaturiẽs, nec vnquam fluere desinẽs, nisi cũ vasa desunt. Et ipse vno amoris nexu homini vniri, deliciosumq́; habitaculũ suũ ac tẽplum desiderabile intra nos extruere vehemẽter appetit. Immo adeò per amorẽ homini vniri petit, ac si suæ prorsus oblitus potentię & maiestatis, per om̃ia similis hominibus effectus esset. Et quo nos magis in sublime attollere, seseq́; deijcere ampliùs potuisset, atq; iam fecit? Vt suã nobis propiùs coniungere poterat diuinitatem, quàm fecit, dum eandẽ celsissimam ac immortalẽ nostræ mortali copulauit

lauit

lauit humanitati per naturę nostræ assumptionē? Quin & quotidie altissimam deitatem suam, & quicquid est, nobis præbet in cibum. Qui verò interiùs sese nobis coniungere posset, quàm quòd cibus noster effici voluit? Nihil enim adeò propè accedit ad hominem, vt cibus, vtpote qui in illius transit substantiam. Sed & Deus pater plus aliquid præstitit nobis, dum naturam nostram humanā, quàm fieri potuit sublimissimè, in Christo exaltauit, vltra creata omnia ad suam vsq; dexteram eam attollendo, ita vt natura nostra olim maledicta, & damnationi adiudicata, iam benedicta, sanctificata, & vltra omnes sit beatos mirificè erecta: quæq; prius irrisui erat dæmonibus in inferno, modò ab angelis adoretur in cælis. Vt verò Deus maiori nos honore & gloria afficere, aut abundantiorem potuisset nobis exhibere charitatem? Nimirum multo vberiorem salutem & gloriam per Christum dominum ac saluatorem nostrū adepti sumus, quàm per Adam primum parentem nostrum perdiderimus. Quid vltrà à dulcissimo Domino desiderare possumus? Certè cuilibet homini, maximè toto ei corde adhærenti ac diligenti, tam multus tamq; intimè affectus est, ac si cæli terræq; & omnium quæ illis continentur oblitus, totus in illum amore deperiret. Vnde est vox illa amantis animæ in Canticis: Dilectus meus mihi, & ego illi. Tantus nanq; & tam immensus Dei erga eiusmodi animam amor est, vt neminem ipsi præter se diligere videatur. At verò nec omnibus his beneficijs & dilectionis actibus Deus nos sibi attrahere, nec commouere, nec ad suum potest inflammare amorem. Adeò corda nr̄a sensuali dilectione infecta, creaturisque depicta sunt, ac dedita bonis tēporalibus & seculi oblectamentis: necnon honoribus inhiant, & naturæ cupiunt

voluptatibus obsequi & facere satis. His nimirum atq; id genus alijs adeò occupamur, adeoq́ue obstructi sumus, vt Deo cum dilectione sua nullus ad nos pateat accessus. Plorant hoc cælum & terra, in id loci incidisse homines, vt creaturas diligant relicto creatore: vt amore complectantur terram terræque limum, & summum atque præcipuum bonum, quod Deus ipse est, deserant: vt malint serui esse dæmonum, quàm filij Dei: vt libeat magìs esse amicos seculi, quàm amatores Christi: vt denique gratius sit, esse nidum spirituum immundorum, quàm templum spiritussancti. Ah ah diligamus, quæso, qui nos tam immenso amore complexus est: contraque modis omnibus spernamus eum cum vniuersis consilijs ac suggestionibus illius, qui hostis est implacabilis & interfector animarũ, qui in hoc solùm totis incumbit viribus, vt nos secũ ad æterna locorum infernalium tormenta abducere queat.

Oratio deuota pro peccatorum venia, resignatione & amore IESV. Cap. XXV.



Misericordissime Domine IESV Christe, en miser ego & vilis peccator, om̃i qua possum humilitate tuis aduolutus vestigijs, fide integra plenaq; erga imm̃ẽsam bonitatẽ tuã fiducia, necnon intimo de peccatis meis omnibus dolore, altis suspirijs, acerba cõtritione, lachrymisq; feruentibus cuncta mea tibi cõfiteor exactæ vitæ peccata. O benignissime IESV, per infinitam misericordiam tuam sis mihi, quæso, propicius, aperi mihi vi-


hi viſcera pietatis tuæ, aduerte oculós diuinæ gratiæ & clementiæ tuæ ad me miſerum reumq; terræ vermiculum. Ad quem enim ò Ieſu dulciſsime, innumeris onuſtus peccatis & concluſus refugiam, quàm ad te miſericordia plenum? Itaq; oĩa ſimul mala mea, omnem ingratitudinem, ſenſualitatem, iracundiã, inobediẽtiam, leuitatem, immortificationem & cupiditatem meam ſimul in abyſſum proijcio diuinæ clemẽtiæ & gratię tuę, ſacratiſsimaq; & cruenta vulnera tua, quæ in hoc cruciamento horribili accepiſti cauſa ſalutis meæ, oroque te Deus meus, vt oĩa hęc precioſo ac mundo ſanguine tuo ita diluere velis, vt nulla eorum apud te memoria perſeueret. O amabilis Ieſu, vnicũ ſolatiũ meum, en pleno ad te, te feruẽter amandi, cunctaq; quę me à tuo poſsint amore abſtrahere, euitandi affectu ac deſiderio accedo, quo vnus tecum effici merear affectu, voluntate & amore. Enimuerò ſpes mea oĩs, conſolatio & refugium meũ tu es. Quantùm me perturbant & deijciũt peccata mea, tantũ me exhilarat & erigit immẽſa bonitas tua, & merita ſacratiſsimæ paſsionis tuæ. Quicquid enim ego deliqui, morte tua acerbiſsima abolitum eſt. Quicquid mihi deficit, merita ſanctiſsimæ incarnatiõis & paſsionis tuæ abundè adimplent. Et licet magna & innumera ſint peccata mea, parua tamen ſunt, tuæ immenſæ collata miſericordiæ. Vnde & confido de infinita bonitate tua, quòd nũquam me perire ſines, quem creaſti ad imaginem & ſimilitudinem tuam: nec me deſpicies, cuius caro, ſanguis & frater effici voluiſti. Sed & ſpero minimè me abs te condemnandum eſſe, quem tanto redemiſti labore, tam charo emiſti precio. O Ieſu ſuauiſsime, in quo cõfidit anima mea, quem ex intimis opto cordis mei amare medullis, fac me experiri modò

picta-

pietatem ac benignitatem tuam. Non enim ignoras fragilitatem meam. Neminem cælestis pater tuus iudicat: sed peccata mea omnia in tuo statuit arbitrio. Sanctus quoque spiritus omne iudicium tibi tradidit: & quicquid in eũ deliqui, eius negligẽdo gratiam, instinctibus non obtemperando, tractus non sequendo, exactionibus eius seu vocationi non faciendo satis, eius denique amabile opus, proprietate & inquieta occupatiõe mea sæpenumerò impediendo, totum tibi commisit, totum in te reiecit. Salus mea omnis in manu tua est: quicquid ignoueris, remissum erit. Tantùm si voles ò dulcis Iesu, non deerit tibi me sanandi facultas. O clementissime Iesu, miserere mei per sanctissimum nomen tuum. Quid enim aliud significat mellitum hoc nomen tuum IESVS, nisi saluatorẽ? Ergo bone IESV, sis mihi IESVS. Cur irasceris in folium quod vẽto rapitur, & stipulã siccã persequeris? Cur obliuisceris mei, qui fragile vas testaceum sum, quod fecerunt manus tuæ? Quanuis offenderim te, sed homo sum in iniquitatibus conceptus: descendat ad me gratia tua: fluant in me vulnera tua: appropinquet balsamum salutiferum preciosi sanguinis tui ad animam meam, & saluus ero: quandoquidem paratus sum gratissimam exequi voluntatem tuam. Quid me vis facere DOMINE? En totum me tibi offero, corp⁹, animam, cor, sensus, memoriam, intellectum, voluntatem, & quicquid sum, paratus sustinere, quicquid me facere voles in tempore & æternitate, carendo & accipiendo, dimittẽdo ac patiendo. O Iesu vnice amor meus, da mihi te amare medullitus: neq; enim aliud peto, nisi vt te perfectè diligam. Permitte mihi esse amatorem tui. Iussisti quidem DOMINE, vt te diligam toto corde: sed da etiam quod iussisti, & iube quod vis: traijce, quæso,
cor

cor meum suaui iaculo igniti amoris tui, vt cunctis vitæ meæ diebus amore langueam. Presta mihi tam amare te medullitus, vt ipse à me amari vis. Fac me agnoscere Deus meus, quantoperè me amâris, vt toto vitę meę tempore, omni virium mearum facultate, tuæ adnitar dilectioni vicem rependere & facere satìs. O IESV bone, adeò cor meum mellifluo inebria ac imple amore tuo, vt mundus omnis mihì in nauseam & crucem acerbissimam vertatur. O IESV amabilissime, te amare, te suscipere, te comedere, te animæ meæ vlnis amplecti desidero, te in intimis conseruare pectoris mei aueo, vbi iam nemò te mihi eripiat, vbi te solo fruar, vbi tecum in pace imperturbabili requiescā. Ibi mihi potum vberem dabis ex flumine cęlestis diuinęq; doctrinę tuę: ibi me secretiores docebis semitas, quibus ad te tutò certoq; perueniatur: ibi prorsus deduces & abscondes me in mellitis vulnerib⁹ tuis, ac amabili corde tuo, donec hyems vitiorum abeat, tentationum sæua tempestas sopiatur, & fulgentissimus diuinæ gratiæ tuæ sol, fundum animæ meæ totum perlustret, cor meum penitus infl mmet, & in omni faciat virtute virere. Amen.

Ie. . . spinis coronatur. Cap. XXVI.



Nde iam Saluatore nostro tam dirè flagellis cæso & cruentato, vt nulla pars in om̄i illius corpore salua permanserit, esletq; corpus illius non nisi vulnus vbertim promanans, ita vt cunctis esset aspectu horribilis, à columna absolutum, nudum ac sanguine fluentem circunduxerunt, quærentes vestes illius: quas dum eum exuerunt, præ ira ac malitia per

atrium ſparſerant. Agè videamus nunc, quàm miſerandum in modum amabilis Ieſus illic incederet doloribus plenus, præ frigore tremebundus, ſanguinem manans, adeò vt ſingula quæq; veſtigia roſeo ſuo ſignaret cruore. Hoc eſt quod Propheta, ex angelorum ſeu animarum amantium perſona tanquam ad Dominum loquente, ait: Quare ergo rubrum eſt indumẽtum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcãtium in torculari? Reſpondet Ieſus: Ideo rubent veſtes meæ ò ſpõſa mea, quia torcular calcaui ſolus. Aſpice nunc ò anima diuino ardẽs amore, aſpice, inquam, intima cum compaſsione, vt affectus eſt dilectus tuus. Ipſa quidem per voluptatem peccaſti, & Chriſtus magnis cruciatibus luit pœnas tuas. Ipſa concupiſcentijs carnis & ſanguinis obſequuta es, & CHRISTVS carnem & ſanguinem ſuum pro tuis erratis ac ſceleribus, tam inhumanis tradidit pœnis afficienda. Porrò, cùm ſe Dominus indueret, conſilia inter ſe egerunt ſatellites diaboli, dicentes: Seductor iſte regem ſe profeſſus eſt: itaque afficiamus & coronemus eum vt regem. Moxq́ue tota coacta cohorte in prætorium, IESVM pariter adduxerũt, vt coram omni populo ludibrio & contemptui haberetur, ſicq́; maiori pateret confuſioni. Ibi iam denuò veſtes, quas vix bene induerat, multa cum ferociter ei abſtraxerunt, veſtemq́ue purpuream ſeu coccineam circundedêre. Deinde coronam è ſpinis contextam, loco regij diadematis, ſancto illius capiti impreſſerunt, data ei ſceptri vice arundine in manus: flexiſq́; genibus irridiculè eum adorârunt, dicentes: Aue rex Iudæorum. Egredimini modò filiæ Sion, videte verum Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua, in die lætitiæ cordis eius. Verè dilexit nos, & languores

noſtros

nostros ipse tulit, infirmitatesque nostras ipse portauit. Quæso non vulgari cum compassione eamus visum, quàm horribiles hic nostris pro peccatis filius Dei cruciatus pertulerit. Alta trahamus imo ex pectore suspiria, in lachrymas erumpant cuncta membra & omnes venæ nostræ, quòd nos pœnarum istarũ causa sumus. Colliquescat præ dolore cor nostrũ, totumq; resoluat in lachrymas, q̄ Deum, q̄ creatorem nostrum execrandis nostris sceleribus tam dirè coronauerimus. Enimuerò cunctæ hæ spinæ contextę, quid aliud sunt, quàm crudelia nostra peccata, quę coaceruauimus? His quotidie venerandum Christi caput inclementer vulneramus, multoq; maiori eũ dolore & contumelia afficimus, quàm qui eum tempore passionis his pœnis excruciârunt. De illis enim scriptum est: Si cognouissent eum, nunquã Dñm gloriæ crucifixissent: nos verò & nouimus regem hũc omnipotentẽ, & illius voluntatem & iussa perspecta habemus, & tamẽ obedire ei recusamus, nihil pudet nos tam potenti resistere Dño, eiusq; iussa contemnere, cùm tamen nihil ille nisi nostrã petat salutem, vtq; ipsius simus cohæredes in regno patris eius, necnon vt sanguis, passio & labor suus nobis cedant ad salutem. O quis dicẽdo possit consequi, quàm impatibili Dominus IESVS dolore correptus fuerit, cùm horribilis ei corona spinea tam inclementer imponeretur? Vt enim quidam affirmant, erat illa corona ex iuncis marinis, qui sunt peracuti & rigidi admodum: & horum quidem non paruam connexuere copiam, in pilei eam formam redigentes, ita vt aculei magna ex parte ad caput adiungerentur: tumq; tanta cum violentia & crudelitate sacro Christi vertici diram hãc coronam appresserunt, vt quemadmodum D. Bernardus

dus ait, aculei cerebrum attingerēt, ipsas quoq; venas, neruos & ossa capitis penetrantes, adeò vt sanguis illius sacro permixtus cerebro, vbertim per faciem, per collum, perq; capillos deflueret. Expendat hic quisque secum, qualis hæc pœna fuerit. Quid si cuipiam ingens aliqua spina in caput infigeretur, quonam futurus esset animo? Et certè, vt Anselmus author est, Christi venerandum caput vel mille aculeis compunctum est. Imprimamus, oro, cordibus nostris miserabilem hanc figuram seu speciem, vt nunquam indè recedat. Ah quàm deformis effectus est pulcherrimus omnium creaturarum? Vt elegantissima Christi facies om̄i decore & specie destituta est, vtpote ex verberibus & plagis nimijs, quibus ea nocte affecta erat, tumida, vnguium lacerationibus diuulsa, necnō sputis ac phlegmatib⁹ cōmixtim in ea fluentibus, iamq; concretis, turpiter defœdata: & recentis deniq; sanguinis huius cerebro admixti profluuio irrigata, ita vt tam miseranda esset species saluatoris, vt hominis præ se non ferret imaginem? Reuerà non posset quis etiam bruto animanti non compati, si id ita affectum videret. Hinc Dominus ad animam in Canticis ait: Aperi mihi cor tuum soror mea, columba mea, sponsa mea, & tāgat illud acerbissima passio mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium, id est, peccatorum: hoc est, caput meum totum madet sanguine, idq; ob peccata tua. Neque tamen immitissimi canes illi omni hac sanguinis effusione satiati, non immani hoc cruciatu & stupenda Christi patientia ad cōpassionem moti sunt: quin rabidus eorum animus magis ad malitiam inflammatus est, ita vt deformem Christi vultum, adeò miserandum in modum affectum, denuò conspuerent, contunderent, & quicquid contume-

contumeliæ, contemptus, molestiæ, aspernationis, vilipensionis, diabolico suo poterant corde concipere, agno mitissimo irrogarent. Iam caput agitabant, iam fremebant dentibus in eum præ furoris insania, vt propheta ait: quandoquidem nesciebant quid in eum afflictionis & pœnæ, quídve contumeliæ conferrent. Semper enim cor eorum diabolicũ magìs eũ torquere cupiebat, nec cruenta illorum sitis tantis potuit expleri cruciatibus. Hinc genua flectentes, irridiculè adorabant eum, dicentes: Aue rex Iudæorum. Quia verò Christus omnia hæc mirum in mòdum patienter ferebat, ita vt ne semel quidem faciem suam ab eorum verberibus & sputis auerteret: tanto agitabantur furore, vt exilientes è terra, rapta è manu eius arundine, horribiles in caput eius ictus darent, quibus spinarum aculei altiùs sancto illius cerebro infigebantur, adeò vt hæc pœna etiam cor illius attingeret, fluẽte precioso sanguine vbertim per amabilem faciem atque collum. Nihilominùs sedebat illic agnus innocẽs pleno affectu, omnẽq; hanc prorsus inhumanam afflictionem & pœnam ꝓ nostris fœtidissimis peccatis ad æterni patris gloriam patientissimè tolerabat. O vos superbi, vos putidi peccatores, vobiscum (quæso) expendite, quanta sint peccata vestra, quæ tali castigatione, tam seuera correctiõe expiari oportebat. Nisi grauiter offensus fuisset æterni patris animus, nunquam filius Dei tanta pateretur. Nisi planè ad mortem fuissent vulnera vestra, nũquam pro eis abolendis Dei filius mortem subiret. Itaque in suum peccator quisq; condescẽdat, ibiq; altis suspirijs, acerbisq; lachrymis se horum immanium Christi cruciatuum causam esse fateatur & agnoscat. Enimuerò vt à nobis peccatum erat, ita Christus pœnas luere voluit.

Quádo nanq; ſtudioſè admodũ in hoc incũbunt hoĩes, vt caput ſuũ ob hoĩm captandã gr̃am exornent, ſatisq́; in hoc ſuperbiũt: idcirco Chriſtus Ieſus tã dirè in ſuo tort⁹ eſt capite, vt eiuſmodi hoĩm peccata expiaret. Veſtitus eſt etiã purpureo & coccineo veſtimento. Purpura ſanguine tingit piſcium, rore cæli viuentium: ſignificatq́; nobis cordis pietatem: quandoquidem hæc virtus hominis ſanguinẽ ad omnes illius venas diducit, exhilaratq́; & illuminat cor, & accendit ſpiritũ ad cõpaſſionem & amorem. Pius corde, delicioſè natat in gratia, ceu piſcis in vndis: viuitq́; cor pium ex rore cæli, id eſt, ex influentia ſpiritus ſancti. Et hæc quidem omnia in Chriſto cernere licet. Ipſe nanq; tempore paſsionis ſuę iuuenis erat formoſus, omni gratia plenus, abundè perfuſus gratia & amore, vtpote qui cuncta opera ſua ex amoroſo, iucundo, pio & hilari fundo ad æternam patris gloriam peregit: necnon precioſum ſanguinem ſuum ad extremam vſque guttulam pro ſuarum ſalute creaturarum largiſsimè effudit: Cumque Iudæi die feſto ac ſolenni præclarum hunc piſcem neci darent, veſtis corporis eius purpureo eſt tincta colore. Sic & quòd coccinea tectus eſt chlamyde, id eſt, veſte rubea bis tincta cruore vermiculorum, charitas nobis ſignificatur, virtutibus cunctis ornatum addens, quam & oportet ſemper nos præcipuam ac ſuperiorem habere veſtem. Eſtq́; diſcolor ſeu bis tincta, quòd nos & Deo coniungat & proximis per dilectionem, haud ſecùs quàm ignis, quæcunque incendere poteſt, ſibi copulat, in ſuamque tranſmutat ſimilitudinem. Sic etiam quiſquis in ſeipſo humilis ac puſillus eligit eſſe vermiculus, feruenſque amore erga Deum ſuum, cocco inficit veſtem ſuam, dum ad Dei gloriam, proximorumque

fructum

fructum & salutem, sanguinem suum absumit. Ardens nanq; amor, quo feruet erga Deum, illius supremum sitiens promouere honorem, laudemque augere, ignitumq; desiderium cunctos ad præcipuam perducendi homines beatitudinem, quo Deus in omne æuum ab eis laudetur: hæc, inquam, tam magna & vehementia in eo sunt, vt eum intrinsecùs liquescere, consumi, & foràs sese exerere faciat, ita vt cunctos adeò ex ardenti amore sic charitate complectatur homines, maximè quos aliqua premit miseria vel calamitas, vt inferni cruciatus pro hominibus vniuersis perpeti optaret, si sic visum esset Deo, ad illiusq; id cederet honorem: quemadmodum Moses pro filijs Israel deleri voluit è libro vitæ, & Paulus optauit anathema esse pro fratribus suis. Sic igitur Christus fecit. Humiliauit sese in natura nostra subter homines vniuersos: & non se hominem dixit, sed vermem, ex limo terræ nascentem, eo quòd & ipse naturam humanam assumpserit ex præclara illa terra virgine Maria. Absumpsit autem & sanguinem & medullas ossium in amore, præcipueque executus est opera charitatis ad gloriam Dei patris & cunctorum salutem mortalium. Hac ergo de causa Christus IESVS humilis animarum amator, vestem nuptialem purpuream coccineamque gestauit, scilicet in argumentum atque signum euidens ineffabilis pietatis, & incompræhensibilis charitatis suæ. Atque in ipso desponsationis suę die viridem tulit coronam, rubentibus ornatam rosis, id est, roseo suo tinctam sanguine, hoc ipso significans nobis, pium se esse ac mansuetum regem, verumq; principem amoris.

Oratio pro illuminatione. Cap. XXVII.



IESV speculum veritatis æternę, lux omnem illuminãs hominem, lux cunctas illustrans tenebras, lux cui nullæ officiũt tenebræ, lumen quod nulla alia potest augere lux, lux ad quam lumen omne deficit, lumen omnem augens lucem, lux vnde suscipiunt omnia lumen, lux omnem creans lucem, lux omnem conseruans ac moderans lumen. O lux quam videbat Thobias, cùm oculis clausis doceret filium suum viam vitæ. Lux quam videbat Isaac intus, cùm caligãtibus oculis foris filio suo futura narraret. Lux, quã cuncti sunt illustrati prophetæ, vt longo pòst futura tempore occultaque cognoscerent, abditaq; sacramenta & mysteria prophetarẽt. Lux quæ dixisti, Fiat lux, & facta est lux. Ecce tenebrę occupant faciem cordis mei, ita vt lumẽ cęli videre nequeã. Dic ergo & animę meæ, vt fiat lux, & fiet. Mox enim micantes radij ex te vera ac fontali luce corusco radiabunt fulgore in abyssum cordis seu fundi mei, & nox mea in claram immutabitur diem. O lux incõpræhensibilis, ita me tua claritate illustra, vt contempler te Deum meum in teipso, me in te, & cuncta infra te. O lumen infallibile, cui nihil est absconditum, cui soli corda omnium filiorum hominum perspicua sunt: illumina, quæso, secretos cordis mei recessus, vt peccata occulta, in eis latẽtia, agnoscere queam: nec illa tantùm peccata, quæ ex vitioso inimici semine concepta sunt, sed & propensiones quoq; animi & occultas radices, quæ noxiũ hostis semẽ in me denuò generârũt, excitârũt, per quas opus tuum in me impe-

impeditur ac differtur, virtutes premuntur, & hortulus cordis mei, qui pro tui consolatione excolitur, tam inhonestè cómaculatur, fitque syluestris & horridus. O fulgentissima veritas, quis sua peccata rectè intelligat? quis bene discernat quid gratum, quídve ingratum tibi sit, quid suggerat nobis spiritus tuus, quídve noster sensualis spiritus consulat? Nimirum absque te vitiosa sunt omnia, fragilia & immunda: sine te cuncta mihi tenebræ sunt: absque te deficit mihi veritas omnis, iudicium omne, scientia & discretio omnis. Dum tua abest illustratio, vanitas videtur veritas, malitia iustitia, vitium virtus. Simul enim mecum creuit ignorantia: multiplicatæ sunt iniquitates meæ super capillos capitis mei, & non potui vt viderem. Impurarum nebula cogitationum adeò obscurauit cor meum, vt lumen gratiæ tuæ contemplari nequeam. Cæcus ad infernum perducor. Ah Deus meus, da mihi vt videam: illumina interiores oculos meos, ne vnquam obdormiam in mortem, nequando dicat inimicus meus, præualui aduersus eum. Dirumpe velum ingens, quod medium se obiecit inter te Deum meum & me seruum tuum: aperi obuelatos oculos meos, vt veritatis cognoscam iter, sacrisque inhæream vestigijs tuis. O IESV sol perlucide iustitiæ, illumina me sedentem in tenebris, & in mortis vmbra degentem, dirigens pedes meos in viam pacis, per quam venire mihi liceat ad locum tabernaculi admirabilis, ad magnam domum tuam, in voce exultationis & confessionis. O fons inexhaústæ pietatis, ex quo gratia & bonitas omnis promanat: fluat, obsecro, ros pinguis largæ gratiæ tuæ in arentem animam meam, prius quàm moriatur, quandoquidem aruit vt testa virtus mea.

Subueni miserę creaturę tuę, quã fecit oĩnipotẽs bonitas tua. O fons essentiæ meæ, ex nihilo me fecisti, & ecce reuertor in nihilũ, nisi tu me modereris atq; conserues. Quando perieram, redemisti me: sed rursus pereo, nisi succurras mihi. Tu nanq; es verbum Dei, per quod facta sunt omnia, & sine te factum est nihil, & ecce ego sine te nihil effectus sum. O IESV bone, quem non piguit ex cælo descendere, vt reparares quod corruerat, veni & ad miseram animam meam peccatis corruptam & mortuam, vt per te renascar. Sine te nanque vitam non habemus in nobis. Audiam suauem vocem tuam, per quam mortui reuiuiscunt, spiritus nequam fugantur, morbi omnes curantur, vt & spiritus meus per te sanetur, exciteturque, exultetque præ immenso gaudio in digna laude & gratiarum actione. O speculum diuinæ claritatis, purifica & adapta interiores oculos meos ad te contemplandum. Hanc enim ob caussam amabilis facies tua sputis & sanguine fœdata est, pugnis cæsa: ipseque totus absque specie effectus es, vt faciem cordis mei emundares, purissimoque sanguine tuo ab omni vitiosa labe expurgares. Sic & externi oculi tui tempore passionis tuæ velati & operti sunt, vt internos intelligentiæ meæ obtutus detegeres, ab omnique nudares medio, distractione, imagine ac multiplicitate: vti nudo intellectu perspicuoque aspectu in tuam possem intendere æternam diuinitatem, & in te fontem essentiæ meæ, vtque spiritum meum semper haberem nudum atque detectum ceu viuum quoddam ac lucidum speculum, in quo æternam possem excipere diuinæ imaginis tuæ similitudinem: nec vllum aliud cordis mei oculis opponerem obiectum, quàm ipsum cruentum corpus, deformem vultum, & caput tuũ spi-

nis

nis coronatũ:simulq́; per miserandam hãc & excruciatam imaginẽ tuã, superbiam omnem & seculi vanitatem hominumq́; applausum & fauorem fortiter aspernarer. O misericordissime Deus, da mihi tãtam tui notitiam, quanta mihi necessaria est ad obtinendũ verũ tui amorem:quandoquidẽ diligo te,& magis magisq́; amare desidero:itaq; adiuua me, vt amem te. Vulnera cor meum iaculo amoris tui:& presta,vt tanto cum ardore te diligam, quanto ipse à me vis amari. Neq; eñ dulcius mihi quicquã est,quàm amare te Deũ meũ:neq; acerbi⁹ quicquã,quàm re qualibet à tuo impediri ac alienari amore. Quicquid eñ infra te est,magna mihi egestas & afflictio est, immo & velut hostis capitalis,à te dulcissimo cordis mei dilecto me cupiens separare. Sed & sine te mihi ipse grauis crux sum, & infernus intolerabilis. O inextinguibilis ardor amoris, qui semper ardes,nec nunquam extingueris:totum me accende,totum me exure, vt totus in me deficiam, totus per tuum transformer amorem:totum me liquefacito, vt totum me in te amittam. Absume me Deus meus totum in ardore feruentissimi amoris tui, vt meijpsius & omnium quæ in mundo sunt, perfectè oblitus, te summum ac excellentissimum bonum amoris vlnis amplectar. Quæso Domine, per bonitatem tuam adeò me tibi insere ac vni, vt vnum tecum effectus, in te vno sempiterno perenniter requiescam. Amen.

Exhibetur Christus populo spectandus à Præside dicẽte, Ecce homo. Cap. XXVIII.

POst hæc IESV tam inhumaniter tractato, omnique in eum effusa virulenta malitia sua, nec



ſic tamen ardēs Iudæorum furor & odium refrixit, nec ſitis cruenta extincta eſt. Neq; enim cōtenti erant, Dei filium tam turpiter illuſiſſe atq; habuiſſe cōtemptui coram omnibus illis, qui in prætoris ædibus erant, inſuper & foras eū produxerūt omni illi aſpectandum populo, qui ne contaminaretur, non fuerat auſus ingredi prætorium. Quia enim Pilatus prophanus & ethnicus erat, fas non habebant Iudæi illius ſubire tectum. Itaq; verebantur contaminari, ſi ethnici domum ingrederentur, nec tamē metuebant innoxium Chriſti ſanguinem in ſe recipere. Paſchalem edere agnum cupiebant, nec formidabant verum illum paſchalē agnum iniuſtè neci dare. Itaq; Pilatus JESVM tam dirè excruciatum, turbę ferocienti ſpectandum exhibuit, dicens: Ecce adduco vobis eum foras. Videte, quàm grauiter in eū animaduerſum ſit, quàm diris ſit verberibus caſtigatus. Queſo aduertamus nunc, idq; ingēti cum compaſsione, quàm miſerabiliter illic Dominus ſteterit, veſte tectus contemptibili ac deridicula, item ſpinea corona, ſceptro arundineo, cruentis vulneribus, membris attritis, horribili ac ſqualido corpore præ frigore tremebundo, ac diſtillante ſanguinem. Aſpiciamus etiam interno cum dolore amabilem vultum eius, in quem deſiderant angeli proſpicere, vt eſt miſerādum in modum immitibus affectum plagis & tumidum, vnguium diſcerptionibus lacerum, ſanguine pariter ac cerebro mixtis infectum & coloratum, phlegmatibus fœdum, ita vt humanam penè ſpeciem amiſerit. O quem iſta non mouent, ferro & adamante durior eſt. Cumq; ita Chriſtum Pilatus populo prçſentaret, ait: Ecce homo. Quod diuerſis poteſt modis intelligi. Pater quidem cæleſtis ab om̄i nos ęternitate dilexit, eſtq; hæc voluntas eius, vt ipſi in amore

pro

pro nostro modulo respondeamus. Itaque dicit animæ humanę: Ecce homo, respice me, vt à me ipsa respiceris: ama vt amaris, cognosce me, vt ipse te cognosco. En amplissimum mei in te amoris testimonium fert vnigenitus meus, quem equidē totum pro te tradidi. Non corpus, non anima, non sanguis illius tanti apud me fuit, vt eum tui causa tradere dubitarem. Immo si quid preciosius, si quid melius paterno potuissem corde concipere, & id quoq; tibi donassem. Ecce homo, altissimam diuinitatem meam in humanitate filij mei tibi dedi, cùm sit vnus mecum & in me, idemq; verus ac inseparabilis Deus, & quisquis eum recipit, me recipit. Dedi insuper tibi Spiritum sanctum meum, vt is te mundaret, confortaret, illustraret, veritatem omnem edoceret & iustitiam, suo inflammaret amore, solaretur item, cūctisq; donaret charismatibus virtutibusq;. Ita eñ complacuerat mihi in te, & inueneras gratiam in oculis meis, simulq; cor meum apposueram ad te, eligens te in dilectam sponsam meam. Sic nanque decretum est mihi, habere in te delicias & oblectationes meas, vtpotè in qua constitui & elegi templum, cubiculum & habitationem meam. Ecce homo, meipsum totum minimeq; diuisum dedi tibi: volo ergo, vt & tu tete mihi totum ac indiuisum, totumq; esse & posse tuum reddas. Purissimo te amore complexus sum absque vllius vel muneris vel compensationis tuæ intuitu: æquū proinde est, vt & tu vicissim purè me absque mercedis cōtemplatione diligas: id est, vt me purè ames propter memetipsum: vt sim ego merces, spes & scopus tuus, diligasq; me, eò quòd ipse te dilexerim, & vt à me diligi merearis. Et si amoris mecum iura inire volueris, dignaq; fieri quæ à me ameris, voluntarium sis viuumq; oportet instrumentum, teq; à

me agi patiaris, totum te mihi offerens ac resignans absque vlla optione vel electione, sinésq; quicquid mihi visum fuerit, tecum agere, & in tempore & in æternitate. Prorsus, inquam, ita necesse est, vt mihi operãdi, tibi patiẽdi & dimittẽdi vices relinquas, petasq; à me medullitus, vt perficiat in te id quod ab æterno ipse cõstitui ac præordinaui, teipsum penitus abnegãs, mihiq; in te operandi faciens copiam & potestatem. Integra quoq; cum fidutia erga bonitatem meam mihi adhærebis, cuncta cum ingenti gratitudine recipiens de manu mea quæcunque tibi euenire permisero, tam aduersa quàm prospera, & tentationes, & afflictiones, & derelictionem, & angustias &c. omnino confidens in bonitate mea, mittere me ista tibi, ceu optima maximeque salutaria tibi & vtilia, simulq; exercens te in eis. Quòd si stabiliter tecum perseuerãs, fundum tuum obseruaueris, agnosces plane, cur ista tibi occurrere permiserim, quodq; maximè sic necessarium tibi fuerit, & in rem tuam. Cum primis verò id te curare velim, ne operationi meæ resistas obstinatione, proprietate, euagatione & negligentia seu dissolutione tua. Cæterùm in qualibet afflictione, angustia & derelictione tua, quam euenire tibi permisero, tantisper permanere ac perseuerare desiderabis, quoad mihi visum fuerit, vt inde te absoluam eripiamque: feresque crucem illam ad finem vsque mei causa. Siquidem ita tentationibus & molestijs excutiaris ac agiteris oportet, donec palea omnis cupiditatis, proprietatis, vitiosæ propensionis à te separetur, elatusque ac rigidus animus tuus istis ceu mola quadam conteratur, donec in oculis tuis instar pulueris aut cineris nihili fias, ita vt non agnoscas modò, sed & sentias

&

& miserrimum & vilissimum te esse mortalium omnium, quos mundus habet: adeoq; ab omni exuaris propria voluntate & electione, vt quicquid DEVS tecum & creaturis omnibus fecerit, ita tibi gratum sit, vt secùs fieri nec optare velis, etiamsi creaturæ omnes cunctaque elementa tuo imperio subiacerent. Verùm antequàm huc pertingatur, hoc opus, hic labor est, multasq; hui⁹obtinendi gratia cruces laboresque, immo & mortes spiritales subire oportebit. Priùs enim quàm fructum ferat, granum frumenti in terra moriatur necesse est. Nimirum hæ duæ sunt alæ fidæ admodum, quæ nos compendio celeriterque ad spiritualem perfectamque subuehant vitam, abnegatio videlicet sui, & patiens tolerantia aduersorum, seu abnegare & pati. Quisquis enim simpliciter DEO se resignare nouit, illi nec tentatio, nec afflictio, nec infirmitas, nec aduersitas vlla accidere potest, quin ei cedat ad virtutis incrementum: id quod Apostolus testatur his verbis: Scimus, inquit, quoniam diligentibus DEVM omnia cooperantur in bonum. Itaque si quis omnia æquo ferat animo, ex cunctisque sibi accidentibus sese exercendi sumat materiam, obseruato diligenter fundo suo, paternam intus vocem audiet loquentem sibi: Ecce homo: Nosce teipsum: Scito quid sis: agnosce nimiam immortificationem tuam, multipliciaq; vitia tua latentia in fundo tuo: aduerte nihil te esse, nihil habere, nihil posse ex teipso. Ideoq; sine me intra te operari. Adhæreto mihi per amorem, serua mihi fidem: & quicquid tu viribus tuis non poteris, ipse pro te faciam. Tum verò in hac cognitione sese eiusmodi homo exercebit, sublatisq; cũctis defectib⁹ atq; crucib⁹ suis, accedẽs cũ eis ad

Deum

Deum, gratias illi aget, quod se suam fecerit nosse vilitatẽ: respondebitq́; DEO, dicẽs & ipse, Ecce homo. En Domine DEVS meus, miser ego sum, ineptus, infirmus, nihil valens, conceptus in peccatis, in miserijs natus, enutritus in vitijs. Contra quem ò Domine ostendis potentiam tuã? Ecce homo. Noli indignari aduersus folium quod vento rapitur. Noli ò pie Domine obliuisci inopiæ & fragilitatis meæ, nec subtrahas à me auxiliũ gratiæ tuæ: quandoquidem homo sum ego & testa fragilis, immo vermis sum ego, & non homo: canalis immunditiæ plenus, per quem vltrò citroq́; sordes decurrunt. Quoniam dereliquit me resistendi virtus, & iam victus sum. Miserere mei tu Deus meus. Pugna pro me, operare in me, fac mihi vt vt volueris. En totum me tibi resigno. Noui enim naturam tuam esse bonitatem, & proprium esse tibi, misereri semper & parcere. Omnem malitiam meam proijcio in infinitam bonitatẽ tuam. Dedisti mihi nosse vitia mea Domine, da & vincere. Euelle radicitus ex me immunditiam omnem vitiorum, & quicquid displicet tibi, rursusq́; diuinum amorem tuum & virtutes omnes insere mihi. Denique per hanc fragilitatis suæ agnitionem, vitiorumq́; suorum contemplationem sæpius maiorem homo profectum faciet, si tantùm bene in his sese exerceat, quàm si interim in alijs quibusdã sublimibus exercitaretur. Enimuerò si funditus quis emundari debeat, prodant se oportet vitia in ipso latentia, tumq́; ipse sedeat cum sancto Iob in sterquilinio & luto vitiorum suorum, idq́; multo cum dolore & angustia, radens testa saniem & immunditiam vulnerum suorum, id est, impuras fluxasq́; cogitatiões ex sensuali corruptaq́; natura nascẽtes, cũ labore & dolore detergẽs: faciatq́; in his exercitium suum, ita vt graui cum labore agrum conscientiæ

entiæ ſuæ proprio fimo & colluuie ſtercoret, fructum quandoque gratiſſimum prolaturum. Tantiſper verò in his ſe exerceat oportet, totiesq; his moriatur vitijs, eaq; vincat, atque cum eis ad DEVM accedat, cunctaq; vitia ſua & culpas toties in eius iactet vulnera, in eiſdemq; diluat, & in diuini amoris eius flamma exurat, donec ſentiat ea à ſe penitus diſceſſiſſe, ab eiſdemq; liberatum ſe à Deo. Poteſt autem hoc ipſum, Ecce homo, & ita accipi, tanquam filius ipſe dicat: Ecce homo, vide quid fecerim tibi, ab omni æternitate agnoui te in eſſentia mea, quandoquidem ab æterno in me fuiſti eiuſdem mecum eſſentiæ ſecundum ideam. Inſuper & creaturam te feci, tam pręcipuò te amore cóplectens, tamq; excellenti donans gratia, vt ad imaginem & ſimilitudinem meam te creârim. Vtq; ſcires quàm generoſam & elegantē te fecerim, nihil dubitaui ipſemet accipere naturam tuam, imprimens ei imaginem venerandę diuinitatis meæ. Factus ſum caro & ſanguis tuus, quo te redimerem. Creaui animam meam vnà cum omnibus viribus eius, implens eam cunctis ſpiritalibus donis & chariſmatibus, quò cunctas virtutes probè exercerem, tuaſq; ſupplerem defectus omnes, pro tuis ſatisfacerem delictis, vitamq; tibi obtinerem & mererer æternam. Ecce homo: Ego qui ex ventre diuino cæleſtis patris mei ante omnia ſecula miro quodam ac ineffabili modo genitus ſum, eidem patri meo ſemper æqualis in potentia & gloria permanens, mortalem tuam non ſum dedignatus naturam aſſumere, trigintatres & eo ampliùs annos factus ſeruus tuus, in multa paupertate, humilitate, labore & afflictione operans ſalutem tuam, factus etiam ſum tanquam exul à regno meo, vt tu hæres fieres: vt hoſtis quoque patris mei effectus ſum, ab eoq; dereli-

ctus & correctus castigatione crudeli,permisiq; in me eius iram deuolui,vt tu inuenires gratiam,& amicus atque filius DEI efficereris.Denique omne debitum tuum in me recepi,quiq; iudex tuus erã,ac iure æternæ te damnationis sententia ferire poteram, tactus misericordia,sub rei specie memet in mortem ignominiosissimam vltrò tradidi pro peccatis tuis, exponens me totum ad extremam vsq; sanguinis guttulam.Insuper ipsum cordis mei cruorem potandum tibi præbui ex amore purissimo:factus sum vermis,non homo,cui obloquerentur & illuderẽt omnes,opprobrium item hominum,& abiectio seu nausea plebis. Velut botrus in passiõis torculari expressus sum.Aruit tanquã testa virtus mea,& decocta est amoris igni:& quomõ nix liquescit ad solis aspectũ,ita in oculis patris mei exhaust⁹,absumpt⁹ & liquefactus sum salutis tuæ gratia. Ecce homo. Quid vis vt vltrà faciam tibi?vt maiorẽ tibi amorẽ,fidẽ,beneuolentiã seu benignitatẽ exhibere poterã? Vide vt hic deformis assisto pro peccatis tuis, vt ego Dñs dominorũ supernè ac infernè derelictus sum,& contẽptus ab oĩbus. Aspice vt cruciat⁹ spinarũ istarũ medullas cõfixerit cordis mei,quò spinas & tribulos euellerẽ vitiorũ tuorũ: à summo capitis vertice ad imas vsque pedũ plantas,non sum nisi vulnus sanguinẽ manãs, vt te perfectè ab omni læsione curarẽ. Quæ tu naturæ sectãdo oblectamenta malè meritus es,ego tanta pœnarũ acerbitate & amaritudine dilui,adeoq; totũ te laui precioso sanguine meo ab oĩni macula vitiorũ,vt mihi grat⁹ fieres & acceptus. Ecce homo,sit penes te iugis memoria charitatis hui⁹, quantoq; te studio,labore,dolore quæsierim:nec posthac alieno sis in me animo: Vide si est dolor vllus, qui meo possit dolori æquiparari:Vide si quis vnquam reus

& flagitiosus suis pro sceleribꝰ tales luit pœnas, quales ego tuli pro peccatis tuis. Ex his verbis sancta Ecclesia mater nostra instituit, vt sacra hostia eleuetur, & cũctis ostendatur sub Missæ sacrificio, tanquam diceret: Ecce homo, excitans nos velut pia mater, vt incarnationis, natiuitatis, passionis, mortis, resurrectionis, & vniuersæ denique charitatis & beneficiorum omnium CHRISTI memores simus: quandoquidem Sacrum siue Missa in memoriam dilectionis & operum DEI, quæ nostri causa ille peregit, instituta est. Eadẽ ex causa decretum est, vt in templis omnibus veritatis speculum, id est, imago sanctę crucis Christi IESV collocetur, vt quoties tẽpli limina subierit, contempletur homo figuram cõditoris sui in crucis patibulo pendentis: moxque ei in mentem veniat admirabilis amor iste, quem hoc ipso hominibus declarauit, adeoque se in hoc exerceat occupetque, vt quarumlibet extranearum imaginum externarumque occupationum obliuiscatur, putetq; intus se imaginem alloqui his verbis: Ecce homo, vti hic pendeo contemptus, illusus, extentus, clauis confixus, sauciatus, omni solatio destitutus, nudis brachijs ad te expansis, vt te in gratiam recipiam: capite demisso, vt pacis & reconciliationis osculum tibi præbeam: latere & corde aperto, vt te ceu electam sponsam meam in gratissimum cordis mei cubiculum introducam, ibique æterno complectar amore. Tum verò homo, tanquam amabili hac CHRISTI voce inuitatus ad accedendum ad suauissima vulnera eius, plenã se fiducia ad DEVM conuerteret, & ad clauis confixos pedes CHRISTI, quàm posset maximè submissa humilitate, aduolutus, cogitaret omnẽ hunc acerbum dolorẽ Deo ac domino

mino suo putentibus se peccatis suis inflixisse, simulq; peccata sua omnia Domino acerba cum contritione & feruẽtibus lachrymis humiliter confiteretur, dicendo: Ne intres modò ò misericordissime DEVS in iudicium cum inutili & peccatore seruo tuo, quia nõ iu stificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Si in angelis tuis malitia inuenta est, quanto magìs immundus erit homo in delectatione conceptus, & natus in peccatis? Domine ne in furore tuo arguas me: Neq; enim spiritus sum, sed caro: non angelus, sed homo. Ecce homo. Quid est homo, Domine DEVS, vt contra eum irascatur furor tuus, cuius vita est instar venti aut fumi celeriter transeuntis? Quare ostendis potentiam tuam aduersus folium, quod vento rapitur? Simulq; hìc cum omni sua infirmitate, cunctisq; vitijs sese ad Deum homo conuerteret, dicendo: Scio DEVS misericordissime, quòd idoneum valdè & purum me condidisti, non ob aliud quidem, quàm vt seruirẽ tibi, te amarem, tibi laudes & gratias agerem, essemq; ceu instrumentum ad omnia morigerum, quo pro desiderio cordis tui delectabiliter & absque impedimẽto operari posses: sed heu multis corruptus ac vitiatus peccatis, præclarum instrumentum tuum prorsus destruxi, & nullis aptum vsibus reddidi, ita vt indignus sim, in quo aliquid opereris. Totus nãq; inutilis, totus corruptus & abominabilis factus sum in peccatis, nec quicquã meruisse me scio, nisi vt gratiam tuam omnem à me amoueas, & proijcias me à facie tua. Atqui ò clemẽtissime DEVS, dum tuam attendo benignam lõganimitatem, & benignitatem longanimem, qua tam patiẽter omnem iniuriam, contemptum, probra tibi à me illata sustinuisti, satìs hinc animaduerto nõ esse voluntatis tuę, vt aliquẽ perire sinas, nec velle te mor-

mortem impij, sed vt conuertatur & viuat. Atque hac fiducia fretus, me ad te conuerto. O dulcissime Domine IESV Christe, qui ex voluntate patris, cooperante Spiritusancto, naturam nostram nimis corruptam reparasti, atque ad pristinam reduxisti puritatem, ita vt multo maior per te nobis gratia parta sit & gloria, quàm per primos parentes nostros amiserimus: en meipsum tam subditum tibi instrumentum, quo pro voto cordis tui opereris, offerre cupio, quàm vlla sese vnquam tibi creatura obtulerit. Verum pijssime Deus, non est hoc in mea potestate: quandoquidem ex longa iam peccádi cósuetudine te penitꝰ dehonestaui. Attamé qualisqualis hìc sum, me tibi offero. Si enim totum per temetipsum mundum reparasti, potens es vtique & me ad illam reformare puritatem, in qua à te conditus sum. Potens es nanque ex lapide suscitare filium Abrahæ. Dignare itaque per diuinum mysterium tuum reformare atque reficere, quod meapte malitia destruxi. Potest tertiò verbum hoc & iuxta literam intelligi, tanquam Pilatus turbæ Iudæorum dicens, Ecce homo, his quasi verbis eos alloqui voluerit: Ecce hominem: vel nunc conquiescat sanguinaria sitis vestra, vel nunc sufficiat vobis, cessate modò persequi sanguinem innoxium. Preter fas nanq; & æquitaté, contra menté & conscientiam meam hominem hunc innocentem tam dirè ipse castigaui, vt furibundam sedarem iracundiam vestram. Sit igitur satisfactum vobis, & præstate vos homini nihil malè merito benignos. Enimuerò homo est. Compatiamini carni, sanguini & cognato vestro: transeat sæua tyránis in clementiam, odium in charitatem: misereat vos immiti um pœnarum eius, quibus eum correptum cernitis. Neq; enim bestia est, sed homo. Non vllus vnquã latro


vel scelestus quispiã ita ad nihilum redactꝰest, fuisq; prǒ facinoribus tam indignè tractatus, vt iustus iste qui totus innocens est. Si despexistis eum, quòd se regem dixerat, iam nunc recipite eum, quem miserrimum & abiectissimũ omnium videtis. Cùm ergo Iudæi sæuissimi audirent pariter & viderent IESVM tam deformem coràm astãtem, ferreum eorum pectus neutiquam emollitum est, quin potiùs ad maiorem excanduit liuorem & inuidentiam, adeò vt feroci animo clamarent, Tolle tolle eum, nec videre eũ possumus, Crucifige crucifige eum, nihil posthac excusatiõis recipimus, reus est mortis. Videns Pilatus nihil se proficere, sed actũ agere, nec quicquã valere, quicqd vel diceret vel faceret ꝓ Chro liberando, sed Iudæorũ insaniam ac furoré magìs ac magis increscere, manus suas coram impia plebe lauit, dicens: Innocens ego sum ab innoxio sanguine iusti huius. Vos videritis. At illi incomposito ac horribili sonitu vociferabantur, Sanguis eius super nos & super filios nostros. O inaudita inuidentia, O odium execrandum. Subeat nunc quisque secreta cordis sui, ibiq; secum meditetur, quanto dolore pijssimum cor IESV verba hæc confixerit, quandoquidem perspicuè videbat, quàm inuido ac maligno corde ea Iudæi depromerent. Quàm p[illegible]tamus molestum fuit pijssimo Domino, cuius natura bonitas est, cum inspiceret fraudulẽtum ac pestiferum fundum plebis suæ, quanta sæuitia, quanto odio flagraret, quàm sitiret sanguinem suum, vt seipsos & omnes posteros suos æternæ maledictioni & horribili vltioni diuinę addicerent, tantùm vt Christum neci darent. Quàm lugubri tunc fortè dñs corde secum cogitabat: Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Præ cunctis vos elegi gentibus & exaltaui. Paterna vos pietate ser-

uaui

uaui & enutriui, & impleui bonis om̃ibus,& nunc occĩdere me vultis & crucifigere? Hinc iam Pilatus mortis sententiam tulit in Christum,tradens eum manibus Iudæorum,vt eum crucifigerent & interficerent pro voto suo. Ah cuius nõ exhorreat & in lachrymas proruat cor,dum attendit vitæ authorem morti esse adiudicatum? filium DEI, cui pater omne dedit iudicium, spontè se ad ignominiosam dãnari mortem passum esse? O quis sibi temperet à lachrymis,reminiscens amabilem dominum,agnum innocentem,cruentis traditum esse manibus Iudæorum, vt suam in eo explerent voluntatem? Quid facturi sunt,iam iudicis obtẽto consensu, qui tanta attentare ausi sunt iniussu præsidis? Vt suam nunc in Christum effusuri sunt iracundiam, quam tam diu suo gestarunt in pectore? Nimirum quicquid malitiæ concipere poterunt, in ipsum exercebũt. Acerbissima,ignominiosissima,maximè cruciabili ac contemptibili morte,quam quidem excogitare quiuerint,ipsum afficient: quandoquidem ipsorum voluntati traditus est. O iudicium iniquum, ò iniusta sententia, ò crudelis damnatio, ò Iudex peruerse, iamdudum nullam in eo causam inuenisti, & nunc eum morti adiudicas? Iamiam iustum eum affirmabas,& nunc ad crucis eum mortem condemnas? Pauloantè fatebaris, quod & bene noueras, Iudæos odio & inuidia stimulatos eum tibi obtulisse, culpamque omnem ab eo abesse, & modò impijs hostium suorum manibus, & crudelissimæ illorum voluntati eum tradis?

IESVS cruce oneratur.

Caput XXIX.



Osteaquam verò Christus IESVS saluator noster ad mortem damnatus est, rursus eum ministri intrò rapuerunt, vesteq; purpurea nudatum suis denuò vestibus induerunt, vt tanto meliùs in habitu proprio agnosceretur: multaq; cũ festinatione ad mortem eum abduxerunt, verentes ne Pilatus aliundè persuasus aut ductus pœnitentia, sententiam reuocaret. Itaq; arrepto graui sanctæ crucis ligno, sacris illius humeris imposuerunt, longitudine, vt annotatum est, pedum quindecim. Cur autem id fecerint, ista ratio est, quòd crux ea tempestate genus tormenti esset ignominiosissimum, quo rei afficerentur. Vnde & præ confusiõis & probri metu nemo illi propinquare volebat. Christo igitur illud ita imposuerunt in grandem illius confusionem, vt suum ferret dedecus, essetque cunctis hominibus contemptui ludibrioque, illiusq; memoria penitus ex hominũ cordibus deleretur, nec quisquam illius vltrà auderet facere mentionẽ. At verò benignissimus Dñs libẽti ac placido animo graue illud pondus in se recepit, gestãs illud ingẽti cum desiderio ad patris gloriam pro salute mortalium: nec crucẽ modò, verùm etiã totius mundi in se peccata recepit, adq; Caluariam asportauit, vbi ea cruci affixit, occidit, ꝓprio diluit sanguine, & morte sua acerbissima expiauit. Hoc est quod Propheta ait: Om̃es nos quasi oues errauim⁹, vnusquisq; in viam suã, id est, post concupiscẽtias & oblectationes suas, declinauit: & posuit Dñs in eo iniquitatẽ omnium nostrũ. Simul autẽ & perfectiõis quandã nobis Dñs formã re ipsa hic exhibuit, vti antè verbo nos instituerat, seipsum funditus abnegans & resignãs, crucemq; suam con

constanti perseuerantia ferẽs. Quisquis eius vis esse discipulus, tu quoq; fac similiter, & sequere Dñm tuum. Attamẽ non satis fuit Iudæis, hac cum contumelia affecisse, quia ad maius dedecus & ignominiã, mediũ inter duos latrones eũ deduxerunt, multoq; ampliùs quàm ipsos contẽpsere latrones, dum suã eum cõpellerẽt ferre crucẽ, quod de latronibus nusquam memorię proditum est. O IESV piissime, quæ te vicit charitas? quãtopere sitijsti salutem meam? quanto cum desiderio viam illam difficilẽ & molestam mei causa ambulasti, ingẽtiaq; hæc probra & cõtumelias propter me perpessus es? Nimirum quo me reuocares ad vitam, author ipse vitæ ad mortẽ ductus es: vt nos à prauitatis itinere reduceres, ipse Dominus Sabaoth, Dominus sanctus & iustus, ad Caluariam pertract⁹ es: vt nos terrena hęc doceres bona contẽnere, omnibus te rebus spoliari permisisti, nudus ascẽdẽs in crucẽ ad patrẽ: quò angelicis nos choris insereres ac copulares, cum iniquis reputatus es: & vt denique nos à cælesti exercitu tuo honoraremur, ipse coram toto mundo contẽptui ac ludibrio habitus es. Eñuerò nõ sceleratissimus quisquã turpiori vnquã morte occubuit. Quo eñ tẽpore Christus passus est, celebritas Paschalis agebatur apud Iudęos, quò confluxerat ingẽs populi multitudo, oñesq; certatim Christum videre cupiebant. Itaq; hic Dñs dñorum, cuius est oñis honor & gloria, spinis incedebat coronatus, duris constrictus funibus, graui crucis põdere prægrauatus, in latronum medio, signis dãnatiõis denotatus oñibus, quę improbi illi excogitare poterant. Quæso gemebundis contemplemur cordibus, quàm cruciabilis fuerit ista processio. Ante Dominum vilis præcedebat plebecula, ridens & cachinnans, ipsumq; anteuertere cupiens, vt

videret cruci affixum. Hincinde carnifices & ministri eum stipabant, innumeris eum afflictionibus vexantes, vt simul plebem omnẽ ad illudẽdum illi & contumelias inferẽdas allicerẽt & excitarẽt. A tergo sequebatur turba seua armatorũ, puta domini & principes sacerdotũ, qui haud secùs exultabãt, atq; leones capta præda, multasq; in Christum execratiões & blasphemias congerebant. Sic sic rex gloriæ omĩbus contẽptui fuit: pusilli & magni, nobiles & ignobiles simul cũ probris & iniurijs affecerunt. Quod & dñs antè per Prophetã prædixerat his verbis: Aduersum me loquebãtur qui sedebãt in porta, & in me psallebãt qui bibebãt vinũ, irrisui me habentes. Omnes vidẽtes me, irriserunt me: locuti sunt labijs, & mouerũt caput. Nunc ergo intimo cũ dolore visum pergamus, quos hic cruciatus dñs ptulerit. Tametsi totus, vt Esaias ait, vulneribus plenus erat, & à planta pedis vsq; ad verticẽ capitis nõ erat in eo sanitas, attamen à quibusdã annotatũ est, grauiter eum læsum ac singulari affectũ vulnere in humero suo. Huic eñ ingens crucis trabs imminebat ora præacuta, quæ grande ei inflixit vulnus, ex cunctis vulneribus vnum efficiens: qui dolor illius pijssimũ cor penetrabat. Atq; vt quidam deuoti doctores sentiunt, fuit hæc ex Christi grauissimis pœnis vna, quam ille pertulerit. vt enim quotidiano discimus vsu, si cui nostrum vel tenue hæreat vulnus aut vlcusculum, vix moderatè ferim⁹ quẽquam nos propiùs accedere: quid ergo censemus Dominum IESVM Christum, quo cruciatu esse affectum, cum graue lignum illud illius impositum impressumq; cruentis humeris, ac maximè diro huic vulneri, tam longo ferre itinere cogeretur? Et quia crux prolixior erat, totam in humeros

reci

recipere non potuit. Vnde factum est, vt pars extrema lapidibus quibus via strata erat, adhærens, grandem excitaret & horridum strepitum, Dominum incredibili dolore afficientem. Quando verò ex omnibus illis grauissimis pœnis & molestijs, quas tota nocte illa & die perpessus erat, adeò debilis & lassus effectus erat, vt totus exhaustus, & viribus esset destitutus, tam miserandum in modum incuruus & ad terram depressus, sub ingenti illa crucis mole incedebat cum immensa cordis angustia, vt singula quæque vestigia cor illius morderêt. Cæterùm ardentissimus eius erga nos nostramq; salutem operãdi amor, supra vires eum pati vrgebat. Et reuerà supra modum grauis fuit ista afflictio tam intus quàm foris, quando non crucis modò pondus, sed & peccata totius mundi in se assumpserat, quemadmodum princeps Apostolorum ait: Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. Nec potuit CHRISTI passio nôn esse vehementissima, cùm peccatis omnibus secundum iustitiæ rigorem præponderaret. Hic iam suo quisque in pectore secum reputet, quantùm ipse suis peccatis CHRISTI crucem exaggerârit. Deinde cùm immodicè canes illi sanguinarij CHRISTI mortem accelerarent, calcibus eum & pugnis protrudebant ac protrahebant, & sine vlla miseratione tam inhumanis eum afficiebãt verberibus, ac si bestiã præ manibus habuissent. Nihilo minùs agnus innocentissimus benignissimè totũ se cũctis illorum ictibus ac feritati, quã excogitare poterãt, supposuit. Quis iam vltrà lachrymas cohibeat, Christũ ita deformẽ ob interiores sibi ꝓponẽs oculos, illiusq; dolores cũ cõpassione reuoluẽs? Enimuerò corp⁹ illi⁹ prorsus expresſũ erat,

& adhuc cor pati gestiebat. Sub pondere membra succumbebát,& amor feruidus labascenté erigebat,vt pœnam ad finé vsq; perferret. Grande crucis onus ad terram eum deprimebat,& ignitum desiderium impellebat vt pergeret. Vehemēs nāq; desiderium gratissimam DEI patris voluntaté exequēdi,nostramq; absoluēdi redemptioné,adeò in eo excreuerat,vt supra naturam & humanā imbecillitaté eum pati cogeret, & per pœnas impelleret,adeò vt vel ad extremū vsq; iudicij diem pro salute hominū sic onustus incedere nihil recusasset, si sic fuisset visum patri,& ad illius cessisset honoré. Itaq; hic CHRISTVS cunctis spiritalibus hominibus speculum & formam quandam vitæ spiritualis & perfectionis proposuit. Quotquot enim ad synceram & virtutibus conspicuam vitā aspirant, hi suā cum Christo spontè leuét crucé,fideliterq; ac perseueranter eandé ferant necesse est:atq; si ita placuerit DEO,priuari ac nudari se sinant bonis temporalibus,& quibuslibet adminiculis & solatijs amicorum, interna quoq; & spiritali consolatione & gratia sensibili. Ad hæc irrideri se patiantur, & probra, detractiones, iniurias & exprobrationes pro dilecto DEO suo hilariter perferant: vtq; cum CHRISTO gratum DEO sacrificium,dilectoq; suo similes fiant,multis se afflictionibus & molestijs hominum, tentationibus dæmonum, proprijsque culpis ac defectibus suis excruciari ferát oportet. Et quisquis verus esse amator volet, à suo nunquàm recedet dilecto,neque in cruce, neque in morte,nec in afflictione qualicunque, quæ ei possit euenire: sed cruce sua strenuè in humeros sublata, sese subter eam humiliter supponet, dicens: Sequar te dilecte mi, quòcunque ieris: nec petet absolui à cruce,sed pati eam desiderabit,quoad Domino visum

ſum fuerit: ſed neq; terrenam vllam nec ſpiritalē quæreret conſolationem, quæ ei crucem aut mollire, aut minuere poſsit: quin potius ad dilecti gloriam, ad extremum vſq; ſpiritum eam ferre paratus erit, nec vllam aliam hinc mercedem appetet, niſi vt ad Dei cedat honorem, & illi ſoli placeat. Denique qui ſic crucem ſuam gerunt, hos ego veros Chriſti amatores ſectatoresq; dixerim, qui non quærunt quæ ſua ſunt, ſed quæ IESV Chriſti. Quemadmodum D. Paulus fidelis Chriſti amator, poſt horribiles illas immaneſq; cruces, quas in ſua cōmemorat epiſtola, perpeſſas, adhuc anathema fieri optabat ꝓ fratribus ſuis Iſraelitis, id eſt, maledici atq; ſeparari à Deo, vt Chr̄o plures lucrifaceret. Moiſes item pro filijs Iſrael deleri optabat è libro vitæ. Nimirum hæc eſt perfecta charitas, quę nuſquam ſeipſam quærit, nuſquam ſibi parcit, neq; in tempore, neque in æternitate, vt Dei honor augeatur. Iſti ſunt veri amatores ac imitatores Chriſti, qui Chriſto, quatenus poſſibile eſt, aliquam pro morte illius vicem reddunt, exponentes etiam periculis animas ſuas, ſicut & Chriſtus ſuam pro eis animam poſuit: cupiuntq; perdere ſemetipſos, vt Chriſtum lucrifaciāt: nec ſpernunt quēquam, ſed ipſi contemni gaudent: cęteros magnifaciunt & ſanctos credunt, ſe verò vilipendunt ducuntq; pro nihilo: cunctis pios & benignos, ſolis ſibi rigidos & ſeueros ſe exhibent: ex aliorum malis virtutes eliciunt, ſuaſq; virtutes pro vitijs habent, & alios denique omnes ad ſua collatos peccata, iuſtos & virtute præditos ex animo arbitrantur. Quis hos humiles, Chriſti ſectatores amatoresq; dicere dubitet? qui & ſeipſos funditus abnegârunt, Chriſtumq; cum ſua cruce ſequuntur. Veruntamen nec iſtud quidem ſufficit, vt Chriſto ſponſo tuo

perfectè placeas, leuasse te crucem tuam. Sed si ei similis aliquo modo fieri voles, exeas & cum ipso oportet. Sic enim de Domino apud Euangelistam legis, exisse eum baiulantem sibi crucem suam. Et virginibus illis Euangelicis dicitur: Ecce sponsus venit, exite obuiàm ei. Quò ergo exiemus? videlicet, extra ciuitatem, extra hominum frequentiam, extra tumultus ac turbationes oẽs, atq; adeò extra nosipsos, extra omnem proprietatẽ, sen sualitatem, voluptatem, solatium, extra omnem illicitum erga creaturas amorem, & quicquid cordibus nostris aliquam potest labem aspergere, ac denique extra omnia, in quibus nosipsos quęrimus plusquàm nudum Dei honorem, dilectionem ac voluntatem. Porrò sic egresti, iam crucem nostram fideliter leuabimus in humeros, Christique vestigijs inhærebimus, id est, afflictiones & cruces quascunque, Deo permittente nobis occursantes, vndecunque illæ veniant, siue ab hominibus, siue à maligno spiritu, siue à culpis & defectibus proprijs, libenti animo excipiemus, tollemusque in humeros, hoc est, exercebimus nos in eis: atque ita demum fructuosæ nobis erunt. Sed iam agè ad Christum reuertamur eò, vbi ipsum dimisimus, inter ipsas puta manus cruentas crudelium Iudæorum. Itaque CHRISTO tam miserabiliter sub ingenti sanctæ crucis mole incedente, erant pij aliquot, maximè deuotæ quædam fœminæ, quas vehementissima afficiebat compassio ad Saluatorem, & flebant acerbè nimis: quibus Dominus ait: Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super vosmetipsas flete & super filios vestros: tanquã diceret: Equidem lachrymis vestris non indigeo, qui contemptibilem hanc mortem sponte mea patior tum pro gloria patris, tum vestra omnium salute, necnon peccatis

atq;

atque sceleribus vestris. Non est ergo, cur me lugeatis: sed vestra potiùs natorumque vestrorum, qui has mihi pœnas ingerunt, errata plangite. Ipsa nanque scelera vestra, contemptusque quem patrem meum ex vobis accipere animaduerto, grauiùs me premunt, quàm crux ista quam fero. Et citò quidem dolor meus omnis abibit, vester autem æuo durabit sempiterno. Si enim filij vestri in ligno viridi hæc faciunt, in arido quid fiet? Si ego qui peccatum nullum vnquam admisi, sed vireo semper & virtutibus omnigenis fœcundus sum, ex hoc nihilo minùs seculo absque vexationis & afflictionis igne, passionisque acerbitate emigrare non possum, quem illi ignem, quas flammas, quæve inferni tormenta expectare debebunt, qui aridi atque in bonis actibus steriles, virtutibus vacui, malitia pleni sunt? Hinc nimirum & diuus Gregorius ait: Dum mecum ipse passionem & mortem Domini nostri IESV Christi perpendo, Iob quoque afflictionem & martyrium sancti Ioannis Baptistæ considero, prorsus exhorret cor meum ad pœnas impijs & peccatorib9 præparatas. Enimuerò si Deus charissimos quosque amicos suos tam dirè castigauit, quid faciet hostibus suis? Si perexiguas eorum culpas, sine quibus vita ista vix agitur, adeò puniuit, qua in illos seueritate animaduersurus est, qui vt pecora irrationalia & absque prudentia, pro suæ viuunt carnis putridæ voluptate?

Maria mœstissima parens, suum sequitur mœstissimum filium. Cap. XXX.

Dum


Vm igitur hæc agerentur, Maria tristissima Dei mater, auidè suũ quærebat videre filium, vt vel consolatorium ex eo perciperet verbũ, aut aliquod ei impenderet solatium, & vltimũ ei vale diceret. Sed quia propè ad eum accedere non dabatur, ob turbam sceleratorum militum, qui eum cinxerant vndique & sequebãtur, vt à plerisque affirmatur, alio perrexit itinere, vt turbam anteuerteret, atq; ita suo veniret dilecto obuiàm. Quanuìs enim ex acerbissimo ob filij passionem concepto dolore, prorsus exhausta & viribus esset destituta, fortis nihilo minùs amor, quo erga illum feruebat, & ingens eum videndi desiderium vires ei addidit, ita vt turbam omnem filium eius ducentium præueniret. Quis, obsecro, mente concipere possit, quibus fuerit doloris & angustiæ confixa aculeis, cùm vnicũ solamẽ cordis sui, quem tã incomprǽhensibili cõplectebatur amore, ita miserabiliter derelictum & graui insuper crucis pondere onustum videret, aspiceret etiam gratissimum vultum eius, quem toties intima cum deuotione amplexa fuerat, tam turpiter deformem & miserè affectum? contueret & venerandum caput eius, quod sæpenumerò multa cum reuerentia & ardentissimo suo appresserat cordi, horribili corona spinea crudelissimè compũctum? atq; cerneret demum Deo ac Domino suo tantam irrogari iniuriam & contemptũ, ipsumq; inter latrones damnatos annumerari? Quis dubitare possit, acerbissimè gladium doloris deuotissimum pijssimumque cor illius transuerberasse, cùm videret dilectissimum filium suum, quem suo gestãrat sub pectore, ita sanguine phlegmatibusq; fœdatum,

datum, crebris affectum vulneribus, deformem insuper, & ab omni despectum abiectumq́; mundo? Nihil est ambiguum, quin si nó diuina fuisset bonitate seruata roborataq́;, cor illius deuotissimum præ dolore diruptum fuisset: quandoquidem adeò illius animum doloris vis immensa oppleuerat, vt velut sub graui staret pressa saxo, nec posset saltem verbum edere. Neque tamen insolitam aliquam præ se tulit deformitatem, non vllá exhibuit forinsecùs impatiétiæ notá: vtpote quæ se funditus Deo resignârat, totamq́; se absq; electione aliqua vel optione in gratissimá illius refuderat retulerat q; voluntatem. Et quia plena erat spiritu sancto, nouerat ex prophetis moriendum esse filio suo, eaque de causa mortale eum sumpsisse corpus, sicq; visum esse patri cælesti: atq; ideo aliud desiderare non nôrat. Vnde quemadmodum Christus Iesus vltrò se patri obtulit hostiam viuam pro salute mortalium, ita & virgo beatissima, dulcissima Maria ipsa quoq; filium suum obtulit pro humani generis salute: satisq; ei gratiùs fuit suo destitui solatio, quàm hominum impedire redemptionem. Atqui flagrantissimus illius erga filium amor, totum se intùs cohibere non poterat, sed vt intùs cor exussit, consumpsit, liquefecit, ita foràs feruentes expulit lachrymas, viuidum illius colorem obfuscauit, atq; innumera eademq́; altissima extorsit suspiria, ita vt exterior illius miseranda atque tristissima habitudo, interiorem spiritus eius angustiam declararet. Quia verò Dei intelligebat esse voluntatem, vt vnà cum filio suo pateretur, spontè sese ad hoc obtulit, etiam mori paratissima vnà cum IESV dulcissimo filio suo pro salute ac redemptione miserorum. Continet autem dolórem suum intra sui secreta pectoris, eò ꝙ nullam externá ho-

minum

minum consolationem desideraret, potiùs appetens illo in dolore persistere, donec ipse eam Dominus eriperet ac consolaretur. Ea nanque de causa IESVM secuta est, vt simul cum eo suam ferret crucem: idcirco accessit Caluariam, vt cum eo intus spiritaliter crucifigeretur: ideo iuxta crucem astitit, vt gladius doloris cor eius configeret, martyrumque omnium regina efficeretur. Excellentissimum nanque Dei donum, quo suos solet munerari amicos, crux est & afflictio, atque illud ipsum & filio suo & beatæ virgini & electis amicis suis omnibus contulit. Vnde quisquis cruci & afflictionibus sese opponit, Dei voluntati & donis resistit, aberratque à Deo, terga illi obijciens. Communi siquidem amore Deus cunctos homines prosequitur, optaretque omnes ad perfectionem prouehere: quod tamen absque labore & dolore cruceque multiplici fieri non potest: haud secùs quàm preciosa & adfabrè elaborata aurea patera absq; igne, malleis, alijsq; acutis & accommodis instrumentis fieri non potuit: sed miseri homines semper fugiunt, nec ferre aut satisfacere student suauissimæ Christi operationi: ideoque semper inepti, miseri & fragiles perseuerant. Deindè quum CHRISTVS ita, vt diximus, cruce miserabiliter onustus incederet, iamque viribus defecisset, & esset omninò exhaustus, quum non posset vlterius progredi, præ nimio angore corruit pronus in terram: quo casu multam simul expertus est crudelium illorum inclementiam nebulonum, dirè eum cædentium, trahentium, impellentium, vt secum quisque facilè perpendere ac meditari potest. Id enim omne fecerunt ei, quod intus diabolus suggerebat. Videntes autem impij illi ac sanguinarij tyranni, quod eum nec verberando, nec trahendo,

hẽdo,nec propellendo, ſeu calcando vlteriùs ꝓmouere poſſent,(iam enim nihil ei remanſerat virium) hominem quendam ad oppidum tendentem, poſt Chriſtum ferre crucem compulerunt. Id verò non ex aliqua erga Chriſtum compaſsione fecere, ſed vt tanto celeriùs eum neci darent: & ne fortè ſub manibus eorum animam efflaret, priùs quàm omnem in eùm malitiam ſeuitiamq; ſuam exercuiſſent. Et homo iſte ethnicus erat; videlicet vt hoc ipſo daretur intelligi, indignos eſſe Iudæos, qui Chriſti crucem baiularent: ſimulq; myſterium hoc præferebat, fidem ſcilicet & gloriam crucis, ad gentes tranſituram.

Oratio ad patrem cæleſtem. Ca. XXXI.



Ttende nunc, obſecro, clemẽtiſſime pater, vnigenitũ filiũ tuũ, quanta is ꝑpeſſus eſt ad gloriã tuã ꝓ redẽptione nr̃a. Vide vt dilect⁹ vnicus tuus, tibi in gloria æqualis, par in potẽtia, inter latrones deſpectus, & ad ignominioſã crucis mortẽ eſt condẽnatus. Aſpice perſeuerantẽ illius obedientiã ac patiẽtiam, vt omnes has pœnas, amaritudines, contemptum, probra, iniurias, & vniuerſos demũ horribiles cruciatus ſuos, ingẽti cũ deſiderio ꝑtulerit ad honorẽ tuũ: ſupraq; vires ſuas humanas vera cũ reſignatiõe abſq; vllo adminiculo ſeipſum totũ exhauſerit atq; cõſumpſerit, vt tuã gratiſsimã perficeret voluntatem. Hic eſt dilect⁹ filius tuus, in quo tibi multum cõplacet. Hic eſt verus Iacob, qui perſecutionem ab Eſau, populo Iudaico patiẽs, humiliter per Iordanem ſolus perrexit cum baiulo crucis ſuæ, vt multis cum diuitijs & grandi hominum frequentia

quentia ad te reuertetur. Hic est Ioseph verus, charissimus filius tuus, missus à te, vt requireret fratres suos, quos inuenit in Dothaim, id est, vitijs magnis atq; peccatis, quem demum bestia deuorauit pessima, id est, pestiferum inuidiæ virus. Hic est IESVS pastor bonus, qui animam suam posuit pro ouibus suis, & perditā ouem tam anxiè perquisiuit, quam deinde multo cum sudore inuentam, ex vitiorum sordibus extractam & eductam, amicabiliter suis imposuit humeris, & ad ouile reduxit. O pater misericordissime, aduerte quæso, vt dulcissimus natus tuus peccata omnia totius mundi solus portauerit in cruce sua: & qui nunquam ipse peccauit, oēm spurcitiā ac sordes nostras diluit purissimo sanguine suo, ardoreq; sui flagrantissimi cōsumpsit amoris. Quē tu iudicem constitueras, omni illi tradita iudiciaria potestate, ex amore ceu sceleratus morti adiudicatus & mortuus est, vt reos oēs redimeret, debita eorum precio innocentis sanguinis sui exoluens. O pater cœlestis, quàm relucet diuina imago tua in sanctissimo filio tuo? quàm bene cognoscere est per diuinum verbum tuum, pijssimum atq; paternum cor tuum? Nunc planè agnoscimus, quisquis videt filium tuum, eum & te videre, & per misericordiam dilecti filij tui, reipsa intelligimus patrem te esse miserationum & Deum totius consolationis. Ecce pater dulcissime, hic est obediens filius tuus, qui vsq; adeò sitiuit honorem tuum, vt ob zelum & amorem domus tuæ, sanguinem cordis & medullas ossium absumpserit, ac velut testa exaruerit, quò om̄es pariter homines secum ad te adduceret, qui te in omne æuum amarent, tibiq; laudes & gratias agerēt. Ah quid sum ego vilis terræ vermiculus, vt mei causa non parceres vnigenito filio tuo? Quantoporè me amasti DOmine,

mine,quem tanto precio redemisti? Et certè si quid melius cor tuum paternũ excogitare potuisset,in meæ cessisset salutis precium & vsum. Quid rependam tibi pater sanctissime,pro omi hac paterna fide, benignitate, & amore intimo,quem mihi per vnigenitũ filiũ tuũ exhibuisti? Nimirũ si vel in tot particulas cor meũ tui ob amorem singulis quibusq; momentis temporis diuidi aut in puluerem redigi posset,quot sunt graminis herbulæ in terra, aut guttæ aquæ in mari, aut puluisculi arenæ in montibus vallibusq́;, possentq́; singulæ queq; particulæ sine cessatione tanta cum gratitudine te laudare,tam obtemperanter obsequi ac famulari,tam simpliciter obedire, tam dignè venerari ac colere, tam nudè diligere, quàm vel in votis esse queat beatis omnibus:necnon quæque tantum particula tuo pro honore pati posset, quãtum ad extremum vsq; iudicij diem pati desideratum erit, nec sic tamen satisfacerem tibi vllo modo, nec dignam rependerem vicem amori incompræhensibili, quem mihi per vnicum tuum impendisti. O benignissime pater, altitudo diuitiarum, profundum consolationum,abyssus clementiæ, fons & flumen gratiæ,totius boni origo, sanctitatis abyssus, paradisus deliciarum, gaudium cæli, satietas beatorum, in cuius vultum angeli desiderãt prospicere:en laudo,benedico, gratias ago, glorifico, exalto, magnifico te, & cuncta interiora mea confitent̃, honorãt ac benedicũt nomẽ sanctum tuum:quandoquidẽ magna nimis est super me bonitas,clemẽtia, gratia & misericordia tua. Et licet vas immũdum cùm sim,multis infectũ atq; cõspurcatũ vitijs,te laudare non sim idoneus neq; dignus, attamen te laudare sum astrictus & summo iure debeo. Quî verò vnquam à tuis posim cessare laudibus, cùm

tu mihi benefacere nunquam desinas? Itaque dignaberis à me vilissimo laudari peccatore, quum mihi negligentissimo seruo tuo non dedigneris indies tot charismata ac dona largiri, tantamque ac verè paternam præstare fidem ac pietatem. En rursum tibi amabilissime pater, eundem vnicum ac dilectissimum filium tuum offero in vnione amoris illius, quo tu eum mihi dedisti, naturam meam eum assumere volens, & crucis denique subire patibulum. Neque omni intellectu meo quicquam possum excogitare sublimius, dignius, & quod sit acceptius maiestati tuæ. Sed & offero eundem dulcissimum natum tuum tibi in vnione amoris illius, quo ipse se tibi obtulit in summum laudis sacrificium, quando in ara crucis alto clamore & calidis lachrymis animam suam commendabat in manus tuas, & summus ipse sacerdos in sancta sanctorum ingrediebatur, antiquum tabernaculi velum detegens, ac noua consecrans sacramenta, non sanguine pecorum, non naturali ab pontifice oleo, sed à te DEO patre suo oleo exultationis vnctus, & proprio sanguine suo cuncta diluens errata populi atque delicta. Ad hæc offero tibi omnes illius grauissimos labores, ieiunia, orationes, vigilias, prædicationes, & quicquid in nostræ salutis opere peregit. Denique offero tibi innocentem mortem illius, cum vniuersis acerbissimæ passionis eius meritis: & beatissimæ ac intemeratæ semper virginis Mariæ, simulque beatorum omnium, ad æternam gloriam tuam, pro cunctis peccatis, vitijs ac negligẽtijs meis, pro viuis item & defunctis om̃ibus, ꝓ quibus tu Deus meꝰ rogari vis, & ego orare sum obligatus, quo nomen sanctũ tuũ laudetur, prædicetur ac honoretur ab eis in omnia secula seculorum. Amen.

Iesus

Iesus felle potatur. Cap. XXXII.



D hunc igitur modum, vt paulò ante dictum est, Iudæi immites Christum ad Caluariam perduxerunt, locum execrabilé, damnatum ac contemptibilem, plenum fœtoribus extinctorum cadauerum & ossiũ mortuorum. Simulq; hinc colligere licet, Christi mortem om̃ium longè despectissimã fuisse: idque quatuor ex rationibus. Primò quidem, quòd crucifixio illo euo turpissimum ac ignominiosissimũ mortis genus erat, quod sceleratissimis quibusque potuisset adhiberi. Secundò, quòd inter duos latrones, ceu princeps latronum, medius crucifixus est Dominus, vt & illorum operibus condemnaretur, crederetúrque esse par scelere, qui consimili pœnæ subdebatur. Tertiò, q in putidissimo Caluariæ loco, totus nudus occidebatur, quod non nisi insigniter flagitiosis inferri solebat. Quartò, quòd in præclara Paschæ solennitate occisus est, tanquam cuius vita tam scelesta & execrabilis esset, vt omninò necesse esset, quàm primum eum tolli è medio, vtpote qui omnibus maximè esset inuisus & onerosus. Vbi verò ad hunc Caluariæ montem peruentum est, & pius Dominus præ nimia fatigatione & crucis graui pondere anxius admodum & imbecillis esset, potum ei præbuerunt, vti moris erat facere condemnatis: non quidem dulce vinum, sed corruptum & acidum, myrrha felleq; permixtum, quo nimirũ homines liuidi ac scelerati, quàm essent in Christum amaro ac virulento corde, manifestè prodiderunt, quando

ne vnũ quidẽ membrũ in eo impunitũ reliquerunt. Sed & Christus Dñs in cunctis membris suis pati voluit, vt nos membris omnibus læsos, perfectè sanaret. Et quia Adam per voluptatem vetiti fructus peccauit, Dñs Iesus peccatum illius per felleæ potionis cruciatum expiare voluit. Heu quantos hodie inuenire est, qui penè pro nihilo ducant Deum per gulæ vitium offendere, & spernere legem ipsius, qua cauit, ne concupiscentijs nostris indulgeamus, sed potiùs refrenemus ac subijciamus spiritui sensuũ appetitus, ne caro vnquã aduersus spiritum rebellet, sed humiliter ei subdita sit & obsequatur. O quãtus est hodieq; illorum numerus, qui putridum cadauer suum non vnius esu pomi, sed multis ac diuersis eisdemq; delicatis admodũ cibis farciant, & Deum offendant: quorum Deus venter est, qui ex templo spiritus sancti, tabernas dæmonũ efficiunt: q̃ præclaræ essentiæ suæ formã obliti, diuinæ imaginẽ similitudinis, in irrationalis pecudis similitudinẽ cõmutârũt: qui deniq; non verentur animam & corpus perdere, vt sensuum suorum affectibus & oblectamentis faciant satis. Hi planè Christo Iesu non semel tantùm acerbam præbẽt potionem, sed quotidie omnium acerbissimum fel ei bibendum porrigunt. Nimirum obliti sunt isti, sobrietatẽ quoddam esse præparamẽtum ad virtutes oẽs, castitatis ac puritatis thronum, animæ purgationem, sanitatis matrem, cæli viam, aduersus carnalium tentamenta desideriorum scutum, & disciplinam vitæ Christianæ. Vt enim serpens antiquus primos parentes nostros per gulã prostrauit, ita tela illius per sobrietatem facilè eliduñt. Multum nãq; natura ipsa ad malitiam & sensuũ oblectamenta ꝓcliuis est, & seipsam multis modis quærit: vnde necesse est, hominem spiritalẽ pruden-

tcr

ter haç in parte & rationabiliter sese gerere, vt dicat cũ S. Iob: Antequam comedam, suspiro. Et reuerà, vt Augustinus ait, ad cibum perinde, vt ad medicamẽtum accedendum est, taliq; cum moderamine ac discretione cibus ipse capiẽdus est, vt nobis auxilio sit ad seruiendũ Deo: atq; ea cum gratitudine, vt ex singulis quibusque morsibus laus resultet benignissimi creatoris. Amen.

Iesus suis iterum nudatur vestibus. Cap. XXXIII.



Ehinc crudelissimè Domino saluatori suas detraxere vestes, turpiter eum denudantes, haud secùs quàm ex materno processerat vtero. Vtì nanque Adam legem perruperat, ita Christus nostra voluit debita & peccata abolere. Victus est Adam vestes quærẽs, vicit Christus vestibus denudatus. Itaq; quanuìs Dominus IESVS & in natiuitate & in omni deinceps vita sua totus pauper fuerit, attamen in cruce perfectum nobis veræ paupertatis speculum & formam voluit exhibere, dum se ita nudum passus est fieri, vt ne filum quidem haberet reliquum, quo honestissima ac verecunda sua tegeret membra, nihil quo sacrum caput suum reclinaret: sed vtì nudus venerat in mundum, significans se nihil cum mundo habere commercij, ita & nudus indè exiuit. Ita nanque ait: Venit princeps mundi huius, & in me non inuenit quicquam, intellige suum. Enimuerò ita in flagitioso hoc vixit seculo, vt nullus vnquam vel tenuissimæ cupiditatis puluisculus ei adhæserit. Deniq; ad maiorem sui

ignominiam & dedecus, ita nudus etiam in cruce suspensus est in conspectu acerrimorum hostium & illusorum suorum. Neque enim vlli mortis rei nudi in crucem agi solebant, nisi qui essent insigniter facinorosi, quique in exemplum aliorum horribili erant morte afficiendi. Adam quoque ob amissam innocentiam tegere se & vestibus operire festinauit: Christus verò nudatus est, eo quòd integram & illæsam seruârat innocentiæ puritatem, nec vllo ei tegmine alio opus erat. Attende nunc ò anima mea interna cum compassione & intimo dolore dulcissimum redemptorem & amatorem tuum. Aspice vt rex gloriæ, qui cuncta vestit ac tegit, cælum nubibus, arbores folijs, terram herbis & floribus &c. ipsemet ad cutem vsq; totus despoliatur vestibus. Vide dominum dominorum factum veræ paupertatis speculum: pudeatque posthac murmurare, conqueri, & animo deijci, quum aliquid tibi subtrahitur, aut in interna vel externa relinqueris paupertate. Disce hîc pauperem, nudum, derelictum IESVM insequi, contemne quicquid mundus habet, quò nudum Saluatorem nudis brachijs amplecti, & illius vicissim amplexibus stringi, ac nudo in amore illi vniri merearis. Aduerte, obsecro, vt cæli pulchritudo hîc deformatur, cæli altitudo humiliatur, clarum puritatis speculum detegitur, vtpote nullius tegumenti indigum, quando nulla ei inerat macula, quam tegi oporteret. Sic enim ipse de se DOMINUS ait: Quis ex vobis arguet me de peccato? At nihilo minùs nemo vnquam capere sufficiet, quàm grauiter intus pudicissimum cor illius dolore mordebatur, quòd ingentem illam confusionem & verecundiam ferre cogeret, maximè quòd ita turpiter sub purissimæ matris aspectu in cruce pendere oportebat. Obsecro, ingenti hîc

cum

cum compaſsione attendamus, quanta cum rabie & inclementia crudeliſsimi canes domino veſtes abſtraxerint, quarum fimbria fluxu ſanguinis fœminam laborantem curârat. Quis non videat, quàm inhumanus fuerit dolor & cruciatus, veſtem vulneribus inhærentem & ſanguine concretam, tanto cum furore & crudelitate detrahere, cunctis haud dubiè vulneribus recrudeſcentibus? Secum quiſque ſuo in corde doloris huius magnitudinem expendat. Et vt quorundam eſt opinio, ſpineam coronam à capite auulſam, eo quòd veſti exuendæ impedimento erat, rurſus incredibili cum tormento ſancto eius capiti impreſſerunt, vt non ſit dolor qui huic poſsit comparari. Agè nunc meditare ô anima mea, quanto in cruciatu fuerit gaudium cælorum: aſpice vt totum corpus eius denuò vulneratum ſit, cunctis illis ſacris vulneribus renouatis, & puriſsimo fluentibus ſanguine. Contuere, vt benedictum caput eius etiam angelicis poteſtatibus cum tremore conſpiciẽdum, quodque venerandus Baptiſta Ioannes contingere horrebat, ab immitibus illis canibus afflictum & excruciatum fuerit: dum ſpinæ illæ denuò impoſitæ, noua inflixere vulnera, ita vt vulnus vulneri iungeretur. Aduerte, quæſo, vt ſanguis ille regius cerebro permixtus, ex cunctis illis vulneribus per faciem, per capillos, per collum ad terram vſque vbertim promanârit: vtque corpus illud deforme, tammiſerè conſciſſum ac lacerum, quodque non niſi vulnus fluens erat, iam vento frigorique expoſitum ſit ac obriguerit. Et tamen agnus manſuetiſsimus non patienter modò, ſed etiam ingenti cum deſiderio omnem hunc immanem atque horribilem pertulit cruciatum.

O quàm stabat illic tremulus præ frigore, & sanguinem manans. O quantùm aucta & profundiùs inflicta sunt vulnera eius, dum ex furibunda hac vestium auulsione, vulnera vulneribus inserta sunt, adeò vt pijssimus & omni amore amplectendus IESVS Christus Dominus noster, non nisi vulnus sanguinem manans effectus sit. Hic planè fons viuus est immensæ pietatis, vnde affatim nobis profluit, quicquid desiderare valemus. Enimuerò ex sacro eius corpore preciosi sanguinis eius, qui est precium salutis ac redemptionis nostræ, riuuli scaturiebant: ex ore verba sacra nostrarum cibus mentium promanabant: ex oculis vbertim fluebant amoris lachrymæ, testes bonitatis illius: ex corde profluebat amor ardentissimus, qui omnem hanc durissimam eum pœnam subire coegit: ex cunctis denique operibus eius abundè profluxit nobis institutio, disciplina & morum constructio, quò ex passione illius non tantùm nostrorum solutionem debitorum, sed etiam vitæ nostræ perfectam absolutamque normam traheremus. Quis iam ita lapidei sit cordis, vt hisce tam immensis beneficijs non moueatur, immo trahatur ad amorem? Denique nó nudatus modò, sed totus omnino despoliatus est Dominus IESVS, tanquàm nunquam denuò vestiendus, sed in paupere illa nuditate nudaque pauperie moriturus. Agite nunc fideles omnes, cunctis lugeamus artubus nostris, quandoquidē Dominus noster hic coràm assistit, ex mēbris omībus sanguinē manans. Nimirū agnus innocens tam turpiter denudari ac spoliari voluit, vt nostrā tegeret deformitatē, vestéq; innocētię, olim nequā serui cuiusdā fraude amissā, nobis restitueret. O quātas ptulit pius Iesus in corde suo cruces, vidēs odiū, liuorē, fraudem,

sitimq;

sitimq; cruentam Iudęorũ,quantoperè festinarẽt aptare crucem,& vrgere ministros, vt Christi necem accelerarent: vtpotè quibus magna intus crux erat, quòd Dominum saluatorem tam diu suos versari ante oculos vidère cogerentur. Age nunc anima mea, statue Dominum Saluatorem tuum ob oculos cordis tui, videreq; tibi videaris IESVM spõsum & delicias animi tui tam miserandum in modum sanguine rubricatum, vulneribus confectum, deformem, & corde anxium, coràm astare, vt te fœdã sponsam suã sibi despondeat, mundet, sanet, exornet, omniq; debito absoluat. Et quinam ferre poteris, vt dilectum cordis tui tam miserè affectum aspicias? ân ne integro desiderabis corde, vt te totam faciat in lachrymas resolui, quò corpus dilecti tui vndiq; saucium lachrymis tuis abluere, & omni possis deformitate mundare? O te felicem, si medulla omnis ossium tuorum, sanguisq; cordis tui, in vnguẽtum distillari posset, quo vulnera cuncta sponsi tui perungerentur: ipsumq; cor tuum igne amoris decoctum, in gratissimum posset transire cibum, quo os dilecti tui, felle & aceto exacerbatum, edulcaretur. Et licet hæc re ipsa præstare non queas, pleno tamen affectu præstabis: & satìs est dilecto tuo, cor potiùs quàm opera pensanti. Itaque sic lotum & perunctum sponsum tuum, ingenti cum deuotione & reuerentia quietis captandæ gratia in suauissimum DEI patris sinum tanquam amœnissimũ, quem ipsa excogitare queas, lectulum repones, capite illius reuerendissimo, spinarum aculeis tam dirè compuncto, atque in cruce sine adminiculo & quiete tam diu perseueranti, ad pijssimum DEI patris pectus ceu mollissimum, quod possis inuenire, puluinar ob requiem capiendã applicato. Sed reuertamur ad dulcissimũ Dominũ, tam miserè

hic stantem, & immanissimis attritũ pœnis. Quæso, imaginem hanc maximè miserandã, tam altè nostris imprimamus pectoribus, vt nulla vnquã obliuione è nr̃a memoria deleat. Sẽtire etiã hic licet, ꝙ quidã affirmãt christum IESVM (qui spiritũ suũ nunquã ab orandi agendiq; studio relaxabat) dum ministri circa illius mortẽ præparandã occuparẽtur, flexis humiliter ac deuotè in terram nudis cruẽtisq; genibus suis, corde, oculis ac manibus in cælũ ad Deũ patrẽ erectis obtulisse eidẽ dignissimum sacrificiũ passionis suę, ad conciliandũ eum humano generi, his vel similibus verbis: O pater cælestis, ęterne DEVS, cæli, terræq;, necnon creaturarũ omniũ conditor, te oro, te obsecro, qui semper me audis, suscipe nunc sacrificiũ & oblationẽ vnici filij tui, id est, acerbissimam passionẽ, insontemq; mortẽ meam, quã modò ex amore pro cunctis mũdi sceleribus & culpis pati desidero. Neq; eñ venio ĩ cõspectũ tuũ cũ sanguine alieno, id est, pecorũ, sed ipsum propriũ sanguinẽ meũ fundo in preciũ & satisfactionẽ ꝓ debitis deperditi hoĩs. Aspice, quęso, sancte pater, humiles preces meas, laborem & dolorem meum, & ipsam hanc durissimam passionem meam, propiciusq; suscipe immeritam mortẽ meam, quam pro cunctorum erratis mortaliũ ex ingenti amore subire concupisco ab abolendam meritam mortem Adæ præuaricatoris. Vertatur, obsecro, ira tua in clementiam, & aperi perdito homini portam cæli, quã illius ob culpam tot annorum millibus penitus occlusisti, desq; per paternam misericordiam tuam locum in regno tuo sempiterno, vt per eum impiorum ruinæ angelorum instaurentur, impleaturq; domus tua, & nomẽ sanctum tuum prædicetur ac benedicatur in omnia secula seculorum. Amen.

IESVS

IESVS cruci affigitur.
Caput XXXIIII.



Ost hęc inhumanissimi illi carnifices IESVM crudelissimè versus crucē rapuerunt: quā visam agnus innocens ingenti cum desiderio salutauit, dicēs in corde suo: O crux beatissima, tāto iam ex tēpore te amplecti cōcupiui: trigintatribus annis tui me tenuit desideriū, vt hominum in te salutē operarer. O lignum preciosissimum, per quod modò iustitia fiet, & soluetur debitū præuaricatoris. O lignū fœcundissimū, inter cūctas arbores benedictū, vtpotè quod solū dignum fuisti ferre vitæ fructum, quo virulenta serpentis antiqui infectio profligabitur. O arbor electissima, præ cunctis electa plantis, vt feras secli preciū, inserui nūc creatori tuo: suscipe cum amore in te, qui te de nihilo creauit. Deinde agni innocentissimi vulneratum corpus immitissimè in crucē rigidam prostrauerunt, manumq; alterā crasso quodā clauo crebris ictibus cruci cruciabiliter nimis affixerunt. O quàm impatibilis hic dolor erat suauissimo redēptori, cui⁹ tā tenera ac pręclara erat cōplexio, quiq; totus iam debilis & exhaust⁹ erat pœnis illis oībus, quas antè ptulerat. Quàm intimas cordis ei⁹ medullas ict⁹ isti & affixio penetrabāt? Quàm fuit corde anxius, q̄ doloribus immēsis corrept⁹, cū grādis ille & obtusus clau⁹ vi multa per venas, neruos & ossicula, q̄ in manib⁹ cōcurrūt, ineffabili cū cruciatu adigeretur? Secū quisq; ppendat, quāt⁹ hic dolor fuerit. Et q̄a obtusus admodū & crassus erat clauus, cutē simul attraxit per vulnus, quod totum impleuit & obstruxit, vt sanguis indè effluere nō posset.

Moxq;

Moxque alteram quoque manum ad foramen in cruce effossum itidẽ perforãdam pertraxerunt. Sed quia procul aberat foramen, & Christi corpus frigore, sanguinis fusione, & pœnis antea perpessis non parùm cõtractum erat, manum ipsam rigido fune extenderunt, alteram interim manum summa vi retinentes, atque ita sacra Christi brachia horribili cum dolore intenderunt, donec quò volebant, manum adduxissent: quam tunc similiter ingenti clauo confoderunt. Dehinc & sacros eius pedes crudelissimè priùs extentos, simulq; iunctos immani clauo confixerunt. Attende nunc ò anima mea sponsum tuum, DEVM & creatorem tuum, vt nunc amoris conscenderit lectulum, quàm latè suas extenderit vlnas, vt te amplectatᷓ, quàm deniq; amicabiliter te ad se inuitarit, vtẽs quasi verbis illis Cãtici Cãticorũ: Veni ad me soror mea, sponsa mea, columba mea: veni, inquam, in foramina petræ, id est, melliflua vulnera mea. Veni, quia paratus iam & floridus est lectulus noster, ornatus rubicũdis vulneribus & precioso sanguine meo. Itaque veni prorsus ò anima mea, & intuere quãta pro te pertulerit Deus tuus: vide, sed cum immensa compassione, vt sacra eius extenta sunt membra, distractaq; & dilacerata, & extra suas in lõgum & latum euulsa ac exturbata iũcturas, ita vt ne vnũ quidẽ suo adhæreat loco, & cuncta facilè possint dinumerari. Quispiám ne esse poterit, qui hoc dolore ineffabili non moueatur ad compassionem? O quàm omnia illius sacra membra & nerui, instar arcus adducta & intenta erant, & alia ad se alia attrahebant. O quàm se totum pro nobis obtulit, quando nec vnum saltem membrum habuit, quod non ingenti cruciatu pariter & labore tortum fuerit & occupatum in opere salutis nostræ. Adcò nanque inhumani-

maniter extẽſus erat, vt mẽbrũ aliud alij ſuccurrere non poſſet, cunctis pariter incõpræhenſibili dolore pœnaq; correptis. Nos quidem ſi paruo quodam ſimus affecti vulnere, vix moderatè ferimus quempiam illud etiam leniter attrectare velle: & manuum pedumq; Chriſti vulneribus omne totius ſacri corporis eius pondus imminebat. O quàm miserãdum in modum membra neruiq; omnes contrahebantur: quàm cuncta illius interiora perturbata, læſa atque contrita erant. Vicit hæc pœna captum omnem & intellectum humanum, eò ꝙ intolerabilis eſſet, tantoq; duraret tempore. Ait hinc venerabilis Beda: Chriſtus pendens in cruce, manibus pedibusq; confixus, lenta morte conſumptus & attritus eſt, diuq; in pœna perdurauit, non quò eum delectaret viuere, ſed ne paſſio ſua citò finiretur. Huius nos acerbiſſimæ paſſionis aliquantulũ participes efficiamur: quandoquidem noſtra ſunt peccata, quæ eam DEI filio intulere: aliquam pijſſimo Domino pro ſua paſſione reddamus vicem, quatenus noſtra fert facultas. Id autem faciemus, ſi huic nos crucifixioni conformauerimus, & vt Paulus ait, carnem crucifixerimus cum vitijs & concupiſcentijs damnabilibus, eis ad ſanguinem vſque reſiſtendo, adeoq; per crucis afflictionẽ eam attriuerimus, vt nõ ſinamus vllum regnare peccatum in noſtro mortali corpore, viſq; noſtra concupiſcibilis fortiter ſemper diuino ſit affixa timori. Similiter huic nos crucifixioni conformabimus, ſi noſipſos latè ad ipſam crucẽ extenderimus, toto eam intra nos recipiẽdo attrahendoq; affectu, ita vt cum apoſtolo Andrea dicamꝰ ex ſententia: O bona crux diu deſiderata, & iam concupiſcenti animo præparata, ſecurus & gaudens venio ad te, ita vt & tu exultans ſuſcipias me, diſcipulum eius qui pe-

pendit

pendit in te: quia amator tuus semper fui, & desideraui amplecti te. Hæc autē non de externæ tantùm afflictionis cruce intelligenda sunt, sed de omni tum externa, tum interna molestia & afflictione, quæ DEO permittēte nobis occurrerit, siue ea sit persecutio, vexatio, aut cōtemptus ab hominibus illatus, seu charorū amissio, aut iactura rerum tēporalium, aut inimici tentatio, aut internus animi angor ob defectū profectus nostri: quas quidē cruces omnes spontè ex DEI manibus accipiētes, in eas nos extēdemus, dicendo cum S. Dauid: Improperium expectauit cor meum & miseriā: neq; solū cruces has imponi nobis patiemur, sed vltrò etiā leuabimus, simul ipsi nos crucifigentes, irrisui ac contemptui habentes, nihilipēdētes, nudātes deniq; flagellantesq;. Quod est, quòd dum ab alijs contemnemur, ipsi nos ducemus pro nihilo ac vilipēdemus, ex animoq; fatebimur, cētuplo viliores nos esse, plusq; contēptus & nihilipēsionis meruisse, quàm cūcti nobis homines inferre queāt, immo indignos nos esse, q à tā præstātibus creaturis despiciamur. Sed & ipsi nos pariter flagellabimus, affligemus & crucifigemus, quod est, quòd crucē nostram exaggerabimus, altiusq; intrò recipiemus, exercēdo nos in ea, quēadmodū diuus Iob ait: Loquar in tribulatione spūs mei, confabulabor cum amaritudine animæ meæ. verbi gratia: Cum prorsus desolati fuerimus, atq; animo afflicto & anxij corde ob peccata exactæ vitæ, ob nimias negligentias nostras, vitiaq; multiplicia, & quòd tam nihil progressi simus in virtutibus, tum nō statim ad confitendū properabimus, vt ab huiuscemodi molestijs releuemur: (hoc est enī abijcere crucē, & ipsum est cōsiliū diaboli, dicētis, Descēde de cruce, & salua teipsum) sed fortiter cū Christo in cruce fixi herebimus, etiā augendo

do crucem nostram, ita videlicet, vt ad hanc angustiam nobiscũ ipsi reputemus, quãta Dñm maiestatis iniuriã & contẽptu maximis nřis iniqtatibus affecerimus, q́ꝙ́; nos viles vermiculi tãto Dño sæpius resistere ausi fuerimus & illius ꝑtergredi voluntatẽ, nec tã amabilẽ ac fidũ timuerim⁹ offendere patrẽ, tã paterno nos amore cõplectentẽ, totq́; in nos cõgerẽtẽ bñficia. Insup & immẽsam cogitabimus DEI bonitatẽ, ꝙ tã potẽs Dñs, q mox suas poterat iniurias vlcisci, oẽm hãc despicientiã & proteruam malitiã nostrã, tam benignè lõganimiterq́; tolerã-rit. Et ipsa quidẽ elemẽta sui iniuriã cõditoris ferre non poterãt, sed instar seruorũ Dauidis, à Semei maledictis & conuicijs lacessiti, ad expetendã de sui regis iniurijs vltionem sese erexerunt: & pius Dñs cessare ea iussit, dicens: Sinite omnem hunc mihi contẽptum irrogent: libens eum excipiã, forsitan conuertẽtur & resipiscent. Non em̃ volo mortẽ peccatorũ, sed vt cõuertanẽ & viuant. Ita nimirũ Dñs IESVS Christus in immanissimis illis pœnis in cruce pendẽs, in afflictiõe sua cõstantissimè perseuerauit: nec de cruce descẽdere voluit ob maledicta & blasphemias Iudæorũ, aut immẽsitatẽ doloris sui: sed seipsum grauiùs afflixit ad omnes cruciatus suos, in animũ suũ reuocans & adducens vniuersam hominum ingratitudinem, omnem patris iniuriã & contẽptum, & vindictã oẽm in impios exercendã, quodq́; passionẽ suam in multis tã nullus cõsequeretur effectus. Prætereà cõformabimus nos dilecto nřo crucifixo, vt sicuti ille à terra leuatus est in cruce, ita nos cum S. Iob dicamus: Suspendium elegit anima mea, & mortẽ ossa mea. cunctaque membra nostra, manus, oculos, corda, viresq́ue omnes erigamus ac intẽdamus ad Deũ, illi laudes, amorem, gratiarũactionẽ, honorẽ & reuerentiã exhibituri;

quo

quò cunctainteriora noſtra DEO benedicant, & omnia oſſa noſtra dicant: Domine, quis ſimilis tibi? Vbi verò ſic cunctis viribus noſtris, totaq; virtute noſtra à terra in cælum ſuſpenſi fuerimus, ſitibundo affectu cæleſtem expectantes rorem ac dulcem Sanctiſpiritus influxum, dicendo cum Dauid: Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum, tum quidem longè aliam nos Dominus cantionem depromere docebit, quemadmodum filios Iſrael docuit olim in Babylone. Iubilus nãque noſter vertetur in gemitum, & gaudiũ in luctũ, & pro cãticis Sion voce lugubri cantabimus: Deus DEUS me⁹, quare me dereliquiſti? clamabo per diem, & nõ exaudies. Atq; hoc eſt beatum illud ſuſpendium, quod Iob elegit, & mors quam appetijt, ita vt neq; cælum neq; terram cõtingere poſſimus, ſed inter vtrunque maneamus ſuſpenſi. Terra nanque eiuſmodi homini crux eſt, eamq; deſpexit: & cælũ clauſum eſt, ac nubes pluuias dare prohibentur. Sic idẽ ipſe miſer & deſolatus Iob pendebat, cum diceret: Si ad orientem iero, non apparet: ſi ad occidentem, non intelligam eum. Si ad ſiniſtram, quid agam? non apprehendam eum. Si me vertam ad dextrã, non videbo illum. Ipſe verò ſcit viam meam, & probabit me quaſi aurũ, quod per ignem tranſit. O verè beatam hanc crucem, & ſacrum ſuſpendiũ. Cumq; hac miſerãda in ſiti, in clamãdo & in cælum gemendo perſeuerauerimus, ſitim noſtram felle & aceto leuabit, id eſt, pro deuotionis dulcedine, acerbas & immundas patiemur cogitationes: tumq; rurſus cum Iob dicemus: Quæ prius tãgere nolebat anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt. Itemq;: Si dixero, Cõſolabitur me lectulus meus, & releuabor loquẽs mecum in ſtratu meo: terrebis me per ſomnia, & per viſiones

ſiones horrore cõcuties, id eſt, ſi reuerti velimus ad exercitia noſtra in lectulum abſtracti quietiq́; cordis noſtri, vbi Deum noſtrum cum anima amante per noctes quærere ſolebamus, & complura accipere ſecreta oſcula, ibi nos horribilibus terrebis formis ac imaginibus, & phantaſmatibus infernis tartareisq́;. Cæterùm tã extremè deſolati, qñ nec tantillùm habemus vbi caput reclinemus, vbinam nos cõtinebimus? Quanam in re conſolationem accipere poterimus, præterquam vt diuus Iob ait, in cruce noſtra, dicendo: Hæc mihi conſolatio, vt affligens me dolore, non parcat: & qui cepit, ipſe mé conterat? Ita planè noſmet periclitabimur, animasque noſtras illius exponemus amori, qui noſtri cauſa ſuam poſuit, in ipſaq́; hac deſolatiõe totos nos DEO reſignabimus, dicendo: Domine, in manus tuas tuamq́; voluntatem commendo animam meam nunc & in perpetuum. Sed redeamus nũc ad dilecti lectulum, id eſt, ad crucem ſanctam, in qua amor noſter tam miſerabiliter erectus atq́; diſtentus fuit. O quantis in angoribus poſita erat dulciſſima DEI mater & virgo Maria? quàm ſinguli quiq́; ictus malleorum, quos, dum filius cruci figeretur, audiuit, cor illius pijſſimũ pulſârunt? Quàm totam in ſe portauit crucis imaginem, eidem ipſa viciſſim omnino impreſſa, & in eam quaſi trãsformata? Nec dubiũ eſt, quin per ingentem compaſſionem vnà cum filio cruci affixa fuerit, ſitque paſſa intrinſecùs, quicquid Chriſtus foris perpeſſus eſt. Stemus & nos pauliſper cum matre pijſſima iuxta crucem. Bonum eſt nos hic parumper ſubſiſtere: quandoquidem flumina hic ſcatent gratiæ atque chariſmatum. Et nos quoque vnà cum afflicta matre MARIA (ſi tamen gratiæ filij ſumus) in intimis animarum noſtrarũ, dolore & compaſſiõe vulneremur erga inhu-

N ma-

manam CHRISTI paſſionem: cum ſit ipſe frater, caro, & ſanguis noſter, & noſtra vtique ſint peccata, ob quæ ſic affligitur. Aſcendamus & nos ardenti cum amore & deuotione in lectulum dilecti noſtri, quando multo cum deſiderio ille nos expectat, ſatisque latè nos amplexandi gratia ſua brachia extendit: nos oſculaturus, caput inclinauit: nos quoque cunctas vires & membra noſtra ad ipſum erigamus, vt cum amore amicabiliter eum amplexemur, & cum deuotione ac reuerentia noſtris apprimamus cordibus, dicendo cum ſponſa in Canticis Canticorum: Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea cômorabit. Sit cor nrm̃ gratû illi puluinar, quo ſacrum ſuum caput, quod tam diu maximis in pœnis abſque vllo ſuſtentaculo pependit, acclinet. Quæſo, non prætereamus beatum hunc ſanctæ crucis lectulum, quia lectulus noſter eſt: ſed quæramus cum ſponſa amoris facibus accenſa, in lectulo noſtro, quem diligit anima noſtra. Quicquid enim in eo infirmû conſpicitur, noſtri cauſa & à nobis ſuſcepit, eiusque infirmitas, noſtra ſalus eſt & medicina. Sed nunc toto intellectu noſtro præcelſum venerandi lectuli huius myſterium perſcrutemur. Tanta nãq; & tam immenſa eſt gloria crucis, vt nihil in ea myſterio vacet. Primò quidem ex duobus lignis compacta eſt, quæ ſignificant duo teſtamenta. Quicquid nanque vetus inſtrumentum ſcriptis & figuris futurum prænûciabat, id omne nouum iam reuerà impletum nunciat. Hæc porrò bina ligna, firma CHRISTI fide ceu forti quodam clauo compinguntur, Chriſtique imaginis ſigno obſignatur. Et ipſa crux ſancta, inſtar veri lectuli, quatuor habet angulos, ad quos ſacratiſsima filij DEI membra extenta fuere: quò per id nobis liquidò daretur intelligi, illum vniuerſum

uersum mortalium genus, id est, cunctos homines communi quadam dilectione complecti, atque ex quatuor mundi angulis cũctos ad se in lectulum suum instar feruentissimi amatoris pertrahere desiderare. Pro omnibus enim mortuus est, & indiscriminatim omnes optat homines saluos facere. Quod ipsum & forma crucis illius præ se fert insinuatque. Eius nanque pars superior, angelorum eum ruinam instaurare voluisse significat: Pars inferior, patres eum ex limbo redimere: Pars dextri lateris, suos eum protegere amicos ac benedicere: Pars sinistra, trahere eum atque conuertere inimicos suos, cunctosque peccatores voluisse, designat. In extremitate superiori, cęli reseratio: in inferiori, destructio inferni: in dextra, gratiæ diffusio: in sinistra, peccatorũ remissio significatur. Iam verò iuxta Apostoli institutionem, etiam in nobis sentiamus, quod est in Christo IESV, id est, huic cruci iam dictæ spiritaliter nos conformemus, quò Christo in animabus nostris delectabilem præparemus lectulũ, quatuor angulis instructum, quorũ vnus sursum, alius deorsum, tertius intrò, quartus respiciat foras. Hi nimirum quatuor sunt vitæ semitæ, nõ modò ad paradisum nos pducentes, sed tã amœno quoq; nos exornantes decore, vt ipsimet DEO voluptatis paradisus efficiamur, ac instar terrestris illius paradisi, quatuor è nobis exeant flumina periucunda, in vitam vsque salientia æternam. Supremus quidem huius lectuli angulus, seu extremitas suprema, est, vt corda cunctaque nostra desideria omni cum facultate nostra expandere atque extendere debeamus ad DEVM in amore, in gratitudine, in laude, in reuerentia, in humili resignatione & obedientia seu subiectione, ita vt momentis omnibus tantum DEO laudis & ho-

noris optemus impendere, quantum creaturæ omes in omnia feculorum fecula exhibere fe poſſe defiderabũt. Sed neq; fic fitibundo noſtro defiderio fatisfactum eſſe debebit, quin & DEVM humiliter precabimur, vt ipſemet perficere dignetur laudẽ ſuam, quã nulla perficere, nulla capere creatura poteſt. Infima extremitas eſt, vt nosipſos tam profundè cũ ingẽti deijciamus, humiliemus, demergamus, ac nihili pendamus humilitate, vt non viliſſimos modò ac indigniſſimos totius orbis nos cenſeamus peccatores, ſed tales quoq; ab omibus haberi, atq; eam eſſe de nobis omniũ opinionẽ deſideremus. Enimuerò adeò ſe quiſq; deijcere in ima, adeò ſe vilipẽdere atq; abijcere deberet, vt DEVS cum vniuerſis donis & chariſmatibus ſuis eũ nõ poſſet extollere: quãtoq; largiorib9 ac copioſiorib9 DEI donis perfunderetur & chariſmatibus, tanto & ſe ampli9 nihili facere & humiliare, Deiq; bonitatem eo magis prædicare deberet & efferre laudibus, hoc ipſum impẽdiò ſecum admirans, ꝙ DEVS ſublimis & glorioſus, tam inutilis, indigi, extremi vermiculi, vel ſemel meminiſſe, & vel aliquid ſaltẽ per eum operari dignaretur. Extrorſum verſus tendẽs extremitas, eſt, vt tã latè ad creaturas oẽs ſimus extẽti, vt complectamur omnia, veraq; cum dilectiõe cunctos in cælis, in terris, in purgatorij locis degẽtes, amplexemur. Et primò quidem in cælis poſitos beatos ſpiritus amabili cum fauore circumplectamur, illorum congratulando gloriç, ac perinde gratias ob eam DEO referendo, ac ſi noſipſi ea frueremur. Deinde animas in purgatorio detentas ita complectamur per compaſſionem, vt tantum illorum pœnis compatiamur & cruciatibus, ac ſi noſipſi ea toleraremus, eiſque pro viribus feramus opem. Tertiò ad omnes adhuc ſuperſtites homines extenti erimus, vera

cos

eos amplectendo charitate, nullo penitus excluso, & opitulando subueniendoq; singulis pro virili: idq; tanto cordis affectu, vt doleamus esse aliquem, qui nostra non sit ope subleuatus: tam ingenti quoque cũ amore cuncta nostra peragendo opera, vt tam prodesse optemus omnibus, quàm nobisipsis: atque sic demũ nos vertamus ad externa, vt semper maneamus intus, aut ad minus citra impedimentum nos rursus queamus intrò recipere, sitque exitus noster verus ingressus. Quartò nanque (quæ est ea extremitas, quæ intrò spectat) cunctas vires nostras tam altè ad secretæ & vnicæ quieti cordis nostri solitudinis siue deserti recessus interiores vnà cum Mose minari debemus, donec omnem multiplicitatem & inquietudinem euaserimus perdiderimusque, simulque cum eodem Mose ad admirandum DEI pertingamus vultum, vbi tum in silentio Dominum præstolabimur. Ibi iam internam DEI vocem, in deserto clamantem, audiemus: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. De hoc deserto Dominus in Osee loquitur: Ducam eam, inquit, animam videlicet amantem, in solitudinem, & ibi loquar ad cor eius. Hi sunt quatuor anguli seu cornua quatuor sanctæ crucis & lectuli amoris. Et reuerà quisquis suum ita instruxit ac præparauit lectulum, CHRISTVM amatorem suum cum anima amante fidenter inuitare poterit ac dicere: Veni dilecte mi: lectulus enim noster floridus.

Oratio ad IESVM crucifixum, Caput XXXV.



IESV paradisus deliciarum, clauis Dauid, qui claudis, & nemo aperit: aperis, & nemo claudit: expāde brachia diuinæ clemētiæ & gratię tuę, & me miseram suscipe creaturā tuam, ad te anxiè confugientem. Gemens & tremēs ceu ouis, compluribus eisdéq; sæuissimis vndiq; cinctus lupis, ad te venio pastorem bonum, qui animam tuā posuisti pro ouibus tuis. Aperi mihi sacra vulnera tua, vt in eis delitecā, protegarq; à telis igneis inimici. Amplectere me, vt pia solet mater ægrum filium suum, in visceribus ac membris misericordię tuæ, quæ ex amore purissimo mei causa in cruce tam dirè extendi & clauis affigi voluisti, adeò vt cuncta extra suas euellerētur iuncturas, atq; ita suis essent exturbata sedibus ac locis, vt omnia facilè numerarētur: sicq; ad vitæ arborem manibus pedibusq; horribili cum dolore affixus es, vt chirographū antiqui debiti (quod protoparentes nōstri confecerant, extēdendo manus suas ad fructum vetitum arboris scientiæ boni & mali) tuo innocente aboleres sanguine, peccatumq; cruci figeres & obliterares. Occide etiam in me omnia carnis desideria, & quicquid est in me propriæ voluntatis, superbię ac vitiosæ propensionis. Extingue in me vitia cuncta, & quicquid displicet oculis sanctitatis tuæ: rursumque excita in me bonum atque constantem spiritum, voluntatemque cunctas exercendi virtutes. Erige vires meas omnes per amorem, vt te Deum creatorem ac saluatorē meum toto corde diligam, laudem, gratias agam & honorem, nec vllum cesset membrum meum benedicere & magnificare nomē sanctum tuū. Reforma ac repara me instrumentū tuū, quod ipse

destru

destruxi, adeoq; tibi redde subditum, accõmodum, morigeruinq;, vt tam liberè, delectabiliter & expeditè absq; vllo impedimẽto eo operari queas ad æternã gloriã tuam, quàm in mortali vnquã creatura [illegible]s e[illegible] eñ corruptiõis venã ex radice peccat[illegible]enit[illegible] nostrorũ traxerim⁹, ad oẽm malitiã ꝓclines sum⁹. N[illegible] test virus hoc serpẽtinũ & vitiosa ꝓp[illegible] crucis tuæ diuinũ curari mysteriũ. Q[illegible]ò æ[illegible] piẽtia, natura hũana in prima sua adh[illegible]itat[illegible]ta, secũq; manẽs, stabilis ꝑseuerare nõ potuit, sed lapsa est, quãto minùs ego iam corruptus & vitiatus, me meis non potero viribus supra me attollere? Nec potero quidem absq; ingenti misericordia tua ad primam reparari innocẽtiam meam, sed ero tanquã abortiuum, à matre sua, perenni cũ dolore proiectũ, in quo labor oĩs & dolor partus absq; fructu sustinetur. O IESV bone, si tantũ me dilexisti iam perditũ, vt tuo precioso me sanguine redimeres, mortemq; turpissimã mei causa subires: quãto magìs iam me neutiquam perire sines, & inanem in me esse omnem laborem atque dolorem tuum? O clementissime DEVS, en totus omni facultate mea tibi seruire & obsequi desidero. Sed qui hanc voluntatem bonam & desiderium cõtulisti, etiam pij operis dare debebis effectum. A te nanque est omne bonum nostrum, & non tantùm velle tribuis & operari, sed cordis etiam præparationem & desiderium bonam habendi voluntatem. Quid eñ à meipso habeo? quid verò ex originalis peccati traduce, nisi corruptionem omnem & ad mala quæque pronitatem, trahere potui? Vnde si quid aliud in me est, tuum hoc opus est Domine, idque ex te totius boni fonte promanat, qui iustus & sanctus es in cunctis operibus tuis.

IESVS cum cruce ſubleuatur. Caput XXXVI.



Taque vbi iam cruci Dominum af fixerant, mox eum immitiſſimi carnifices magno cũ furore cum cruce ſubleuârunt, ipſamq́; crucẽ ſanctam ferociſſimè in petrâ exciſam impegerũt, & decidere permiſerũt, ita vt hoc caſu cũcta Chriſti membra atque interiora, inhumano quodã dolore concuterẽtur colliderẽturq́;, vtpotè quæ antea plus ſatis intẽſa fuerãt. Hîc iam manuũ pedũq́; ſacra vulnera inſtar fontium eruperũt, largiterq́; manare cœperũt. Nimirũ hęc quatuor ſunt paradiſi flumina, quæ ex loco voluptatis egrediẽtia, irrigãt oẽm terrã. O ſitiẽtes oẽs venite ad aquas, haurite nũc cum gaudio de fontibus ſaluatoris. Sugite modò mel de petra, oleũq́; & vinũ de ſaxo duriſſimo. Emite abſq; argẽto & abſq; vlla cõmutatiõe vinũ & lac. Eñ uerò hic eſt lapis angularis, firm⁹ & incõmutabilis, à Iudæis quidẽ reprobat⁹, ſed elect⁹ à gẽtibus, quẽ Iacob, pater cæleſtis, erexit in ſignũ grãæ & clemẽtiæ, in titulũ pacis, perfuſum miſericordiæ oleo. Venite quotquot deũ amatis, aſcẽdamus in montẽ dñi: q̃nquidẽ fœcundus admodũ eſt & pinguis & delicijs abundãs. Fluuius nanque voluptatis è medio paradiſi, id eſt, ſauciato Chriſti latere egrediẽs, totũ eum perfudit. Hæc reuerà eſt terra promiſſionis, lacte & melle manans. Hîc iam botrus in vecte ſuſpenſus oſtenditur. Hîc planè eſt petra bis virga percuſſa, quæ non modò aquas viuas, ſed etiam olei riuos emanauit: adeò vt quotquot ad hunc montem accedunt, ſanctificentur, dicantque cum ani-

ma

ma amante: Oleum effusum nomen tuum. Hic etiam est vas oleo gratiæ plenum, à patre in terras missum, vt curaretur indè homo æger, qui ab Hierusalem descēdens in Iericho, inciderat in latrones, ab eis mortiferis affectus plagis: in quo etiam precium salutis nostræ continebatur. Quod quidem vas non solùm pluribus in locis perforatum est, sed fundum quoque illius excussum, ita vt cuilibet haurire liceat quātum libet. Et hoc Christus de seipso testatur, dicens: Sicut aqua effusus sum. Quanuìs autem exiguum sit vas, plenum tamen est, vtpote benedictū à Deo, ita vt nūquam liquor olei huius deficiat, quàm diu vasa supererunt vacua, quibus excipiatur. Ea verò de causa Christus erectus est, vt inimicus cum omni virtute sua prosterneretur. Sublatus est & exaltatus à terra, vt nos traheret post se ab omni terrena cupiditate. In sublime leuatus est, vt nos oues errantes procul intuens, oculis gratiæ & misericordiæ suæ annuendo ad se reduceret. Est prętereà subleuatus in aera, vt eum à dæmonibus expurgaret, quemadmodum terram mundauerat effusione preciosi sanguinis sui, simulq; iter ad cælum tutū nobis efficeret. Est etiam altera extremitate sursum erectus, remanente altera in terra, atq; ita suspensus inter vtrunq;, vt terram cælo, id est, homines angelis sociaret, inter vtrosq; pace confirmata, nobisq; re ipsa ostenderet æternum se inter patrem atq; hominem fore conciliatorem pacificatoreq;. Vnde ceu murum solidum sese opposuit pro domo Israel aduersus iram Dei, excipiens ipse in se tela omnia furoris atq; vltionis diuinæ, ita vt mortiferis sit confectus vulneribus. Nunc igitur fideles omnes vestrū contemplamini Saluatorem, regem ac ducem pro vobis dimicantem, atq; à vestris vos eripientem hostibus, & in

pristinã asserentem libertatem. Iam victorię signũ, crucis tropheum erectum est, sub quo nobis militandum est, quodq; nos ab omnibus tuebitur obstaculis & impedimẽtis. Itaq; gaudeamus, exultemus, gloriemur in cruce sancta DOMINI nostri IESV Christi. Hic est baculus, quo fortis ille aduersarius percussus est. Hanc crucem ita elegit CHRISTVS, vt omni armorum genere contempto, hac sola suum voluerit elidere hostem. Hanc vsq; adeò amauit, vt illius perquirendæ causa descenderit in terras: quandoquidem cæli huiusmodi ligni genus non proferunt: nihilque veritus sit migrare è gloria & gaudijs suis, extra regnum suum exul fieri, atq; omnem denique ignominiam, pœnam, molestiamquè subire, quò hanc posset amplecti, quemadmodum Paulus ait: Aspiciamus in authorem fidei & consummatorem IESVM, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, cõfusione contempta, immo & afflictione omni, quæ indè illi accidere potuisset. Quòd autem non intra oppidum vel domũ, sed foris in cãpo crucifix⁹ est Dñs, id nobis significat, non soli domui Israeliticæ redimẽdæ eũ venisse, neq; pro Iudaico tantùm populo mortuum esse, sed pro mundo vniuerso. Sic & in Cãticis, vbi ait: Ego flos campi & liliũ conualliũ, nõ horti se lilium humano studio satum & adultum vocat: quandoquidem ex terra inculta, id est, intacto virginis matris vtero processit. Est etiam agnus sine macula, & candens lilium, quod nobis lachrymarum protulit vallis, cum noua benedictione primũ fructum suum Deo offerens, quæ priùs maledicta non nisi spinas & tribulos proferebat. Hinc verò animaduertere licet, DOMINUM benignitatem suam dedisse nobis: cùm terra nostra ediderit fructum suum, & veritas orta sit ex eadem terra nostra. Hic planè

est elegans lilium conuallis nostræ, albedine micans, totum orbem suo splendore illustrans, virtutisque suæ odore adimplens, ex quo aurei procedunt ramuli, id est, diuinitas ipsa, sub candidis purissimæ humanitatis eius folijs delitescens. Exultet nunc terra nostra tam specioso ornata fructu: cesset à gemitibus vallis nostra lachrymosa: neque enim vltrà dicetur vallis derelictionis, sterilitatis, maledictionis, sed fertilitatis, & solum pingue, atque ager plenus, cui benedixit DOMINUS. Quæ enim priùs infecta erat, serpentinum gustando virus, nunc preciosi sanguinis CHRISTI balsamo repurgata est, atque rore cælesti per sancti spiritus infusionem fœcundata, ita vt iam non vnum duntaxat, sed numerosa ediderit lilia, inter quæ anima amans dilectum suum obambulare & pasci dicit. Quot nanque in terris sunt homines mundi cordis & DEVM amantis, tot nostra vallis lilia produxit. Atque in his delectabiliter sponsus pascitur: hîc iucundè satìs obambulat: hîc summo cum desiderio obuersatur: hîc esse, deliciæ eius sunt: atque hic demum est cibus eius quo libens vescitur, vt scilicet paterna voluntas impleatur. At verò quæ omnium horum liliorum comparatio est ad lilium illud singulare, ex cuius semine cætera pullulârunt, suamque formam, decorem, odoremque mutuata sunt? Cuius nimirum odore serpentes & corruptio omnis fugatur. Itaq; instar apis sedulæ huc studiosè aduolemus, de vulnere ad vulnus transeuntes, nec aliundè nobis pabula carpamus, cùm hæc melle scateant. Quid enim aliud sunt sacra illa mellitaque CHRISTI verba, quæ in cruce deprompsit, quàm flores melliflui ex caule lilij, id est, sancta cruce nascentes? Quæ quidem si nos studiosè

teramus,

teramus, mel indè fugere poterimus. Sic etiam Dominus IESVS diuinum illud lumen eſt, quod pater cæleſtis in terram miſit, quod diu quidem ſub humilis humanitatis eius modio latuit, ſed nunc demum in crucis candelabrum ſublatum eſt, vt quotquot ſub eccleſiæ domo ſunt, hinc illuminentur. Sciderunt hunc modium Iudæi compluribus in locis, & cœpit hoc lumē per rimas eius effundi, ita vt domus quædam tenebroſa illi proxima, ex radijs illius omninò illuſtrata, in hanc proruperit vocem: Domine, memēto mei cum veneris in regnum tuum. Quòd ſi tanta luminis huius vis fuit & efficacia per rimas emicantis, quid factura erat, ſi modius omnis penitus contritus fuiſſet, & abſque medio ſuum potuiſſet ſplēdorem ſpargere? Videre vtiq; fuiſſet, non vnum, ſed complures illuminatos, ſuaq; tundentes pectora, clamantes item atque lugentes, gementes etiam & dicentes: Verè hic homo filius Dei erat. Sicut enim poſt mortē Ioſeph filios Iſrael multiplicatos legimus, ita & poſt Chriſti necem auctus eſt credentium numerus. Sed reuertamur ad vulneratum Chriſti corpꝰ, atq; ſenſibili quodam compaſsionis affectu, quali fuerit cruciatu circundatus, videamus: vtpote cui ne vnum quidem ſupererat membrum, quod nō extra locum ſuum ineffabili cum dolore auulſum eſſet. O quantoperè dolebant brachia tam dirè extenta? quàm pungebant cor illius vulnerum tormenta, quæ totius corporis pondus tamdiu portauerant? Quantis erat correpta angoribus ſancta illius anima, quæ omni confortatione ac illuminatione deſtituta, omnem hāc crucem & pœnam ſuo in pondere ſuſtinuit? Planè iam libra quàm potuit maximè onuſta fuit, & lanx eius altera cuncta mundi peccata ſuſtulit. Quòd ſi aliqua penes nos amoris ſcin-
tilla,

tilla, si qua compassionis viscera resident, non poterimus non compati creatori & Saluatori nostro, quem hîc nostros ob oculos tam miserè nostris pro sceleribus pendere videmus. Quis enim vel bruto animanti sic affecto non compatiatur? Et quidem pijssimus IESVS non solùm intolerabilibus illic pependit in pœnis, vt nos ad lachrymas compunctionemq; moueret: verumetiam cum omnibus amoris argumentis atq; indicijs, vt nos similiter ad amorem accenderet & prouocaret. Estq; sublatus in altum, vt posset videri ab omnibus: latè sua extendit brachia, vt nos omnes amplecteretur. Duris rigidisq; ad crucem clauis affixus est, vt nos longanimiter ad pœnitentiam præstolaretur. Ex omni corpore suo manauit sanguinem, vt largiter nobis potandam præberet precipuam sui preciosi sanguinis medicinam. Ingentia vastaq; suscepit vulnera, vt accessum semper patulum, securumq; latibulum & quietem ab omni haberemus tentationum afflictionumque impulsu. Latus suum confodi permisit, quò viam nobis ad cor suum patefaceret. Voce magna clamauit, vt audiretur ab omnibus. Fleuit acerbè, vt vniuersos nos ad compunctionem, deuotionem, compassionemq; moueret. Demisit caput, quo pacis nobis recôciliationisq; & amoris preberet osculû. Quis igit posthac tâ impij, tam peruersi sit cordis, tam in vitijs obduratus, vt cuncta hæc amoris signa eum non excitent, non inflammêt ad reddendam vicem quantam poterit, & quidem omni facultate sua amori huic prorsus incôpræhensibili? Quis non totum se ad illum conuertat, quem ita ad se conuersum videt, maximè si attendat, quis sit ille, qui hunc exigit, & à quo exigit, amorem? Mirum certè est, si quis hæc dignè perpendat, non verti intra ipsum præ admi ratio-

ratione ingenti cor illius, non totum amore liquefieri. Quis verò desperet veniam consequi, vbi cuncta hæc cernit documenta & signa misericordiæ? Quotquot igitur à serpente pestifero morsi, sauciati, infecti sumus, sub crucem DOMINI IESV confugiamus. Non iam aspiciamus serpentem illum æneum stipiti hærentem, sed IESVM verum Dei filium in cruce pendentem, qui salutarem nobis porriget balsamum preciosi sanguinis sui. Dicamus voce lugubri cum diuo Bernardo: Quid commisisti dulcissime puer? Quid fecisti amantissime iuuenis? Quæ tua noxa? quæ tuæ causa damnationis? Ego certè tui sum causa doloris: quod perpetrauit seruus nequam, Dominus soluit: quod commisit iniustus, soluit iustus. O nate Dei, quò tua descendit humilitas, qui factus es obediens pro me Deo vsque ad mortem, mortem autem crucis? Me ad illicita traxit concupiscentia: te pro me sancta charitas traxit ad crucem. Ego pomum accepi, tu clauis laniaris. Ego pomi dulcedinem, tu fellis gustas amaritudinem. Mihi misero congaudet Eua: tibi crucifixo plorans compatitur Maria. Ego caput meum superbè erexi ad lignum vetitum: tu sanctissimum caput tuum spinarum aculeis submisisti. O IESV salus æterna in te credentium, redemptor in te sperantium, crux tua sit mihi secura protectio contra omnes hostes meos. Vulnera tua sint mihi certum refugium in omni tentatione: & absconde me in illis, donec peccati transeat concupiscentia & æstus vitiorum. Innocens sanguis tuus ex sacris manibus tuis emanans, fœditatem diluat vitiosorum actuum meorum: manusque meas & omnia mēbra mea sursum erigo ad te in deuotione, oratione, amore, laude, gratiarum actione, & executione gratissimæ voluntatis.


tatis tuæ. Vulnera quoque pedum tuorum, errata abſtergãt peruerſorum itinerum meorum, & dirige poſthac pedes meos in viá ſalutis æternæ, nec aberrare me permittas à ſemitis mandatorum tuorum. Amen.

IESVS inter latrones annumeratus eſt. Cap. XXXVII.


ST præterea Dominus noſter IESVS Chriſtus cum ſceleratis reputatus, atque inter duos latrones medius, ceu princeps latronum, ſuſpenſus eſt. Fecit hoc impietas Iudaica, vt CHRISTVS, qui in ſeipſo innocentiſsimus erat, ſcelerum illorum particeps fieret: crederetur que ab omnibus ſimilis illis eſſe in moribus, cum quibus eadem damnatione plexus erat: vt ſic per alienam malitiam infamis fieret, qui ex ſeſe iuſtiſsimus erat. Sed nihil refugit humilis IESVS inter illos pendere, pro quibus mori deſiderabat. Et ipſe quidem cum ſceleratis annumeratus eſt in terris, vt nos angelorum gregibus in cælis inſereremur. Obliterata eſt aliquandiu apud homines opinio nominis eius, vt nomina noſtra æternò adſcriberentur in libro vitæ. Inter latrones ſuſpenſus eſt, non quidem conſors malitiæ eorum, ſed vt ſuæ eos diuinitatis participes faceret. Pependit, inquam, inter eos, non vt ſocius homicidij, ſed vt vitæ medicina: fuitque inter ſceleratos medius, non vt nequam, ~~ſed vt~~ iudex, ſignificans omnem ſibi & in cælis & in terris traditam eſſe potė-

potestatem, iudicemq́; se constitutum viuorum ac mortuorum. Ideoq́; iudiciariam sanctæ crucis conscendit sedem in impiorum medium, alterũ misericorditer donando vita, alterum iustè æternæ mortis feriendo sententia, ostendens pariter vitæ mortisq́; penes se esse imperium: simulq́; iudicij futuri quandam exhibens formam, in quo bonos quidem à dextris, impios verò à sinistris collocabit.

De glorioso crucis Christi titulo. Cap. XXXVIII.



Ilatus etiam more Romanorũ, causam necis Christi scripto in tabulam redegit, eamq́; supra crucem triplici idiomate affigi iussit, his verbis: IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM. Et licet homo ethnicus esset Pilatus, hunc tamen titulum ex sancti spiritus digessit instinctu, ad ignominiam quidem & dedecus Iudæorum, gloriam verò & triumphum Christi. Quanuis enim gens illa impia viuentem Christum suum noluit agnoscere regem, in passione tamẽ illius ex verissimo eius titulo vel inuiti eum agnoscere compulsi sunt, & coram omni orbe confiteri. Ex hoc autem titulo & ingens crudelitas Iudæorum, & Christi iustitia declaratur, dum impij illi regẽ suum tam probrosa affecere morte, nullam aliam habentes causam, nisi ꝙ rex esset. Patet etiam hinc, insontem fuisse Christi mortem, quando nulla alia necis eius causa inscripta fuit, sed nec inscribi potuit. Occultè siquidem virtus omnipotentis Dei in corde infidelis operabatur, vt aliter scribere non posset, quàm ei diuinitus inspiraretur.

ſpiraretur: & nec mutare quidem, licet id à Iudæis exigeretur. Non enim audire Pilatum Iudæi volebant, quum diceret nullam ſe in Domino cauſam reperire: vnde nec ipſe eis morem gerere voluit, ſed ait: Quod ſcripſi, ſcripſi. Atque hoc ipſo vltus eſt ſe de Iudæis, ita vt culpa & malitia oĩs in eos redundârit. Per hũc quoq; titulum diſcretus eſt Dominus à latronib⁹, vt totus aduerteret orbis, quòd non pro aliquo ſcelere ſuo, ſed ex amore puriſsimo precioſam animam ſuam morti expoſuerit pro amicis ſuis. Et per ipſa quidem quatuor huius tituli vocabula, declarata ſunt arcana ſanctæ crucis myſteria. In prima nanque dictione, quæ eſt IESVS, id eſt, Seruator, cauſa nobis virtusque crucis exprimitur: quandoquidem per ſanctam crucem ſeruamur omnes atque ſanamur: & ſicut per inobediẽtiæ lignum perditi ſumus, ita per lignum obedientiæ conſeruamur. Atq; ea de cauſa crucis mortẽ elegit Dominus. Per ſecundam dictionem, quæ eſt NAZARENVS, id eſt, flos ſeu floridus, id nobis oſtenditur, CHRISTVM non velut prauum, aridum ac ſterile lignum pependiſſe in cruce, ſed tanquam vuam in vite, ſeu florem in frutice, quum ipſe ſit flos digniſsimus virgæ Ieſſe, in quo ſanctusſpiritus quieuit: ipſe quoque inſtar botri expreſſus ſit, delectabilem precioſi ſanguinis ſui potionem nobis largiter adminiſtrans. Per tertium verbum, quod eſt REX, immenſa nobis poteſtas & imperium CHRISTI ſignificatur, quæ, per crucis eſt victoriam conſequutus, quemadmodum Paulus ait: CHRISTVS factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & DEVS exaltauit eum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Quarto denique vocabulo, pu-

ta, Iudæorum, id declaratum est, non solùm eum Iudæorum fuisse regem, sed & credentiũm omnium. Iuda nanque confitentem significat. Atque indè Dominus ait: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum corã patre meo. Et certè quotquot eum hîc suum nolunt fateri regem, olim eum iustum iudicem & condemnantem sentient, quemadmodum ipse in Euangelio dicit: Veruntamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me. Cæterùm titulus hic non ex latere, neque sub cruce, sed supra crucem positus est. Quanuis enim humanæ carnis fragilitas in cruce torquebatur, eratque contemptui, sed supra crucem regia eius maiestas sublata erat: ibiq; regni eius emicuit gloria, quod quidem non in tempore, neque ab vllo homine adeptus est, sed per diuinam potentiam suam ab omni æternitate possedit. Erat præterea hic titulus non vnius tantùm gentis idiomate, sed tribus pręcipuis linguis digestus, vtpote Gręca, Latina & Hebraica. Hebręi quidem, qui & Iudęi, ea tempestate, tanquam in lege Domini instituti, omnium erant religiosissimi. Græci verò omnium sapientissimi habebãtur. Latini, id est, Romani, penes quos summa erat rerum potestas, totiq; orbi dominabãtur, longè omnium potentissimi ducebãtur. Testata sunt autem tria hæc idiomata in crucis Christi titulo concurrentia, totius eum religionis, sapientiæ atque potentiæ regem dominumque fuisse: quandoquidem totius orbis imperium, sapientia omnis, vniuersaque religio & sanctitas, verum eum fuisse regem Iudæorum, id est, credentium, cunctamque potentiam, sapientiam, sanctitatem, ab eo ceu fonte promanare testantur. Legerunt autem hunc titulum, vt Euangelista

ait,

ait, multi Iudæorum. Legamus igitur eum & nos ceu veri Iudei, id est, confessores Christi, nõ vti illi cum aspernatione, sed deuota meditatione, semper eum nostris imprimendo cordibus, & velut scutum gerendo cõtra tentamenta omia. Hic nanq; titulus est triumphalis victoriæ, omnem inimici potentiam crucis Christi virtute contritam designans. Confiteamur IESVM, id est, verum orbis redemptorem, agnum sine macula, peccata mundi tollentem eum esse, humiliter eum precando, vt curare animas nostras atq; ex omni vitiorum labe expurgare velit. Fateamur & Nazarenũ eum esse, id est, floridũ, orãdo vt in omi nos virtute virere atq; pgredi faciat. Confiteamur tertiò, verum eum esse regẽ Iudeorum, id est, credentium, cùm omnis ei potestas data sit in cælo & in terra. In eo nanque exultant cælestes spiritus, multaque cum reuerentia eum adorant, trementes atq; pauentes immensam eius potentiam, admirantes illius incompræhensibilem sapientiam, infinitã laudantes bonitatem, fatentes omnipotẽtem eum esse Deum, ante quem in suas ruunt facies agmina cæli, ponentia coronas suas, quamq́ue ab eo accepere gloriam, in eum refundentes, confitendo omnem ex eo honorem & gloriam processisse, & in eum esse referenda. Itaque si hoc pacto hunc legemus titulum, veri Iudæi erimus & filij Abrahæ, & Christus erit rex & seruator noster, & ipse regnabit super nos, nosq́; tuebitur & post hæc in suum assumet regnum, faciens nos cohæredes suos in regno patris sui.

IESVS eos, qui ipsum crucifixerant, vestit. Cap. XXXIX.



Ehinc carnifices, qui Christum in crucem tulerant, qui quatuor fuere, vestes Christi satis abiectas partiti sunt, singulis singulas tribuentes partes. In tunicã autẽ, ꝙ inconsutilis esset, sortem miserunt. Apparet hinc immensa Christi humilitas, quòd quum Dominus esset gloriæ, vilissimis scurris traditus est, quorum tanta erat inopia, vt vestes CHRISTI exigui precij & simplices tam solicitè & exactè distribuerent. O quò se cæli altitudo deiecit: O ineffabilis patientia Christi, qui hæc suos vidit ob oculos, & tamen æquanimiter tulit. Nimirũ hic est agnus innocẽs, qui pro mundi peccatis oblatus, aduersum sui irrisores, seque tondentes & verberantes, sacrum os suum non aperuit, sed benignissimè veste sua ipsos sui occisores contexit. Cæterùm per vestem hanc in quatuor diuisam partes, fides potest accipi, in quatuor orbis fines diffusa, vt omnes ex Domini IESV crucifixione exhilarentur, fiantque illius participes, vt credendo in Christum, Christo vestiri ac indui mereantur, quemadmodum sol terram vestit & exornat, lignumq; ignem induit. Tunica verò inconsutilis, atque ideo nec diuisa, vinculum indissolubilis significat amoris, & vestem nuptialem æquè indissolubilem charitatis: quæ quidem est præcipua vestis, omnem operiens ignominiam & turpitudinem vitiorum. Hæc vestis non scinditur ab hominibus, sed sortitò datur. Quod nobis incompræhensibilia declarat iudicia Dei, qui nouit qui sint sui, quos elegerit, quos non elegerit, qui vestiendi sint, qui in sua dimittendi nuditate. Et electis quidem charitatis præbet vestimentum per sancti spiritus infusionem.

Potest

Poteſt autem hinc iſta trahi ſpiritalis inſtitutio, quòd qui verus Chriſti amator imitatorq́ue eſſe volet, eum adeò cum CHRISTO denudandum eſſe deſpoliandumq́ue omni adminiculo ſeu fulcimento, vt ne pilum quidem rerum ſuarum ſibi retineat, nec quicquam vbi caput ſuum reclinet: & quemadmodum Eſaias ait, in paupertatis & deſolationis camino expurgetur, vti aurum in igne probatur, & granum frumenti crebris ictibus & concuſsibus à palea ſeparatur. Ita, inquam, prorſus denudari & exui eiuſmodi oportet cunctis ſpiritalibus tegumentis, quæ diuturna per exercitia adeò iam induit, vt ſibi aliquid quaſi videri poſsit, vel quòd ſuis iſta ſtudijs & diligentia ſit adeptus, donec ſibijpſi atque ſuis in oculis totus vileſcat & nihilifiat, poſſitq́ue Deo tam tranquillo animo citraq́ue electionem vllam ſeruire in penuria, deſolatione afflictioneq́ue, vt in delicijs, conſolatione & gaudio: atque hæc ipſa indumenta, quæ ſua eſſe putat, & quaſi iure poſsidere hæreditario, ſuis in oculis alearum iactu ad alias tranſeant, id eſt, omnis eius honeſta religioſaq́ue vita, & veſtes ſpirituales, quibus ſe ornatum credit, & in ſuam cedere gloriam, ab alijs lacerentur, contumelia, contemptu, atque probris afficiantur, & ipſe ceu impoſtor & hypocrita habeatur, cunctaq́ue eius vita fallax & hypocriſi obnoxia iudicetur. Atq; ita vnà cum Chriſto, cũ nequam & ſceleratis reputabitur. Sic diſcipuli & amici CHRISTI perſecutiones perpeſsi ſunt, & omnes eorum ſanctiſsimi conatus & opera adeò ducta ſunt pro nihilo, vt quidam eorum dicat: Puto quòd DEVS nos apoſtolos nouiſsimos oſtendit, tanquam morti deſtinatos: quia ſpectaculum facti ſumus mundo & angelis & hominibus. Maledici-

mur,& benedicimus: persecutionē patimur, & sustinemus:blasphemamur,& obsecramus:tanquā purgamēta hui⁹ mundi facti sumus, omniū peripsema vsq; adhuc. Sic sic præclarū tritici granū aliquādiu in terra occultetur varijs tempestatibus atterendum, moriaturque in seipso oportet, si in fructum prodire debeat. Nam Abel esse renuit, quem Cain malitia nō exercet. Quàm verò beata est huiusmodi Cain exercitatio vexatioq;? Quàm perspicuè ex hoc concussu frumentum à palea dinoscitur? Quàm multæ manent incognitæ superbæ mentes, dum nullis tētationibus & contemptu pulsantur, quæ vtique satìs sese proderent, si bene tangerentur? Vnde Propheta ait: Tange montes, & fumigabunt. Et Isaac ad Iacob: Accede, inquit, huc, vt tangam te fili mi, vtrùm tu sis filius meus Esau, an non. At redeamus nunc ad crucem Domini nostri, multa cum deuotione compassioneque aspiciendo creatorem & seruatorem nostrum, tam miserabiliter tantis in cruciatibus pendentem, omnibus amicis, rebus & solatio destitutum, supernè ac infernè derelictum, pœnis omnibus & foris & intus obrutum, despoliatum omnibus, quæ illius poterant mitigare dolores, & accedentibus ei, quæcunque illos exaggerare possent. Attendamus, obsecro, regem hunc miserandum & desolatum vndique. Coronam quidem gerit & regalem titulum: sed vbi eius satellites? vbi castra? vbi palatia? Enimuerò hìc sub diuo pendet. Vbi purpura? vbi auro micantes vestes? vbi status qui regiam deceat magnificentiam? vbi demum corpus & sanguis eius? Nimirum absumptum & excoctum est corpus omne amoris incendio, sicut ipse ait: Zelus domus tuæ comedit me. Sanguinem eius peccatores hauserunt. Quid nobis det, obsecro,

ero, qui nec tantillum habet reliquum, vbi caput acclinet, non tectum, non peculium, non hæreditatem, non vestes? iam ablata sunt omnia. At nihilo minùs accedamus ad hunc myrrhæ montem, & cum turture gemebunda in palmam crucis conscendamus, quærentes si quem possimus fructum capere. Et reuerà satìs superque inuenire licebit, si non desit inquirendi sedulitas. Adhuc linguam habet, quo verbum depromat consolatorium, verbum salutis & institutionis. Quòd si id non sufficit nobis, quo latro ille sic contentus fuit, adhuc paulo altiùs ascendamus. Enimuerò & cor adhuc integrum habet: illo pro nobis patrem suum precabitur. Habet & conscientiam deuotione, gratia & amore plenam: dabit nobis merum illud, quod dilecto suo præbuit discipulo, in eius pectore quiescenti. Sed & hoc si parum nobis satisfacit, en libens suum patietur latus configi, cor scindi & aperiri, porrigetque nobis sanguinem amore ardentissimi cordis sui, potum suauissimum, maximeque delectabilem sue diuinæ charitatis. Denique & sanctam animam suam dabit, gratia & meritis plenam, cunctisq; ornatam virtutibus. Quid verò vlteriùs ab hoc dulcissimo Deo ac Domino nostro exigere poterimus? En dat quicquid habet, quicquid est, quicquid præstare potest. Itaque & nos sic illi vicissim totos demus.

IESVS blasphemijs impetitur. Cap. XL.

SEderunt autem non procul à cruce ministri, Christum custodientes, & rei exitum sustinentes. Et nos quoq; expectemus, non vt illi ex inuidia, mortem

Christi,sed cum dolore finem præstolemur salutis nostræ à Christo, nec recedamus à cruce, quando omnis salus nostra in cruce posita est. Dicit anima quædam amore flagrans: Sub vmbra illius quem desideraueram, sedi,& fructus eius dulcis gutturi meo. Et quid possit amanti animæ esse suauius,quàm vt post distractiones, labores,perturbationes multas,in hac ei lachrymarum valle, velit nolit, occurrentes, eamque fatigantes, sub hac salutiferæ crucis vmbra respiret, sese reficiat, sensusq; dispersos colligat, animamq; exhaustam delectabili arboris huius fructu confortet,& ex sacri torrente lateris dilecti sui, reuerà lacte & melle manãtis,abundè satietur? Expectabat plebs Iudaica exitum rei: & nos perseueremus vsque in finem, nec à pœnitentiæ cruce declinemus,quoad salus nostra in ea peragatur: qui ẽm perseuerauerit vsq; in finem,hic saluus erit:ipsamq; pœnitentiam pariter cum vita finiamus. Exitum præstolabantur Iudæi,quòd necdum sanguine, crudelitate,torquendo suum explessent animum. Et quia anguino suo pectore nullum poterant tormenti genus concipere, quo corpus illius cruciarẽt,ad extremum manibus deficientibus,linguis suis DOMINUM excruciare cœperũt. O malitia ineffabilis. O liuor inauditus. O intemperãs crudelitas. Itaque ceu furiosi ac dæmoniaci caput sacrilegum exagitabant, contra illum sputa egerentes, dicentesq;: Vah qui destruis templum Dei,& in trib9 diebus excitas illud. Proh immensam obcecationem tuam Iudææ impie. Nõ credis,quod ante oculos corã cernis? Iam nunc templum destruitur, & quidem à teipso: sed sustine triduum,& excitatum videbis. O ineffabilis peruersitas & impietas Iudæorũ,qui in id totis incũbebant viribus,vt quemadmodum corpus eius attriuerant,peneq;

neq; in nihilum redegerāt, ita & gloriosum eius nomen penitus obliterarent. Sed quanto id fecere studiosiùs, tanto plùs Christum exaltârunt, maioremq; illius nomini addidere splendorē & gloriam. Putabant quidem posse se illud per mortem turpissimam delere penitus, sed potiùs in sublime tulerunt, velut iudicem in thronum suum. Suis ipsi manibus columnam statuerunt, in quam regiæ maiestatis eius titulus sublatus est: & non modò suam intra nationem nomen illius non potuere supprimere, sed multo magìs in omnes diuulgauere nationes, extuleruntque: ita vt quibus antea ignotus erat CHRISTVS, iam legere possint & cognoscere, regem verum eum esse Israelis. Itaque ipsis suis insultationibus CHRISTVM honorârunt, & vel inuiti laudibus cumulârunt. Adeò nanque impietate & malitia pleni erant, vt si q̄d de eo sciuissent mali, hauddubiè obiecturi fuissent: sed quia in auro purissimo, toties afflictionis & crucis igne probato, nullas poterāt inuenire sordes, ipsas eius virtutes, gloriosa miracula, diuinumq; ei nomen exprobrârunt. O Iudæi cæcissimi, quàm iustum declaratis dominū, dū nihil habetis, quod vestra ei posset improperare malitia, quàm quod honestum, sanctū, diuinumq; est, puta quòd mortuos ad vitam reuocauit, quòd ęgros sanitati restituit, ꝙ mira operatus est, ꝙ denique est filius DEI? Et id quidē nos fide tenemus indubitata. Nisi enim verus DEVS esset, non posset vtique hæc signa facere. Sed his tantis signis vos fidem commodare noluistis. Iam verò prorsus amens vos cepit improbitas vestra, vt vel inuiti confiteamini, Alios saluos fecit. Quin & obijcitis ei, quòd rex Israel est. Id verò nos ex eius titulo satìs animaduertimus. Et vos olim videbitis seuerè vos iudicantem, & æternis ignibus addicentē, quem

vos modò morti crucis adiudicastis. Exprobratis etiam ei, quod Deum habeat patrē. Id quidē & vos intra triduum comprobabitis, cum Deus pater illum à morte excitārit, & ipse Christus ad patrem in cælum conscenderit. Sed nunc secum quisque perpendat, multaq́; cum com passiōe & dolore meditetur, qua pijssimum Christi cor fuerit pœna affectum, cum ipse, cuius natura bonitas est, virulentam illam atque obstinatam cerneret malitiam Judæorum, simulq́; per diuinā suā nosset sapiētiam, quàm improbo liuidoq́; ex corde probra hæc blasphemiasq́; euomerēt. Et reuerà si quid insuper in eum conuiciorum aut iniuriæ conferre potuissent, neutiquam sibi temperassent. Dicere tunc secum poterat pius Dominus in animo suo: Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Cur adeò crudeli, adeò furibundo es animo in Deum creatorem tuum? Cur adeò lapideus & saxeus es, vt calidus sanguis meus, quem instar aquæ in terram decurrere cernis, quo & saxa scindun-tur, ferreum pectus tuum emollire, non in illud pertingere, nec ipsum calefacere possit? En elementa insensilia & irrationales creaturæ, signa quædam tristitiæ præ se ferunt, suo compatientes creatori: & tu, quem singulari diuinitatis meæ cognitione illustraui, legem spiritalesque ceremonias docui, tot beneficijs affeci, contra DEVM tuum erigeris, cuncta illius beneficia oblitus. Equidem propter te Aegyptum multis plagis attriui: tu ediuerso me flagellis cecīdisti. Mirabiliter te ex Aegypto eduxi, mare rubrum sub tuis siccaui vestigijs, hostes tuos nullo tuo labore prostraui: tu verò me Pilato tradidisti, & necē meam studiosissimè molitus es. In deserto quadraginta annis manna te paui: tu contrà fel & acetum potum mihi dedisti. Duxi te per desertum, per

diem

diem nube te protegens ab æstu, & noctibus illuminans per columnā ignis: nō sunt attrita vestimenta tua: & tu me cruce onustum, ad mortem duxisti: spoliatumque vestibus, nudum in crucem tulisti. Regali te sceptro honoraui: tu verò spinis me coronasti, sceptroque arundineo illusum cecidisti. Quid faciam tibi, vt vel tandem cesset malitia tua? Corpus & sanguinem meum tradidi tibi, & floridam elegantemque naturam meam abs te penè conteri permisi. Trigintatres annos pro tui conuersione laboraui, & me audire noluisti. Vel nunc, obsecro, emolliat te acerbissima passio, numerosa vulnera, & feruentes lachrymæ meæ, quem verba mea conuertere non potuerunt: calefaciat te feruidus sanguis meus, quem tot mea miracula trahere non potuere. Sed miseri isti ad hæc ceu canes rabidi vociferati sunt: Si filius DEI es, descende de cruce. O IESV leo inuictissime, non morem geras, non fallacibus eorum dictis fidem adhibeas. Qui enim à mortuis resurgenti credere noluerunt, ne nunc quidem fidem commodarent de cruce descendenti. Noli IESV bone descendere: sed perfice opus salutis nostræ in cruce, quando tota salus nostra in tua morte sita est: ferto interim patienter blasphemias & opprobria eorum: & doce nos charitatis ac patientiæ viam, orando pro inimicis tuis. Declarârunt hic Iudæi filios & discipulos se esse diaboli, sequēdo patrem suum, qui iam antè Christo dixerat: Si filius DEI es, mitte te deorsum. Quin IESV bone ne descendas: sed potius preces cordis tui sursum tendant pro nobis ad patrē. Innocēs hic sanguis tuus conciliet nobis patrē, & de cruce interpellet pro nobis: atque demū etiam ipse ascende ad patrē in cælum, prępārādo

no-

nobis locum, & cæli aditus patefaciendo. Et nunc benignissime pater cælestis, aspice laceratum pallium Ioseph dilecti filij tui, quem ille reliquit in manibus improbæ fœminæ, id est, gentis adulterinæ Iudæorum, suam malens vestem amittere, quàm innocétiam: potiusq; eligens sui corporis nudari pallio, atque in mortis detrudi carcerē, q̃ illius dictis fallacibus consentire. Simul autem & principes sacerdotum cum senioribus ijsdem dominum blasphemijs & conuicijs insectati sunt, dicentes: Alios saluos fecit, seipsum nō potest saluum facere. Si rex Israel est, descendat nunc de cruce. At verò Christus blasphemias istas nihil moratus est, sed tulit patienter, perfectæ volens exequi opera charitatis, seque seruare nolens, vt seruaret plurimos: vltroq; se morti offerens, vt alios sanaret: & in illis demum horribilibus eligens durare pœnis, quò cunctos homines ex æternis eriperet cruciatibus. Satis hinc aduerti potest, quàm fideliter Dominus IESVS nostram sit operatus salutem, quando nec ob pœnarum acerbitatem, nec Iudæorum calumnias & probra, nec matris dolores immēsos, nec vllam denique ob causam vel ad momentum nostræ intermisit salutis opus, quod iam tum in cruce agebat. Et nos cōtrà quàm sæpe leuibusq; ex causis à seruitio DEI, ab orationis, ieiunij, vigiliarum, & actuum pœnitentiæ studio auocamur? quàm facilè charitatem lædimus, dum pro verbulo vno patientiam abijcimus, non attendentes, quanta probra, conuicia, contumelias & contemptum rex gloriæ ab ipsa electa sua gente perpessus sit? Et certè vehementissimè hinc suo in corde cruciabatur. Acerbitatem internæ huius afflictionis suæ miserabiliter per Prophetam conqueritur, dicens: Et quidem si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique.

Sed

Sed homo pacis meæ,in quo ſperabã, qui edebat panes meos,magnificauit ſuper me ſupplantationem, & leuauit contra me calcaneum ſuum. O quantoperè agno illi manſuetiſſimo dolebat, ꝙ peculiaris ille populus eius indè eum blaſphemabat, & maledicti ac contumeliæ lòco ponebat,vnde eum laudari potiùs & amari,eiq́; gratias agi oportebat,ꝙ is qui verus erat DEVS,pro ſalutè hominum tam indigna occumbere morte nihil recuſauit. Neque tamen in ſolum DEI filium impij illi has coniecere blaſphemias, ſed inſuper linguas ſuas tanquam prompta diaboli inſtrumenta, in patris iniuriã blaſphemiamq́; laxârunt, dicẽtes: Confidit in DEO:liberet nũc eum,ſi vult:dixit enim, Quia filius DEI ſum. O gẽs ſcelesta & impia, quò te malignus adduxit ſpiritus, vt patri miſericordiæ ſuam obijcias bonitatem? Itá ne iniuria tibi ab illo facta eſt, quòd paternum ſuum laxans ſinum, diuitias gratiæ ſuæ effudit, vnicum ſuum mittens in terram,naturam humanam aſſumẽtem ex genere tuo, quò oues deperditas domus tuæ requireret & ſanaret, eundem demum tua pro ſalute morti obijciens,ſoluẽs grauiſſimum debitum tuum precioſiſſimo ſanguine dilecti filij ſui? Et hiſce pro beneficijs tu in eum blaſphemias euomis, tanquam qui non poſſit opem ferre filio ſuo, qui olim defunctos omnes vnico verbò reuocabit ad vitam,quiq́; & cęlum & terram verbo condidit. Quàm, putamus,graui Dominus IESVS cruce laborârit,cum tales in patrem ſuum blaſphemias, & conuicia & iniurias dici audiret, aduertens pariter quantoperè patrem ad iram commouerent,quamq́; horribile eis immineret iudicium? Nimirum cuncta eius viſcera ad miſerationem mota ſunt erga furioſam gentis ſuæ cæcitatem, clamauitq́; voce lugubri ad patrem: Pater, ignoſce illis, quia neſciũt

nesciunt quid faciunt. O incompræhensibilis bonitas Christi. Fecit hîc, quod antè docuerat, vt amemus inimicos, & oremus pro illis qui nos persequuntur, quodq; iam de eo Propheta prædixerat: Pro eo vt me diligerét, detrahebant mihi: ego auté orabam. Maledicebant illi, & ipse benedicebat: & licet tanta esset eorum malitia, vt excusationem non admitteret, nihilo minùs, quantùm potuit, excusauit eos apud patrem, dicés: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciũt. O virtus admirabilis orationis huius, tantis in angustijs tantoq; ex amore fusæ. Quãdo ení alij ob pœnarũ vehemẽtiã etiã charissimos quosq; amicos suos facilè obliuiõi traderẽt, nec posséť orare vel pro seipsis, tum Chr̃s pro suis hostibus precatus est. Neq; tñ hęc illius precatio pro illis dũtaxat fusa est, qui tũc eũ manibus crucifigebãt, & linguis blasphemabãt: verũetiã pro oĩbus illis, qui dñm IESVM prauis suis actibus denuò crucifigũt, & sceleribus suis blasphemant. Hì tales re vera nesciũt quid agant, cum sint quintuplici cæcitate correpti. Primò nanq; nesciunt, quàm direè iusti iudicis potentiã exasperent, tam potẽtis Dñi iussa contẽnendo. Secundò ignorãt, quàm benignũ offendãt patrẽ, quàm fidũ deserãt protectorẽ, cuius perdãt amicitiã. Tertiò nõ nôrũt, quàm turpiter elegãtes atq; preclaras suas deformẽt animas, factas ad imaginẽ DEI. Quartò minimè cõpertum habẽt, quàm horribiles tartareosq; mereãtur cruciatus. Quintò latet eos, quãtam gloriã, cælestiaq; amittant gaudia. Ex hoc articulo ista potest trahi institutio, vt in crucibus illis, quas DEus nobis occurrere sinit, fixi perseueremus, & cũ S. Andrea apostolo nõ patiamur nos deponi ab hominibus, sed constanter permaneamus in cruce, donec ipse nos Dñs absoluat & liberet. Neq; etiã vel ob crucis grauitatem,

tem, vel hoim oblocutiões & ludibria, aut pro captãdo relcuamine solatióve, è cruce assumpta descẽdam⁹. Hoc náq; esset cõsentire diabolo, qui semp nostris insusurrat aurib⁹, Descẽde de cruce, & saluũ te fac. Quidã deserũt crucẽ exiguæ cuiusdã afflictiõis, abijcientes patientiam suam, & pro verbulo vno aut leui quadã aduersitate cessant sacris Christi inhærere vestigijs, quæ calcare cœperãt. Alij sacrę religionis iam inchoatæ relinquũt crucem, ob tentationẽ modicã. Alij crucẽ pœnitẽtiæ postponũt ob leuissimã quandã seculi delectationẽ, & vt breuissimi captẽt solatia tẽporis. Hi Christi deseruẽre vestigia, & sese diabolo subdidere, clamãti semper in cordibus hominũ, vt de cruce descendãt, seipsos saluos faciant, suas expleant voluptates, sua venenẽ oblectamẽta, naturæ suæ affectibus indulgeant, animũ interim vanis quibusdã solatijs ac delectatiõibus recreẽt. Non est, inquit, in rem tuam, durã agere pœnitentiã, religionis seruare rigorẽ, & mori quotidie tibi ipsi. Num tete occidere vis? Descẽde ocyus de cruce, & serua temetipsum.

Confessio & oratio deuota pro peccatis. Caput XLI.



IESV abysse inexhaustæ pietatis, cuius natura bonitas, cui proprium est misereri semper ac parcere, en peccator ego maxim⁹, cuius peccata vincunt numero arenam maris, tuis me confixis prosterno pedibus, immensam tuam attendendo bonitatem, multamque misericordiam, quam tuis impendisti tortoribus, qui te cruci suffixerunt, simul confidens, quòd &

& mihi gratiam eandem minimè denegabis. Atque hac de causa ingenti cum amore tuã stringo crucẽ sanctam brachijs meis, omniq; cum humilitate, deuotione & reuerentia adoro te DEVM ac Dominum & Saluatorem meum in cruce pendenté, spinis coronatum, clauis con fossum, cum distentis membris, sanguine perfusum, vulneribus confectum, contemptum, irrisum, derelictum, pœnis omnibus plenum & foris & intus, fellis denique & aceti potióe cruciatum. O IESV æterna dulcedo, ego peccator putridus, cum acerbo dolore cordis mei, con fiteor tibi magnam culpam meam, quòd causa sum acer bissimæ passionis tuæ, & hos tantos cruciatus tuos gra uibus meis sceleribus tibi inflixi. Enimuerò multo à me grauiora passus es, quàm ab illis qui te crucifixerunt: quandoquidem iniuria illa & contemptus, quæ præuidebas à me inferenda patri tuo, multo tibi vehementiùs dolebant, quàm sæua illa vulnera corporis tui. Neque verò semel tantùm te crucifixi, sed toto vitæ meæ tempore. De illis scriptum est: Quoniam si cognouissent, nũquam Dominum gloriæ crucifixissent: ego verò nequam pessimus & cognoui te, & tamen vicibus innume ris crucifixi, sauciaui, irrisi, & ipsum fudi sanguinem tuum. Cur nanq; tam abundè preciosus sanguis tuus tuo erupit ex corpore, nisi ꝙ instar botri graui es pondere meorum expressus vitiorũ? Vnde tot tibi vulnera, nisi ex innumeris meis sceleribus? Quia enim ipse mea auxi peccata, tu quoque pœnas tuas multiplicasti. Quid verò aliud est fel & acetum quod hausisti, quàm acerbi prauiq; actus mei, quos obtuli ori tuo? A quo tot es passus ludibria, vt à me, dum te regem quidem Israel, immo & cæli & terræ confiteor, nec tamen tam venerandum colendumq; veritus sum DOMINŨ exasperare, sacra sper nendo

nendo iussa tua? Et quid aliud feci tibi? quàm quòd cum ipsis te sacrilegis Iudæis blasphemaui, dicẽdo: Descende de cruce: nec posthac vnquam peccato consentiam, aut tuam prætergrediar voluntatem, moxq́; denuò te crucifixi? Attamen neque post tanta peccata atque iniuriam qua te affeci, de gratia & misericordia tua vlla ratione despero, sed plena cum fidutia confiteor tibi errata mea, quandoquidem tot in te relucent signa clementiæ. Enimuerò pedes rigidis confixi sunt clauis, ne se à me auerterent, sed ad pœnitentiam longanimiter præstolarentur. Brachia, vt me complectātur, expansa sunt: caput, vt me exosculetur, audiatque preces meas supplices, demissum: Cor mihi patefactum est, ad illudq́; me inuitas, noui mihi musti pollicens potum, vnde cor exhilaratur, dum ais: Venite ad me omnes qui laboratis in cultura vineæ vestræ, vt mihi lectulum iucundum præparetis. Venite ad me, quotquot contra vitia vestra certamen inistis certando viriliter, & mundum hunc vitijs deditum euadere conamini. Venite ad me qui laboratis & onerati estis sarcina vitiorum, pœnitentiæ onere, afflictionis cruce, & ego reficiam & pascam vos: daboq́; vobis potum ex præclarissima anima mea: vinum rubrum, quod miscui vobis: eo ꝙ merum, id est, si dilutum nõ esset, fortius esset, quàm vt ferre possetis. Ad hæc non eam tantùm bone IESV, quam in tuos declaras amicos, dilectionem attendo, sed illam quoque, quam exhibes inimicis tuis, benignitatem contemplor, ꝙ tã amicè oras pro his qui te cruci fixerũt & blasphemijs insectantur. Quæso pijssime Domine, prosit hæc oratio tua miseræ animæ meæ. Quanuis enim te crucifixi, non tamẽ ea id à me malitia factum est, qua ab impijs Iudæis: sed humana quadam victus fragilitate, id feci.

P Neque

Neq; idcirco peccaui, vt te contumelia afficerẽ, sed vt obsequerer sensibus meis. Quicquid ergo in te delectationis assensu peccaui, pœnitẽtiæ acerbitate corrigam, & calidis diluam vndis lachrymarũ. Equidẽ clamo ad te, non vt Iudæi, Si filius Dei es, saluũ fac temetipsum: sed quia om̃ipotẽs es Dei filius, saluũ fac me seruũ tuũ. Nec te à cruce auoco, sed oro vt respicias me oculis misericordiæ tuæ, corde anxio tua sub cruce prostratum. Non te clauis perterebro, nõ latus lancea configo: sed cor tuum humilibus saucio precibus, ignitorumq; iaculis desideriorum & pij amoris. Vel vna (obsecro) guttula ex patente latere tuo, in vulneratam atque ægram stillet animam meam, & saluus ero. O rex gloriose cæli ac terræ, memento (quæso) mei. Iam enim venisti in regnum tuum. O verissime fili Dei, qui sedes modò à dextris patris tui, memor sis miseræ animæ meæ, quæ in huius mundi carcere captiua detinetur. Fac me audire clementię verbum, verbum illud consolatorium, quo latronem erigebas, dicens: Hodie mecum eris in paradiso. Quod vtique confestim fiet, si à me abstuleris medium vitiorum. Tum enim mox tibi mea iungetur anima, atque in te requiescet, qui es paradisus spiritualium deliciarum, requies & plena satietas beatorum. In te nanque æternam habemus quietem & essentiam, ceu in paradiso voluptatis, vnde nihil nos excludit præter medium peccatorum. Tolle itaque peccatum, qui es agnus sine macula auferens peccata mundi, & ero vnitus tibi, & in paradiso verissimè ero.

Excitatio animæ ad laudandum Deum.

Caput XLII.

Nunc


VNC igitur ô anima mea, & quotquot redẽpti eſtis precioſo ſanguine Chriſti, agedum interna cũ com passione atque deuotione feruenti beatam conſcendamus palmã crucis, pulcherrimè onuſtam vitæ fructu. Ceu apis ſedula de vulnere feramur ad vulnus, quandoquidem melle ſcatẽt. Perſcrutemur ac expendamus ſubtiliter ſacra CHRISTI verba, quæ in cruce protulit: totum enim medicinale & bonum eſt, quicquid ex hac beata manat arbore. Denique tota ſalus, ſanitas, vita & gloria noſtra, in cruce ſita eſt Domini Saluatoris: & ſicut Apoſtolus ait, Si compatimur, & conregnabimus. Et ne tam immenſis inueniamur ingrati beneficijs, cælum & terram & quicquid horum ambitu cõtinetur, excitemus, vocemusq́; in auxilium, ad laudãdum ac benedicendũ Deum, & gratias agẽdum. Inuitemus ea ad contuẽdum admirandũ hoc ſpectaculũ, dicẽdo: Magnificate Dñm mecũ, quia mirabilia fecit in nobis. Laudate & benedicite mecũ ſimul Dñm, quia miſericordia eius magna eſt ſuper nos. O vos angelici ſpiritus, mecum (quæſo) ad montẽ Caluariæ aſcendite, & aſpicite regem veſtrum Salomonem in throno ſuo, & diademate quo coronauit eum mater ſua. Ploremus coram Dño qui fecit nos, qm̃ ipſe eſt dñs Deus noſter. O mortales om̃es & queq; membra Chriſti, lachrymoſis, obſecro, oculis veſtrum contẽplamini redẽptorem, ligno qui pẽdet ab alto. Videte ſi vllus dolor eius poſſit doloribus æquiparari: agnoſcite ſcelerũ veſtrorum immanitatẽ, quę tali oportuit ſatisfactiõe expiari. In partes om̃es Chriſti verſate corpus, & nõ niſi vulnera inuenietis & ſanguinẽ. Clamate ad eũ voce lugubri:

O IESV nostra redēptio, amor & desiderium: quæ te vicit clementia, vt ferres nostra crimina, crudelē mortem patiens, vt nos à morte tolleres, morte vtique sempiternā? Et tu cælestis & omnipotens DEVS pater, respice de sublimi sanctuario tuo ad innocentem filium tuum Ioseph, venditum, atq; iniuria traditū manibus hominum sanguinariorū, & in turpissimū mortis genus. Vide vtrū hæc tunica sit filij tui, an non. Nimirū fera pessima deuorauit eum. Sanguis peccatorū nostrorū aspersus est super vestimēta eius, & omnia indumēta honestissimæ famæ ac opinionis eius indè inquinata sunt. Aspice sanctum puerū tuum cum sceleratis condēnatum, regium filium tuum spinis coronatū. Cōtuere insontes manus eius, quibus nihil vnquā mali admissum est, sanguinem stillantes: sacros pedes eius nunquam à iustitiæ semita auersos, crudeli cōfixos clauo: latus nudum ac inerme, acuta confossum lancea: pulcherrimam faciē, in quam desiderant angeli prospicere, prorsus deturpatā & omni specie destitutam: cor denique benedictum, quod nulla vnquā impuræ cogitationis macula attigit, internæ afflictiōis prælo cōpressum. Vide pater amatissime dulcissimū filium tuū totū, quātusquātus est, in crucis cithara extensum, cunctisq; te mēbris suis benedicentē: vnde obnixè oro DEVS meus, vt ignoscas mihi per passionē filij tui, quicquid mēbris meis in te peccādo admisi. Aduerte pater benignissime in vnigenito filio tuo, vti propicius esse debeas seruo tuo. Quoties in conspectu tuo roseus ille filij tui sanguis refulget, toties ab omibus me ablue maculis peccātorū: & quoties patētia cernis eiusdem filij tui vulnera, toties sinū mihi aperi paternæ clementiæ tuæ. Attende nunc pijssime pater obedientissimum filium tuū, non instar Isaac dicentē, liga mihi manus

nus ac pedes, ne tibi rebellis efficiar: sed ipsum vltrò suos extendentē pedes & brachia, clauisq; ea configi libétissimè permittentē. Aspice, quæso, non iam serpentem æneū pro salute Israelis hærentē stipiti: sed ipsum vnicum tuū, pro cunctorū salute mortaliū in cruce péndentem. Non iam Moses palmas tetēdit in celū, vt tonitrua, fulgura, & cętere Aegypti plagæ cessarēt, sed dilectus filius tuus cruēta brachia sua ad te amicabiliter extēdit, vt cesset ira tua ab vniuerso hominum genere. Nec iam manus Mosis, Aaron & Hur sustentant, vt possit orare perseuerātiùs pro Israële: sed claui rudes ac horridi, manus atque pedes vnigeniti filij tui ad crucē fortiter affixerunt, vt nos longanimiter expectet ad pœnitentiam, & in gratiā recipiat, nec possit iratus auertere se à precibus nostris. Iam planè fidelis Dauid citharam corporis sui quàm maximè intēdit, suauissimam tibi edens melodiam, & gratissimā quæ vnquam tibi cantata sit, concinens cantionē: Pater, inquiens, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Hic est Pontifex summus, qui per proprium sanguinē intrauit in sancta sanctorū, offerens semetipsum hostiam pacificam pro peccatis totius mundi. Hic est agnus insons, qui nos abluit precioso sanguine suo, qui peccatum nunquam fecit, sed peccata omīa mundi tulit. Ex huius ergo passionis thesauro mutuò accipio precium debiti mei, & illius merita omnia numero tibi pro omni debito meo. Quicquid enim ipse fecit, in mea vtiq; natura & ꝓ me operatus est. O clementissime pater, si peccata mea omnia in statera appendēs, posita eregione pasſione filij tui, vincentur prorsus illa ab ista. Quod enim tantum sit facinus, quod non diluerit innoxius sanguis filij tui? Quæ tam effrenis ac efferata elatio, inobedientia, & cupiditas, quam tāta non

aboleat humilitas, obediētia, paupertas? Hæc est ergo conciliatio mea. O benignissime pater, suscipe actus dilecti filij tui, & da veniam erratis nequam serui tui: quādoquidem sanguis insons Abel fratris nostri, clamat ad te de cruce, non vltionem postulans, sed gratiam & misericordiam, dicendo: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.

IESVS latronem seruauit. Caput XLIII.



VI cum IESV crucifixi erant latrones, & ipsi in eum blasphemias contulerunt. At aliquāto pòst is qui pendebat ad Christi dextrā, vt vidit ingenté eius patiētiā & benignitatem, ꝙ patré suū pro illis, qui tot in eum probra conijciebāt, tam diris afficiebant cruciatibus, tam amicabiliter deprecaretur, prorsus immutatus est, & cepit eū dolor vehemēs ac pœnitentia scelerū suorū. Et id quidē re ipsa prodidit, castigans verbis socium suum in blasphemijs perseuerātem, atq; dicens: Neq; tu times Deum, cum sis morti proximus. Qui licet ex obstinata malitia homines non vereatis, & pœnas corporis ducas pro nihilo, attamen metuendus tibi erat Deus, & quidem in extremo penè vitæ articulo: cùm potestatem ille habeat & corpus & animam tuam perdendi in gehennam ignis. Et licet nos paribus plectamur pœnis, longè tamen diuersissima est ratio meritorum: & nos quidem iustè: nam digna factis recipimus. Hic verò nihil mali gessit. Vnde, obsecro, latroni huic tam cita correctio? Qui dudum blasphemus erat, nunc confessor est & prædicator, discernens bonum

num à malo, & peccatorem repræhendens, atque excusans innocentem: quiq; paulò antè latro erat infidelis, nunc est cõfessor Dei omipotẽtis. O bone IESV, hæc repentina mutatio est dextræ tuæ, ad quam ille pendebat. Hæc intus tetigit eum, & euestigiò mutauit in virum alterum. Declarasti hic dñe diuinam potentiã tuam, quãdo citò ex lapide fecisti filium Abrahæ. Hanc subitam si dei lucem non aliundè vtiq; accepit, quàm ex citimo lumine illo in crucis candelabro posito, quod hic in tenebris lucẽs, noctẽ ꝓfligauit. Id verò qd aliud erat, nisi ꝙ Dñs IESVS, ex immensa solaq; bonitate sua oculis misericordiæ suæ cum respexit, nihil planè meriti in eo reperiens, nisi ꝙ bonitati suæ ita placuit facere? Sicut enim Deus ex mera bonitate sua dat electis suis, quod nulli decet: ita malis largit̃, quod ex æquitate iustitiæ suę illis debetur. Vnde & Dauid ait, Saluum me fecit, quoniã voluit me. Ideoque latro iste priusquam Dominus cor illius gratiæ & amoris sui radijs contingeret, vnà cum altero CHRISTVM blasphemauit, re ipsa comprobans, & quid dudum ex se, & paulopòst gratiæ in ipso operatione, fuerit. Priùs quidem fecit vt alter, quandoquidem & ipse erat iræ filius: at vbi Christi preciosus sanguis precium redemptionis nostræ effunditur, patriq; in nostri abolitionem debiti penditur, oportunè satìs in bonũ suum eleemosynã petijt à DEO, quam & celerrimè adeptus est. Quid enim eleemosyna vna de immenso illo thesauro minuat? Aut quî pijssimus Dominus, cui misereri proprium est, denegare illi potuisset? Itaque & plus dedit, quàm ille petierat. Quî verò latro iste immensum ignis iuxta se ardentis æstum declinare potuisset? Nimirum hic ignis erat à patre è cælo missus in terram: qui diu quidem arserat, sed iam denuò ligno cru-

cis excitatus atq; fotus, & misericordiæ perfusus oleo, probris item & blasphemijs ceu flatu quodam Iudæorum agitatus, flammas dabat in cęlum, quibus latro hic totus accensus & igneus effectus est, & charitas eius facta est fortis vt mors: adeò suorũ immemor cruciatuũ, totus erga Dñm compassione moueretur, vidẽs pœnarum eius immanitatem, diceretq;: Equidẽ pœnas meas haud grauiter fero, vtpotè meritas plus satìs: at innocentẽ hunc & nihil habentẽ culpæ, ita præter æquũ & bonũ cernere excruciari, id verò ipsis doloribus meis mihi dolet vehemẽti⁹. O fides admirabilis latronis huius. Spreuit pœnas om̃es, quæ illi inferri possent, nõ veritus est furentẽ populũ, aduersus IESVM ceu canes rabidos vociferãtem, non attẽdit principes sacerdotum, nec ministros deniq; om̃es cũ varijs illic tormẽtorum armorumq́; generibus astantes pertimuit: sed in cõspectu illorum omniũ Christum animo imperterrito confessus est, verum DEI filiũ & dominũ totius vniuersi, simulq́; confudit Iudæos, confitens nihil Dominum mali egisse, atque ita iniuria ab eis crucifixum. O fides admiranda, ò ingens constantia, ò incompræhensibilis charitas latronis huius, quæ omnem ex eo timorem propulsarat. videlicet bene potus & quasi ebrius erat musto illo recenti, in crucis torculari ex suauissimo botro Christo IESV expresso, ideoq́; citra pudorem Christum coram omni populo confessus est. Ab ipso statim passionis exordio Apostoli discipuliq́; omnes in fugam versi sint, Christũq́; deseruerũt: ipse D. Petrus vnius ancillæ voce perterritus, Christum negauit. at latro ne in morte quidẽ reliquit Dñm, sed corã omni illa armatorum frequentia cœli Dominum confessus est. Quis hominis huius virtutes dignè celebret? quis vel effari eas possit?

posſit? Quis eum fidem, virtutumque omnium diſtinctam cognitionem tam citò edocuit, niſi patris ſapientia Chriſtus IESVS, qui iuxta eum pendebat in cruce? Quem Iudæi ex patriarcharum promiſsis, prophetarum oraculis & confirmationibus, ſcripturarum institutione, ſignificationibus figurarum, vel nõ potuerunt vel ſcire noluerunt, eum latro didicit per pœnitẽtiam. Confeſſus eſt Chriſtum Dei filium, quem coràm videbat miſerijs, penuria, & cruciatibus plenum, ex humana fragilitate morientem: & tunc confeſſus eſt, quando eum apoſtoli, qui ſigna & portenta eius eximiaque miracula conſpexerant, abnegârunt. Iam claui manus & pedes immobiliter cruci tenebant affixos, nec quicquã ei ſupererat liberum, præter cor & linguam: & totum obtulit Deo, quicquid in ſe liberum habuit, ita vt iuxta ſcripturam corde crederet ad iuſtitiam, & ore Chriſtum confiteretur ad ſalutem. O infinita prorſus & inſcrutabilis miſericordia Dei: qualis hic actus eſt in crucem, & qualis indè abſcedit? non quò mutationem hãc cruci eius aſſcribamus, ſed bonitati & potentiæ Chriſti crucifixi. Venit ad patibulum, alieno pollutus ſanguine: & indè ablatus eſt, mundatus ſanguine Chriſti. Venit eò adhuc malè affectus ex crudelitate & ira inflammatus, totusq; mitis corde, compaſsione compunctus, totus amore ſuccẽſus eſt, ita vt plus alienos quàm proprios plangeret cruciatus. Solum vnum ei ſuperfuit membrum, & nouiſsima hora venit ad opera vineę explenda: & tamen tam ſtudioſè labori incubuit, vt ante alios ſuum abſoluerit penſum, & primus mercedem reportauerit. Fecit nimirum, ceu verè iuſtus, in principio ſeſe accuſans, & confitens errata ſua, dum ait: Et nos quidem iuſtè: nam digna factis recipimus. Secundò

Christum excusauit,& iustum professus est,dicens: Hic verò nihil mali gessit. Tertiò, fraternam exhibuit charitatem,socium repræhendens, dum ait: Neq; tu times Deum &c.Quartò,cum vniuersis mēbris suis,amicabili vultu, deuoto corde, humili spiritu ad Christum se conuertit, feruenter orādo in hunc modum:Dn̄e, memēto mei cùm veneris in regnum tuū. Qua prece Christum ꝓfessus est cæli dn̄m,atq; ita & Deum verū: quando solius Dei cælum est. Nihil quidem in Christo, nisi paupertatē,dolores atq; liuores,eumq; iam morti proximum,cernebat, quæ sunt omnia signa Deo ac Domino prorsus contraria:& tamen cōstanter ait,Memento mei Dn̄e, cùm veneris in regnum tuum. Multam itaque in hac prece iustitiam,humilitatem & resignationē præ se tulit,dum pro parua sui memoria dūtaxat petijt,indignū se agnoscens,qui grande quippiam peteret. Neq; verò corporis salutem precatus est, quandoquidem vltrò voluit mortem oppetere pro peccatis suis: eratque ei optatius mori cum Christo,quàm diutiùs viuere:nec orauit etiam à pœnis inferni vel purgatorijs seruari à Domino, nec cælorum regnum petijt, sed penitus se in diuinam resignauit voluntatem, totumq; Christo obtulit,quicquid demum ille secum agere vellet. Itaq; nihil nisi gratiam & misericordiā humiliter precatus est, quemadmodum orabat & Dauid, dicēs: Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam. Vnde quia humiliter ac sapienter orauit, æterna sapientia corda precantium contemplans, eum exaudiuit, apertisque largissimis gratiæ suæ thesauris, multo plùs ei contulit, quàm ille petere ausus esset. O incompræhensibilis bonitas Dei, quàm bene hîc declarasti nolle te mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Præstitisti hîc

& re

& re ipsa implesti, quod olim per Prophetã tuum promiseras, dicens: Quacunque hora peccator ingemuerit pro peccatis suis, iniquitatum eius non recordabor ampliùs. Non quidem multos ei imposuisti seueræ pœnitentiæ annos, aut purgatorij pœnas pro peccatorum expiatione satisfactionéve: sed tanquam iam penitus te malefactorum illius cepisset obliuio, nec quicquam in eo præter virtutes eius spectares, ita ad eum dixisti: Hodie mecum eris in paradiso. O immensa misericordia Dei: malorum omnium, quæ admodum numerosa erant in latrone isto, pijssimus Dominus tam misericorditer oblitus est, & ignouit pœnitenti: bonúq; quod in eo certè exiguum erat, tam eximia ac præclara mercede dignatus est. Non enim indiget bonorum nostrorum opulentissimus atque pijssimus Deus: sed cor petit ad se conuersum, humile ac resignatũ, quale in hoc ipso latrone reperit. Ipse nanque ait: Conuertimini ad me, & conuertar ad vos. Quando ergo latro iste tam fortiter efficaciterq; se ad Deum conuerterat, mox quoq; illius non admissa tantùm, sed etiam exaudita supplicatio est. Neq; enim repulit precem eius Dominus, dicendo: En grauissimis hic pẽdeo in pœnis, coramq; matrem meam maximè afflictam tantis hîc in angustijs stare video, cui tamẽ ne verbum quidem adhuc locutus sum, ita vt modò exaudire te mihi non sit integrum. Nihil, inquam, huiusmodi factũ est latroni à Domino, quin potiùs mox precantẽ exaudiuit, respõditq; dulcissimum verbum: Amen dico tibi, hodie mecũ eris in paradiso. O pijssima bonitas, o incõprehensibilis misericordia Dei. O magna latronis prudẽtia. Videbat patere thesauros Dñi sui, & penitus ꝓfusos esse. Quis igitur vetaret eum accipere, quantũ erat debitum suũ, vt satis-

satisfaceret DOMINO suo? Atque ò damnanda nequam latronis duritia, quem nec socij castigatio, nec patientia Christi, nec tot amoris & clementiæ signa in Christo relucentia, emollire & conuertere potuerunt. Cernebat quidem abundare eleemosynas ad ostium diuitis, plus dari quàm peteretur, & superbior obstinatiorque fuit, quàm vt petere vellet. Videbat dari vitam, cælorum regnum distribui, nec animum adhibere voluit vt desideraret: itaque nec erit illi: blasphemias & maledicta potiùs elegit, & venient ei, & quidem in omne æuum. Nouum hunc fructum & primum botrum, quem DOMINUS IESVS ex infœcundo solo nostro multo sudore, multaque preciosi sanguinis sui irrigatione in ligno crucis suæ obtinuit, cælesti patri suo ceu preciosum munus ingenti cum gaudio per legatos cælestes angelos sanctos misit. Quòd si gaudium est angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente: quæ illic lætitia, quæ exultatio de huius est latronis concepta salute, quem iam penè desperauerant, & se perdidisse arbitrabantur? Quanto, putamus, cum gaudio pater cælestis primitias has frugum passionis filij sui suscepit? Atqui ad Christum ipsum, tametsi potuerit & ipse aliquid ex hac conuersione captare gaudij, multo tamen maior indè afflictio redijt: quandoquidem per diuinam sapientiam suam facilè preuidit, latronem hunc multis fore damnationis ansam, qui omnem vitam suam in vitijs transigere statuunt, sperantes nihilo minùs, se cum hoc latrone in ipso mortis articulo veniam consecuturos & gratiam: quod quidē longè stolidissimum est. Neque enim vsquam in scripturis legitur, cuiquam alij itidem euenisse. Sanè qui Deum nunquam nisi necessitate compulsi quæsierunt, verendum est, vt cum

in

in necessitate minimè paratum inueniant. Interim tamen nemo plùs satìs confidit Deo: nec ab eo quisquam vnquam derelictus est, qui toto se ad eum corde conuerteret, & ei pia cum fidutia inniteretur.

Iesus afflictam matrem suam alloquitur. Cap. XLIIII.



STabat etiam iuxta crucem IESV sanctissima mater eius, semperque virgo Maria, nō ad aliquod pœnarum subleuamen aut temperamentum, sed haud mediocrem augmentationem. Nam si qua potuisset creatura aliquid adferre solatij dño in cruce pendenti, nulla ad id tam fuisset idonea, vt beatissima mater eius. Sed quia definitum erat Christo, morte acerbissima occumbere, & absque vlla consolatione & releuamine vera cum resignatione ipsam suam passionem claudere, nihil ei materna præsentia solatij præstitit, sed potiùs auxit dolores eius, quādo & mœstitiam illius suis pariter pœnis iunxit, & vberiorem indè hausit materiam acerbissimi cruciatus. Quis iam, bone IESV, meditando consequi possit, quo fueris intus dolore affectus, cùm (qui corda nosti omnium) cuncta matris viscera & membra, per internam compassionem tecùm pariter in cruce extensa & clauis confixa videres, corque eius longè pijssimum & verè maternum pectus, doloris acutissimi gladio transuerberatum, vultum in pallorem versum, & animi angustias declarantem, & absque morte penè emortuum? Cùm aspiceres feruentes lachrymas ceu dulcissimos riuulos quosdam per gratissimas genas eius & faciem vbertim cursimq;

ſimque manantes, ceu teſtes illius ergà te doloris pariter & amoris: audires etiam gemitus miſerabiles dolorum illius pondere expreſſos: quum præterea cerneres eandem deuotiſsimam genitricem tuam, prorſus amoris æſtu liquefactam, omninoque reſolutam in lachrymas, ac penitùs deficientem, vtpote paſsionis tuæ cruciatu eam deuaſtante exhauſtam & abſumptam: reuerà tunc nouam ex afflictione crucem in te recepiſti. Solus nanque pondus & grauitatem afflictionum eius, hominibus vniuerſis incompræhenſibilem, compaſsionis lance trutinaſti. Et id quidem maximè exaggerauit dolores paſsionis tuæ, quòd non modò in corpore tuo, ſed etiam in materno pectore crucifixus eras: quando & illius crux tua erat, & tua vicíſsim illius. O quàm amara fuit IESV dulcíſsime paſsio tua: magnus quidem fuit dolor externus, ſed internus ex matris conceptus angoribus & preſſuris, multo vehementior. Hic planè doloris gladius totam eam penetrauit, quando ipſa regina martyrum in ea parte quæ impaſsibilis eſt, id eſt, anima ſua horribiliter atq; lœtaliter transfixa eſt, crucisque mortem vbi immortalis erat, ſuſtinuit, tanto grauiorem internam experta mortem, quanto longiùs mors externa ab ea receſsit. Quis ò mater pijſsima, immenſos animi tui angores, internamque afflictionem tuam aut effari, aut mente concipere dignè queat? Quem enim ſine dolore ceu mater benedicta genuiſti, expers maledictionis Euæ primæ parentis noſtræ, & pro moleſtiſsimi laboris anguſtijs, ſpiritus iubilo perfuſa, ſimulque ad tui recreationem, ſuauiſsimam auribus hauriens melodiam angelorum, laudantium filium tuum, cum nunc tanta cum crudelitate, & tyrannide tuis in oculis occidi

cidi conſpexiſti. Vt iam dolor ille, quem tunc feliciter euaſiſti, multipliciter erectus eſt, quando beatum & ſingularem filium tuum tam horridis cernebas in pœnis in cruce pendentem coram ſæua illa rabioſaq; plebe, quæ quicquid mente effingere poterat, in eum conuiciorum, afflictionum, & contemptus conferebat: quum videres eum, quem in caſtiſsimis pudiciſsimi vteri tui viſceribus abſque vllo grauamine geſtâras, tam inhumaniter in cruce diſtentum, clauiſque perterebratum: quum item aſpiceres ſacra illius brachia, quibus te toties amicabiliter ſtrinxerat, tam immobiliter intenſa, roſeoque perfuſa cruore, caput quoque venerandum acutis compunctum ſpinis, & totum corpus nó niſi vulnus fluens: nec tamen interim vulnera illius tergere & inungere dabatur. Quum præterea, quem ſæpenumerò quietis captandæ gratia tuo virgineo in ſinu collocâras, iam ne tantillum quidem habere conſpiceres, vbi ſacrum caput inclinaret: quemque dulciſſimo ſanctiſsimorum vberum tuorum lacte foueras, nunc felle & acetó cruciari. O quàm paſsionis prælo maternum cor tuum compreſſum eſt, quando ſpecioſiſsimum vultum eius tam miſerabiliter deturpatum, ita vt nulla ei eſſe ſpecies, nihil vnde noſci potuiſſet, caſtiſsimis oculis contuebaris. Quantoperè tunc ò mater dulciſsima, afflictionum vnda animam tuam peruagata eſt atq; percurrit, immo & demerſit penitus. Enimuerò ſi deuotus quiſpiam abſque ineffabili dolore & compaſsione dilecti filij tui paſsionem animo reuoluere non poteſt, quæ te crux, quæ afflictio inuaſit, quæ ipſa eius mater eras, & hanc oculis coràm intuebare? Si pleriſq; Dei amicis Deúq; amantibus haud ſecùs dolet filij tui paſsio, quàm ſi ipſi eam ſuſtinerêt, perque in-

timam

timam compaſsionem intus cum eodem filio tuo crucifiguntur, quàm dirè, quàm lœtaliter ipſa intus crucifixa es, cùm non modò externas pariter & internas filij tui pœnas tecum in deuotiſsimo corde tuo expenderes ac trutinares, ſed ipſis etiam corporalibus cerneres oculis? Quid eſt enim cuiuſlibet hominis erga filium tuũ amor, tuo collatus amori? Neq; verò vlla vnquam mater adeò ſuã dilexit prolem, vt tu filium tuũ. Quòd ſi D. Paulus multum vtique amans ex feruenti amore, multaq; erga natum tuum compaſsione dixit, Chriſto confixus ſum cruci, & ſtigmata IESV circunfero in corpore meo: quanto magìs tu vnà cum ipſo crucifixa es, cunctaq; illius vulnera intus ſuſcepiſti, facta ceu ſimulacrum quoddam & effigies filij tui crucifixi? Si præterea Deum feruenter amantes, adeò Dei gloriam & quęrunt & ſitiunt, vt quoties Deum offendi, aut aliquam ei inferri iniuriam animaduertunt, ita intus affligant, tantoq; excrucientur dolore, acſi mortiferum aliquod vulnus accepiſſent: quantoperè tu mater fidiſsima prę cunctis mortalibus Deum feruentiſsimè amans, afflicta fuiſti, cum chariſsimum eundemq; vnicum filium tuum, immo & Deum ac DOMINUM tuum, tam infandis cerneres affici blaſphemijs, contemptu atque ludibrijs? Si poſtremo Iudęi illi ſimulatores & hypocritæ, audita blaſphemia, veſtes ſuas conſciderunt, tanquam in doloris argumẽtum: quomodo ſciſſum eſt præ dolore pijſſimũ cor tuum, cum omnes illas execrabiles atque horrẽdas aduerſum filium tuum blaſphemias, iniurias atq; contemptum iaculari & aſpiceres & audires? Sic enim DOMINUS ait: Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. Et quidem hac ipſa die ſynceriſsimum cor tuum non ſemel, ſed plùs centies ſciſſum eſt. Neq; aliquid ſub

tuo

tuo aſpectu filio moleſtiæ illatũ eſt, quod non ſecuerit cor tuum. Et quî ſtare poteras? Dicit enim Euangeliſta: Stabat iuxta crucem IESV mater eius. Vnde tanta tibi fortitudo? Non vtiq; ferreum aut ſaxeum habuiſti corpus, vt hodie toties doloris gladio conficereris, toties crucifigereris, vulnerareriſq; vnà cum filio tuo: ac nihilo ſeciùs fixo & conſtanti animo & corpore perſtares. Forſitan truces illi atque horridi claui & te pariter ita detinebant in cruce filij tui, vt collabi non poſſes. At verò multo fortiùs amor potentiſsimus, ipſa quoque morte fortior, te ſuſtinuit, vt cadere nequires. Itaque ſtabas ceu fidei columna immobilis, vt leæna inſuperabilis, quæ raptis catulis ad nullius occurſum mináſve expaueſcit. Nec quicquam verita es ſæuitiam Iudæorum, equorum fremitus, & ſtrepitum armorum, vtpote vnà cum filio mori paratiſsima. Neque eum negare poteras, quemadmodum Petrus: non fugere, vt cęteri apoſtoli: non dubitare, vt diſcipuli: non aliquod pati offendiculum, vt plurimi: quandoquidem optimè noueras, & qua ratione & quem conceperas genuerasq́;. Ideoq; aſsiſtebas iuxta crucem eius, cuius diuinitatem in ſpiritu adorabas. Stabas planè vt turris fortiſsima, in quam rex peregrè proficiſcens, precioſiſsimum fidei theſaurum abdiderat. Stabas, inquam, iuxta crucis arborem, vt hominis redemptioni per dolorem acerbiſſimum cooperareris, aſpiciendo vitæ fructum: quemadmodum Eua olim hominem perdidit, ſtando delectabiliter iuxta arborem, mortis fructum contemplando. Et quia dolor omĩs & compaſsio ex amore naſcẽs, pro amoris modo magnus eſt, amor autem tuus modum exceſsit, idcirco & dolor tuus prorſus immenſus fuit. Et quia IESVM dilectum filium tuum, verum quoq;

noueras esse filium DEI, amor tuus ad diuinitatem, & erga humanitatem dilectio, velut ingentia duo saxa cor tuum penitus expresserunt, atque lœtalibus coarctârunt angustijs, dum IESVM Dei filium in humana natura è tuis castissimis conceptum visceribus, tam horribilibus ac indignis tractari modis, tamque crudeliter occidi cerneres. Nimirum hi duo fuere sæuissimi mucrones, animam tuam omni afflictione & dolore crudeliùs transuerberantes. Enimuero, vt sponsa vehementer amans, diuinoque ardens amore, dolebas acriter grauissimos contemptus & iniurias, quas sponso tuo, DEO ac Domino tuo, irrogari coràm intuebaris: & vt fidissima & syncerissima parens, dolebas itidem vehementissimè horribiles pœnas & turpissimam mortem, quam eundem dulcissimum filium tuum obire conspiciebas. Quando verò eiusdem filij tui passio tanta erat, vt secundum iustitiæ rigorem cuncta mundi scelera, quæ innumera sunt & infinita, suo pondere eam vincere oporteret, ideoque & ipsa immensa prorsus & infinita fuit: & quia dolor tuus illius cruciatibus respondebat; fuit eapropter & crux tua & afflictio incompræhensibilis ac immensa, & merita infinita. Porrò quandoquidem ita constitutum erat à DEO, vt beatissima virgo Maria media esset & conciliatrix DEI & hominis peccatoris, eam ob rem idemipse tanta eam animi ægritudine ac mœrore corripi permisit, vt tanta essent afflictionis eius merita, quanta vt essent, talem decebat conciliatricem, quæ & sufficere posset omnibus, & ex immensis meritorum suorum thesauris, omnibus opem ferre. Decebat etiam vt eadem virgo sanctissima & Domina nostra, quam DEVS omnipotens matrem voluit

luit

luit esse filiorum gratiæ, tam tristes solueret funeri filij sui exequias, quàm omnes gratiæ filij simul peragere & possent, & iure meritoque deberent. Tanta igitur eius crux, tanta afflictio erat, vt tametsi inuenire quippiam consolatorium in filij passione potuisset, suis leuandis doloribus accommodum, mox ab ipso amaritudinis impetu atque profluuio fuerit absorbendum, haud secùs quàm si gutta suauissimi vini in mare salsissimum mittatur. Iam verò duo hîc videre erat altaria, cælesti patri præparata: vnum in CHRISTI corpore, alterũ in corde virginis matris. Christus quidem carnem suam & sanguinem obtulit, Maria animam suam. Et certè optabat mater dulcissima sanguinem suum miscere sanguini filij sui, vt cum ipso simul humanæ redemptionis officium exequeretur: sed priuilegium hoc solius erat Pontificis, vt cum sanguine intraret in Sancta Sanctorum. Vnde tametsi sacrificium suum sanguine pro DEO foris fundendo virgo beata perficere non potuerit, intus nihilo minùs eum feruentissimo amoris atque doloris igne decoxit & absumpsit. Et certè obtulit DEO gratum sacrificium, quemadmodum Propheta ait, cor contritum & spiritum afflictum, siue (vt textus habet) contribulatum, lócoque sanguinis profusas obtulit lachrymas, & instar suauissimi fumi thuris accensi, gemitus illius in cælum ferebantur. Atq; hoc pacto sacrificium suum pro cunctis gratiæ filijs, quorum ipsa mater est, fecit ac immolauit. Et est vtique exaudita à DEO pro suâ reuerentia. Nunc ergo ô anima mea, & quotquot estis quibus in votis est esse gratiæ filios, aspicite nunc Christum patrem vestrum anxijs partus laboribus correptũ, videte vt sua vos morte ad vitam reuocârit, ac velut fidissi-

mus pelicanus suo vos sanguine tanquam pullos suos denuò generârit, excitârit, aluerit. Contemplamini & grauissimè afflictã matrem vestram Mariã, nouos partus dolores vestri causa experientem, vt vos gratię filij efficeremini. Per patrẽ vestrum habetis vitam, per matrẽ præstatur vobis gratia. Nunc igitur cõpatimini parentibus vestris, quos tam anxijs cernitis laborare doloribus pro salute vestra, si tamen gratiæ filij estis. O quoties mœstissima illa mater oculos suos ad contemplandũ deforme sui pignoris corpus attollebat, quos tamen mox lachrymis affluentes demittere cogebatur. Videbat corpus sauciũ, quod tamẽ vngere non licebat: venas sanguinẽ manantes, quas obuoluere nõ dabatur: membra crudeliter extensa, quæ soluere ac laxare non poterat. Contuebatur eum purpurea vestitum chlamyde, qua ipsa eum non induerat: quam verò ab ea acceperat vestem, eam distractam, conscissam, attritamq; cernebat. Ad hæc sacrum eius caput ad mortem inclinari conspiciebat, mẽbraq; omnia iam ipsam suspirare mortem ceu laxamentum atq; leuamen pœnarum suarum: ita vt piissimum cor illius velut vua crucis prælo exprimeretur, adeò vt cum filio suo potuerit ex sententia dicere: Tristis est vsque ad mortem anima mea. Interea cernens hæc dulcissimus filius eius, qui hactenus sese continuerat, vt fortissima illius patesceret fides, ingens fidelitas, inuicta patientia, gloriosa passio, & ante omnia intemperans atque immodicus amor, & ne gloriam crucis eius imminueret, deinceps vltrà se cohibere non potuit, sed piissima atq; cõsolatoria eam voce affatus, ait: Mulier, ecce filius tu⁹: tanquã diceret: Dulcissima, charissima, fidelissima parẽs, noui dolorẽ ac mœrorem tuum, scio quanta mei amore patiaris:

cerno

cerno quantis correptum sit angoribus deuotissimum cor tuum, dum me dilectum filium tuum tantis conspicis in pœnis, dum me charissimo pignore tuo, in quo sita est omnis spes & consolatio tua, ita miserabiliter spoliaris. Sed quid ego tibi solatij præstem mater dulcissima, mea fidissima parens? necesse est consummari passionem meam, prorsus moriendum est mihi: iam tempus est vt vadam ad eum, qui me misit. Itaque dilectissimum meum discipulum tibi relinquo, qui mei loco tibi filius sit, qui te consoletur, te custodiat, tui curam gerat, & vt pius filius tibi matri suæ subditum ac morigerum se præbeat. Hæc verò DOMINI IESV verba quantoperè putamus pijssimum mœstissimæ matris cor scidisse, cùm audiret se penitus destituendã? quodq; pro filio Dei filius hominis, pro creatore creatura, pro magistro discipulus, & seruus deniq; pro DOMINO sibi assignaretur? Quàm tunc ingens DOMINI amor totam eam liquefecit, quando secum ipsa reputabat, quantam pro se ille curam gereret ac solicitudinem, plusque ex dolore matris per compassionem, quàm suo ipsius affligeretur? Iam enim mors illi in foribus aderat, & tamen adhuc pro matre erat solicitus. Iam mors vorax cũcta illius membra penè rigida effecerat, sed amore recalescebant, ad compassionemque mouebantur. Totum se ad illam consolandam intendit, tanquam omnem suum dolorem oblitus esset, & sola eum matris afflictio cruciaret. Denique vt potuit, membra sua omnia ad illius consolationem conuertit: primò quidem inclinando caput, ceu vltimum vale dicens, & discedendi petens copiam: roseos quoq; oculos suos, adhuc calidis affluentes lachrymis, amicabiliter ad eam aduertendo: postremò labia mortis pallore obducta

aperiendo illi, atque dicendo: Mulier, non tantùm mea mater, sed generaliter mulier, ob ingentem fœcunditatem tuam, (quemadmodum & olim DEVS ad Abrahæ coniugem dixit, quòd non ampliùs Sarai, sed Sara diceretur) quia matrem multarum gẽtium te constitui. Itaque mulier, ecce filius tuus. Iste Ioannes erit filius tuus, cuius nomen si vertas, gratiam sonat: estq; hoc modò tibi à me cõcessum priuilegium, vt sis perennis & æterna gratiæ mater, ob merita certè maxima afflictionis tuæ, nec vnquam gratiæ lacte destituentur vbera tua, quo singulos quosque alas & nutrias, qui deuotis ea presserint precibus. Eapropter fœcundissima mulier, ecce filius tuus, neque plores iam tanquam lignum aridum, & velut deserta ac sterilis & absque liberis mater. Quin potiùs exultes, quæ es omnium quæ vnquam fuerint fœcundissima parens, & præ cunctis fœminis benedicta. Nam & per hosce, quos modò pateris dolores atque labores, proles edes innumeras: erisq; mater omnium, qui per gratiam meam in me sunt credituri. Hos omnes ceu proprios filios tuos in sinu maternæ gratiæ tuæ confouebis atq; tuebere, dans eis ex castissimis vberibus tuis gratiæ lac, quandoquidem gratiam ipsa inuenisti apud DEVM. Enimuerò accurrent omnes ad te sitibundi, ac dicent: Monstra te esse matrem. Itaque mulier, ecce non vnus tantùm filius, sed filij tui: hinc iam capiat te obliuio doloris tui. Sit hæc consolatio tua, sit laboris temperamentum & alleuiatio. O Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, in omni nos virtute corrobora, à malis nos præserua, & ab hostibus nos protege animarum nostrarum. Deinde & ad discipulum Dominus ait: Ecce mater tua. Quod quidem non vni, nec soli Ioanni

dictum

dictum est, sed cunctis iam conuersis peccatoribus, quibus cum primis gratia necessaria est, & velut infantes absque lacte gratiæ moriuntur. Neque enim perseuerare quisquam aut progredi potest absque gratiæ nutrimento. O Maria verissima gratiæ mater & misericordiæ. Cui enim vnquam sinum gratiæ tuæ præclusisti? cui pietatis tuæ subtraxisti vbera? Sileat ille laudes tuas, qui se queritur apud te passum repulsam, & gratia defraudatum. Laudamus virginitatem, humilitatem miramur, prædicamus iustitiam: sed misericordia miseris sapit dulciùs, misericordiam amplectimur chariùs, recordamur sæpiùs, crebriùs inuocamus. Quamobrem quotquot gratiæ sumus indigi, stemus simul iuxta crucem, & cum beatissima Maria intus per compassionem crucifigamur. Certè pijssimus Dominus, qui se totum & omnia impendit, non nos consolationis ac muneris expertes à cruce abire patietur. Et licet grauissimis sit pœnis obrut⁹, attamen nostri curam geret. Quanuìs iam pergat ad patrem, sed nō relinquet nos orphanos: at suo nos cōmendabit patri, & alium nobis mittet paracletum, sanctū spiritum suum. Quin & virginem intemeratam nobis matrem dabit, dicens: Ecce mater vestra. Quàm hoc suaue, quàm consolatorium verbum est infirmis omnibus, tam fidelem, tam benignam, tam misericordem habere matrem, quę ex illis quę passa est, didicit cōpassionem? Nimirum impleuit in se ea quæ deerant, & accōmoda erant passioni Christi, quò hominibus vniuersis suis meritis opitularetur. O igitur exiguā erga Deū spem & fiduciā nostrā. Ipsum misericordiæ patrē, parentē habem⁹, patente nos sinu expectantē, quo filij sui nos efficiat heredes in superno illo atq; cælesti regno suo. Fili⁹ quoq; aduo

catus est noster, suo nos labore atque dolore in patris reducens gratiam. Spiritum sanctum in hac lachrymarum valle consolatorem habemus, ne aut deijciamur animo, aut tædio frangamur. Corpus præterea venerabile, preciosumque CHRISTI sanguinem in cibum accepimus, ne deficiamus in via, & futuræ beatitudinis pignus, ne dubitemus, aut desperatione vincamur. Ad extremum Maria nobis conciliatrix & pacis instauratrix est apud Deum. Et quid tanta mater à suo non obtineat filio? Quid verò magis consolatorium à Christo nobis dici poterat, quàm hoc ipsum, Ecce mater tua? tanquam diceret, Ecce mater vestra misericordiæ plena, vt vos filios suos nunquam non suscipiat: plena item & gratiæ, vt vos pascat, foueat, exatietque.

Sol obscuratus est. Cap. XLV.


Orrò à sexta hora, tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsq; ad horam nonam, quæ nobiscum duodecima est, quando sol altissimus est, qui tunc retraxit lumen suum, ceu lugubrem sumens vestem, compassionemque & dolorem erga suum, vt potuit, exhibens conditoré, tantis tunc angustijs compræhensum & cruciatibus: ac si pater, cuius natura impassibilis est, nec vllum recipit mœrorem aut lachrymas, sui loco creaturā suam luctū agere, iustaq; & officia funebria filij sui exequi iusserit, sociumque se adiungere virgini intemeratæ, quæ sola tum CHRISTI plangebat passioné, atq; in hunc modū querelas fundebat ad patré: Itáne pijssime pater sola ego mater sum? án ne & tu ętern⁹ es genitor filij tui, qui ita hic miserabiliter afflictus pendet?

det? Cur ergo me solam plorare permittis, atque intolerabilem hunc sentire dolorem, qui vtique mihi soli non debetur? Nónne ipse iam antè testatus es, dilectum hûc & gratissimum esse filium tuum? Quibus verò indicijs hunc in eum amorem demonstras? Neque enim hic pendet vt filius DEI, non vt regis filius, non vt amicus DEI, immo ne vt pauper quidē seruus DEI: sed vt sceleratus, vt mortis reus, tãquam derelictus & humiliatus à DEO. Ergó ne & tu eum deseruisti, quē discipuli reliquerunt? Quę illius in te culpa, vt sic eum suis traderes hostibus? An quia potens es Dñs, nec vllius egens, idcircò nulla te afflicti tangit miseratio? quia spiritus es, ideò insensilis es? quia in cælo habitas, non te mouet quid agatur in terris? An denique quia in gloria es, non aspicis, non attendis contēptum, iniuriā, contumelias, afflictionem, & postremo mortē perhorrendam vnigeniti filij tui? Non cernis æquissime iudex, vt malitia Iudæorum debacchatur in dilectum filium tuum, qui se vt agnus insons discerpi, vulnerari, crucifigi, occidi, & sanguinem suum preciosissimum velut aquam effundi permittit? Tangat te pijssime pater miseratio & compassio erga miserabilem hunc filium tuum: cum natura tua bonitas, tibíque maximè proprium sit misereri, maximè miseris, oppressis, & iniuriam patientibus: simulq; veni in auxilium mihi mœstissimæ illius genitrici, quam tantis cernis in angustijs, & solam vnà cum filio tuò illius calcare torcular. His vero tristissimis querimonijs pijssimæ matris hoc similíve modò patrem cælestem respondisse, cogitare licebit: Noli queri de me electissima filia mea, quòd te paulisper dereliqui: quod equidē ex ingenita mihi bonitate feci ad augmentum gloriæ meritorumq́ue tuorum, vt afflictio tua filij mei pasśioni cōsona sit, quam

ille vtique perfecta cum resignatiõe sui ad finem vsque perpeti debuit. Nec est quod putes, non ascendisse ad me preces, gemitus, lachrymas tuas. Iam demum re ipsa experire, vtrúmne compatiar filio meo. Quanuis enim in naturam meam nullus dolor, nulla cadat afflictio, agam tamen per creaturas meas, quod diuinitati meæ non cõgruit. En totũ excitabo cõmouebóq; mundum ad mœrorem, profundẽdasq; ob filiũ meũ lachrymas, vt creaturæ omnes tecum pariter lugubres celebrent exequias dilectissimi filij mei. Enimuerò totus hic à me conditus orbis, & quotquot in eo degunt creaturæ, mihi obsequuntur & morem gerunt: hi duntaxat obdurati peccatores, sese mihi opponunt: quandoquidem liberi eis à me arbitrij est concessa facultas. Tu itaque sol splendoris tui amœnitatem retrahendo, totum hunc mœrore affice orbem, & iunge te socium beatissimę virgini matri in plangẽdo filio meo. Tu quoq; terra contremisce, & ad tantam exhorresce malitiam, crudelitatem, & facinora hominum impiorum, quos tuis sustines humeris: horrori tibi sit iniuria & cõtemptus, quæ mihi inferuntur. Admirare patientiam, benignitatem ac longanimitatem meam, quòd hæc tam diu patior: concutere fortiter & indignam te agnosce, quæ preciosum filij mei sanguinem imbibas. Et vos saxa durissima, Iudęorum & peccatorum omnium duritiem castigate & arguite, quos tam diri non emolliunt cruciatus filij mei, nec cor suum adhibent, vt cognoscant, & sint capaces gratiæ meæ. O crudelissima mors, vitæ deuoratrix, quę nec vnico pepercisti nato meo. Redibit hæc malitia in caput tuum, capieris ipsa laqueo, quem vnico meo tetendisti: occíderis planè ab illo, quem absorptuṙam te sperabas. Iniusta & iniqua sunt iudicia tua: filium

meum

meum cum cæteris terræ peccatoribus deuorasti,eo ꝙ terrenum gerebat indumẽtum & quandam peccatoris similitudinem,cùm tamen esset absque peccato. Itaque innocens illius mors in te redundabit: elidentur vires tuæ,& dominatu tuo deijcieris,quòd eo præter fas & rationem abusa sis: quando peccatores tantùm tui erant iuris,non etiam innocentes:& peccata corrigere debebas, non iustum opprimere. Tu verò iustum & bonum cum impijs attriuisti. Zelum quidem iustitiæ habuisti, sed non secundum scientiam rectamque rationem. Vltio igitur, quam iniuria in filium meum exercuisti,vniuersum hominum genus à meritis eximet pœnis. Et vt noueris victam te esse, perque vitam omnem tibi priorem ereptam esse potestatem, dominiumq; tuum recidisse in nihilum, iam nunc deprome mortuos, quos hactenus multis seculis tenuisti. Enimuerò filius meus crucis suæ armis atque potentia eos victor obtinuit,atque in libertatem vindicauit. Quantus interim, putamus, & quidem nouus dolor Dei matrem inuasit, cũ elemẽta atq; insensiles creaturas tanta cerneret mœroris atque erga filium suum compassionis edere argumenta. Quàm tunc recentes lachrymæ, superiori consolatione fotæ,denuò ceu dulces riuuli largiter manare cœperunt,tot se iam mœroris habere socios aduertentes? Sol verò luminis sui occuluit claritatem, eò quòd CHRISTVS verus iustitiæ sol, per totum iam mũdum occiderat & obscuratus erat, lumenq; fidei admodum defecerat, præterquam in virgine matre, & latrone confitente. Est etiam obscuratus sol,quòd passionem acerbissimam, contemptum, probra & iniuriam, quæ homines ferocissimi suo inferebant creatori, æquanimiter aspicere non posset.

Deus

Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Caput XLVI.



Ost hæc nonam circiter horam dñs IESVS voce magna clamauit: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Dixit hæc, inquam, voce magna, vt posset facilè audiri ab omnibus, simulque verbo hoc admirabili mẽtis nostræ somnũ discuteret, admirariq; eam & obstupescere faceret, dum tam immensam cerneret erga nos bonitatẽ Dei. Ait ergo: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Videlicet ob vilissimos peccatores, ob nequam & ingratos seruos, ob scelestos & immorigeros præuaricatores, dilectissimũ filium ac obedientissimũ puerum tuum dereliquisti. Vt vasa iræ, inimici tui in filios transirent adoptionis, proprium cecídisti filium tuum, & tanquam peccatorẽ neci tradidisti. O Deus me⁹, cur (quæso) derẽliqsti me? Vnde tibi laudes gratesq; agere, vnde te æternò amare deberent hõmines, puta ꝙ pro eorum redemptione me charissimũ natum tuum morti obtulisti, totumq; libentissimè impendisti, hinc blasphemiarũ atq; cõuiciorum probrorumq; aduersum te materiam sumunt, dicentes: Filium DEI se nominat, & sperauit in Dño: liberet eum nunc si vult. Cur Deus meus pro tam vilibus atq; adulterinis mercibus tam preciosum voluisti thesaurũ fundere? Potest autem & ita accipi hoc verbũ, ꝙ Christus illud aduersum eos protulerit, qui passionis eius gloriam imminuere conantur, dicentes non tam acerbã, neque tam tetris fuisse cruciatibus subditam Christi passionem, ob ingens, quod ex diuinitate habuit, adminiculum

culum ac fulcimentum. Quod qui aiunt atque sentiunt, illius se nouerint renouare passionē, eumq; denuò crucifigere. Et vt opinionis huius demōstraret errorē, clamauit voce magna Dominus, & ait: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? tāquam si ipsi suæ, cum qua vna erat persona, (vna nanque eademq; est patris & filij diuinitas) eadem hæc verba naturæ diceret diuinæ, suum ipsemet diuinum stupēs amorem, ꝙ adeò sese deiecerat, atttiuerat, submiseratq;: quiq; fert opem omnibus, ipsum se vsqueadeò reliquerat, pœnis omnibus totum exposuerat, solo ductus & victus amore. Sed & iste verbi huius sensus erit neutiquā absurdus, ꝙ Christus ex immēso ac vehemētissimo ipsum dolore locutus sit, ac si spiritus & interior eius homo seuerā in se pro cunctis peccatoribus recipiens sentētiam DEI, simulq; perspicuè contemplans, perfecteq; sentiens & metiens in seipso intolerabile passionis suæ pondus, eapropter voce lugubri ad patrem ita dixerit, velut pias fundēs querimonias, ꝙ in horribiles illos cruciatus atque pœnas demersus esset, ac si paterna illius bonitas ita hominū esset exasperata peccatis, vt per feruorē iustitię, indiscretæ vnitatis, quam natura passibilis cum impassibili diuina habebat, prorsus oblita foret, adeoq; ex feruido iustitiæ zelo naturam passibilem immitium crudelitati atq; malignitati hominū totam obtulisset, tradidissetq; atterendam & redigendam in nihilum. Ideoq; sic ait: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Est præterea adhuc interior quidam huius verbi sensus, quasi Christus iuxta partem sensitiuam seu sensualitatē à suo se queratur patre derelictum. Quotquot enim pro illius honore decertant, & patienter mundi huius aduersa ferunt, eorum per diuinę influxum consolationis suę

adeò

adeò Deus pijssimus cruces & afflictiones moderatur ac temperat, vt hac gratia sensibili omnē penè illorum crucem reddat insensibilem: at verò dilectissimū filium suum prorsus omnis reliquit solatij expertem, adeoque omni priuauit cōsolatione ac lumine, vt in humana natura sua tantum perpessus sit, quantum æterna sapiētia pro iustitię exactiōe statuerat atq; definierat, quantūq; pro iustitię ratione ac modo pro tot peccatis satìs erat. Et nostra quidem salus tanto præclariùs perfectiusque reparata est, quanto absque vllo lumine in vera resignatione ac derelictione peracta atq; consummata est. Enimuerò quo virtus fortiùs patitur absque vllo relevamine aut adminiculo, hoc opus indè nascēs præclarius est. Ceterum Christi passio adeò omni fuit illuminatiōe destituta, adeoq; grauis & crudelis, vt nulla huic cuiuslibet sancti passio sit vlla ex parte æquiparanda. Ea nanque precipua passionis Christi ratio erat, q̄ apertissimè intelligeret, quanta iniuria, quíve contemptus præstantissimæ diuinitati suæ per humani generis peccata inferendus esset. Quanto verò hæc Christi cognitio omnium simul & cælestium & terrestrium notione sublimior atque subtilior erat, tanto & mœror atque angustia illius grauior atque cumulatior fuit. Immo, quod maximè mirum est, quicquid afflictionum sancti omnes, qui sunt membra Christi, experti sunt, id multo abundantius in capite atq; omis doloris origine fuit: quod tamen spiritaliter atque rationabiliter intelligi velim. Quotquot enim vnquā fuere sancti, nihil ampliùs passi sunt, quàm per Chr̄m eis ceu mēbris suis vnitū, in eos manauit, isq; suas eis cōmunicauit afflictiones. Et reuerà magis ille in eis, quàm ipsimet, passus est. Enuerò bonorū ille omniū, ex amore ingēti erga membra sua, mira cum com-

compassione in se afflictiões attraxit, multoq; sensit interiùs & cruciabiliùs, quàm aliqs sanctorũ: immo quàm vel ipsa beatissima virgo MARIA Dei mater dulcissima suum ipsi⁹ acerrimũ senserit doloré ac animi ægritudiné. Si náq; naturalis aliquis parés tãto filiũ suũ amore complectitur, vt per paterná cõpassioné, illius adeò in se dolores trahat, vt haud sec⁹ illi doleát, quàm si ipse eos pateretur: quæ crux, quæ cõpassio Christi fuit, dum membra illius affligerentur, maximè qui ex amore pro illius nomine passi sunt? Nimirum euidenter hoc suis testatus est membris, quantũ videlicet illorũ torqueatur dolorib⁹, ac pœnis intimè compatiatur, dum omẽ eorum debitum in se recepit, luens ipse pœnas omnes, quas illi meruerant, vt ipsi abirent immunes. Idem hoc satìs superq; ea illius ad diuum Paulum verba confirmát, quibus ait: Saule Saule, quid me persequeris? Eá nanque quam in discipulos, id est, membra Dñi Paulus persecutionem excitârat, nõ minùs illi grauis erat, quàm si ipse eam sustinuisset. Vnde & amicis atque membris suis ait: Qui vos tangit, quasi qui tangat pupillam oculi mei. Quid verò membra patiantur, cui tale non compatiatur caput, cuius natura bonitas est, cuiq; propriũm est misereri semper & parcere? Cæterùm post Dominum omnium maximè desolata fuit beatissima virgo MARIA, vtpotè quam præ cæteris suæ fecerat mœstitiæ ac derelictionis participem, vt quatenus possibile foret, crux illius suæ esset cruci & afflictioni conformis, simulque pro tali morte, & tam dilecto filio tantum sentiret mœrorem, quantum & gratum erat Deo, & talem decebat genitricem: ita vt verissimè de ea Esaias dixerit: Vt mulieré derelictã & mœrentem spũ vocauit te Dñs. Sic de Domini derelictione in illius persona Helias ait:

Zelo

Zelo zelatus sum pro dño deo exercituũ, q̃a dereliquerunt pactũ dñi filij Israel: altaria tua destruxerũt, & prophetas tuos occiderũt gladio, & derelictus sum ego solus, & quęrũt animã meã, vt auferãt eã. Potest insuper & ita accipi Christi verbũ, tanquã Chr̃s illud ex agnitiõe contẽplatiõeq; purissimę suę innocẽtiæ & perfectę iustitiæ dixerit, admirãs seuerã sententiã Dei patris, atq; ex admiratiõis vehemẽtia in ista voce lamẽtabili prorupe-rit verba: Deus me⁹, cuius natura bonitas est, cui est propriũ misereri, & subuenire oppresso ac innoxio, vt quid (id est, quã ob causam) p̃ acerbã mortẽ cõsumi me permisisti, totũ me hostiũ meorũ manib⁹ offerẽs, eorumq; crudelissimæ tradens voluntati, qui nunquã vel ad momentũ à iustitiæ declinaui tramite, sed pro diuina exactione ac volũtatẽ tua virtutes om̃es perfectissimè operatus sum? ac si diceret: Equidẽ nullã in me causam inuenio, nec vllã agnosco culpã, cur me vel ad momentũ deserere debeas, quãdoquidẽ & digno te iustitiæ famulatu semper colui ac veneratus sum. Attamẽ si temet per me clarificare, hominibusq; paternã bonitatẽ, diuinam misericordiã, & immẽsum amorẽ p̃ mei derelictionẽ vis declarare ac reddere testata, fiat voluntas tua, totũ me in tuas commẽdo manus. Deniq; & hunc licebit verbi huius sensum accipere, q̃p de vtraq; humanitatis Christi natura dictum sit: ideoque bis Dñs dixerit: Deus meus, De⁹ me⁹: velut si vtraq; pars suas detulerit querelas ad Deum. Et primò quidem rationalis siue interior dixerit natura, tum ex immẽso angore, tum etiam erga partem sensitiuam naturali affectione, amore, compassioneq;: Deus meus, cur in tam horribili me dolore & angustia intolerabili ab omni releuamine & solatio me reliquisti? Secundò vero & sensitiua portio ex ineffabilium

um dolore pœnarũ dixerit, Deus meus, cur in hiſce tam immanib⁹ me tormẽtis & cruciatibus reliquiſti? Quã ob cauſam puriſſimũ organũ, quo tam iucũdè, delectabiliter ac mirificè operat⁹ es, quodq; in oĩbus maximè fuit morigerũ, quaſi cum furore à te abiecisti? Certè cũ externę tum internę afflictiõis & crucis Chriſti magnitudinẽ nemo ſatìs p̃ter ipſum Chr̃m nouit. Vnde factũ eſt, vt nemo ſatìs illi cõpati potuerit. Et tñ p̃terquã ꝙ ipſe in ſeipſo grauiſſimè torqueret, ad dolores ſuos omnes, inſuper & dolores angoresq; cunctorũ ei cõpatiẽtium experiri atq; perferre coactus eſt. Quod em̃ pleriq; nõ ex gratia, ſed natura, leuiter ferũt etiam aſpera multa, fit hoc, quòd duri, ferrei ac inſenſiles ſunt, atq; ea propter eiuſmodi obdurata ac ſaxea pectora neq; erga ſuas neq; aliorũ afflictiões vllo vel dolore vel cõpaſſione tãgãtur. Chriſtus verò cũ eſſet oĩm pijſſimus ac misericordiſſimus, natura item & ingenio ſeu cõplexione mitiſſimus ac nobiliſſimus, ſibijpſi maximè cõpaſſus eſt, q̃n quidẽ pœnarũ ei⁹ acerbitatẽ & põdus nemo recti⁹, atq; ipſe, metiri ac noſſe potuit. Vnde gemin⁹ hic dolor atq; preſſura paſſionis & cõpaſſiõis Chriſti, velut duo maris fluctus ſæua tẽpeſtate exagitati, cõtra ſe inuicẽ inſurgẽtes atq; certãtes, Chr̃m totũ adeò & foris & intùs cõcuſſit, attriuit, torſit, excruciauit, vt oẽm vincat intellectum. Quod quidẽ ita eſſe, etiã in ſuæ paſſionis exordio declarauit, cùm natura ſenſitiua atq; rationalis, ceu torrentes duo magno euntes impetu ſeſe mutuò impeterẽt, adeoq; Dñm affligerẽt, vt prę nimio angore ſanguinem pariter ſudaret & vndã. Et quomodo tunc natura ſenſitiua ex cõpaſſione ingenti clamabat: Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: ita & nunc dicit, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Vtq; tum rationalis por-

tio aiebat, Si non poteſt tranſire hic calix, niſi bibam illum, fiat volũtas tua: ita eadẽ ipſa & nunc clamat: Pater, in manus tuas commẽdo ſpiritũ meum. Quod & ipſum non minimũ attulit pondus ad dolores Chriſti, ꝙ ad vltimum vſque ſpiritum perfectum atq; viuum abſq; ſtupore vel extinctione habuit ſenſum in cunctis membris ſuis, vtì facilè indè liquet, ꝙ voce magna clamans, ſuum tradidit ſpiritum. Atque ita ad vltimũ vſque vitæ punctum, in membris itidem omnibus paſſus eſt.

IESVS ſuam queritur ſitim. Caput XLVII.



Inc iam pijſſimus dominus, præ nimia pœnarũ & anguſtiæ acerbitate, ac immodica ſanguinis ꝓfuſione, adeò exhauſtus eſt & exaruit, vt diceret, Sitio. Quod quidem vt breue verbum, ita myſterijs plenũ eſt. Et primò poteſt id iuxta literã accipi. Ita enim à natura cõparatũ eſt, vt quotquot extremũ agunt ſpiritũ, ſitiant & potum deſiderẽt. Quantam verò ariditatẽ & ſiccitatẽ fons viuus expertus eſt, adeò nũc exhauſtus & amoris ardẽtiſſimi feruore exiccatus, vt dicat, Tanquã aqua effuſus ſum: itemq;, Aruit tãquã teſta virtus mea? Neq; eñ oẽm ſuum duntaxat fudit ſanguinẽ, & quicquid habuit humoris lachrymando emiſit, ſed & ipſas medullas oſſium & vniuerſum cordis ſanguinem noſtri cauſa, amoris incẽdio & flamma prorſus abſumpſit. Atq; ita meritò ſe ſitire dicit. Poteſt ſecundò etiã ſpiritaliter intelligi, velut Chr̃us generatim dixerit õmibus, Sitio, videlicet ſalutẽ veſtrã. Vnde Bernardus ait: Sitio, inqt Chr̃s, nõ doleo. O Dñe quid ſitis? Fidem ve

vestram,gaudiũ vestrũ: plùs animarum vestrarũ quàm corporis mei cruciatus me tenet:& si nõ mei,saltẽ vestri miseremini. Et iterũ: O bone IESV,coronã spineã sustines:de tua cruce & de vulnerib⁹ tuis taces, & ꝓ sola siti clamas,dicẽs:Sitio. Quid ergo sitis? Certè solã redẽptionẽ hominis,& gaudiũ humanæ salutis. Fuit hęc Chri sitis vel cẽtuplo acrior ac vehemẽtior siti illius naturali. Habuit ꝑterea & aliã sitim,puta ampli⁹ patiendi,atq; expressiùs euidentiusq; suũ nobis immẽsum demõstrandi amorẽ,ac si diceret homini: Aspice vt tuæ salutis gratiã exhaustus & cõsumptus sum. Vide quàm horribiles sim perpessus dolores & cruciat⁹. Sæua hominũ crudelitas totum me penè redegit in nihilũ: ebiberunt oẽm sanguinẽ meũ peccatores terræ,& tñ adhuc sitio. Nõdũ satisfactũ est cordi meo, minimè expletũ est desideriũ meũ, amoris mei flãma neutiquã restincta est. Etem si & mihi possibile ac patri gratũ foret vel millies ob vestrũ omnium denuò me salutẽ & conuersionẽ crucifigi, vel etiam ad extremũ vsq; iudicij diem in hisce miserijs ac doloribus hic pendere,facerẽ id vtiq; libentissimè,tñ vt immẽsum vobis cordis mei amorẽ testatũ reddere,saxeaq; pectora vestra emollire,& ad me vicissim amãdum accẽdere possem. Itaq; tam sitibundus hic pẽdeo iuxta fontem cordiũ vestrorũ, vt animaduertã deuotas animas huc accurrẽtes ad hauriẽdũ ex immẽso passiõis meę puteo: Igitẽ puella cui ego dixero, Da mihi pauxillũ aquæ ad bibendum de hydria cõscientię tuę,aquã scilicet deuotiõnis,cõpassiõis,lachrymarũ & amoris mutui:& illa si inclinauerit ad me hydriã suã,& respõderit, Bibe Domine mi:quin & camelis,id est,seruis tuis,qui quotidie suo te portant in corpore,& noctu diuq; tuo iugo vincti tenẽtur,similiter hauriã aquã fraternę charitatis, ipsa est,

puella,quam præparauit Dominus filio Dñi mei,vt sit sponsa verbi diuini,meæ humanitati vniti: ipsaq; velut sponsa digna erit vnà cum spõso suo quietis æternę ingredi cubiculũ,sui sponsi vocibus inuitata, dicẽtis: Veni benedicta spõsa mea, possĩde regnũ patris mei. Sitiui eñ, & dedisti mihi potũ.Iam tertiò idẽ hoc verbũ patri accõmodare licebit, tanquã Christus suo dixerit patri: Pater,manifestaui nomẽ tuũ hoĩbus:opus cõsummaui, quod dedisti mihi vt faciã, in ipsoq; opere tuo totũ mei corporis absumpsi instrumẽtum:totus exhaustus & attritus sum:at nihilo minùs plùs adhuc tuo pro honore & agere & pati sitio. Ideo nãq; sic extẽsus hic pendeo in amoris latitudinẽ, ꝙ æternũ cupiã esse sacrificiũ, tibi in odorem suauissimũ laudemq; perennẽ, & homini in reconciliationẽ æternamq; salutẽ. Atq; ita fortis hic Samson dixerit: Tu Dñe dedisti in manu serui tui salutẽ hãc maximã atq; victoriã, & en siti moriar. ac si diceret: Executus sum, mi pater, gratissimã voluntatẽ tuã: & pro exactione tua humanæ salutis opus absolui, & tamẽ adhuc sitio. Etem peccata, quib⁹ offensus es, infinita sunt: itaq; volo vt & charitas & merita passionis meę, quibus placãdus es, infinita sint. Et sicut ego memet nunc offero pro salute omniũ hostiã pacificã, viuumq; sacrificium, ita cũcti te per me placare possint homines, me tibi offerẽdo hostiã placatiõis ad æternã gloriã tuã, in meæ passionis memoriã, & cunctorũ defectuũ suorũ supplementũ. Quã verò, putamus, gratũ fuit patri hoc amoris desideriũ. Quid eñ aliud fuit hęc sitis, quàm dulcis quædã & deliciosa patris refocillatio recreatioq;, & medicinalis atq; beata hominum reparatio? Quídve aliud æstuãtissima hæc nobis sitis loquit, quàm flagrãtissimũ amoris Chri incendiũ? ex quo vtiq; immẽso ac penè intem

temperanti amore cũcta ſua fecit opera. Nimirũ hoc eſt digniſſimũ nr̃æ redẽptionis ſacrificiũ, hæc eſt hoſtia pacifica, quę vſq; ad vltimũ diẽ à bonis om̃ib⁹ per Spiri tũſanctũ altiſſimo patri in memoriã filij, ſempiternãq; adorãdæ Trinitatis gloriã & admirabilẽ humanæ ſalutis profectũ & fructũ offeretur. Hic planè eſt theſaurus immẽſus cõciliationis noſtræ, qui nunquã in terris deficiet, cũ om̃e vincat mũdi debitũ. Hic eſt amor immẽſus, cælis ſublimior, quia angelorũ ruinã inſtaurauit: inferno ꝓfundior, qñquidẽ animas indè liberauit: terra longior & latior, cũ ſit abſq; fine, & om̃i creato intellectui incõpręhẽſibilis. O quàm acris & vehemẽs hæc ſitis dñi fuit. Neque eñ ſemel tm̃ dixit, Sitio, ſed adhuc ſine ceſſatiõe intus nobis dicit, Sitio: mulier, da mihi bibere. Tanta eſt, inquã, & tam ingẽs illius ſitis, vt non à filijs Iſrael tm̃, ſed etiã à Samaritanis potũ petat. Et ſingulis quibuſq; ſuã queritur ſitim. Quid verò ſitis IESV bone? Hic eſt, inquit, potus & cibus meus, vt homines faciãt volũtatẽ patris mei. Patris aũt voluntas eſt ſanctificatio veſtra & ſalus, vt ſanctas reddatis animas veſtras, ambulãdo in p̃ceptis meis, veræ agẽdo pœnitentiæ opera, voſipſos cunctis exornãdo virtutibus, vt ceu ſponſa bene pręparata & culta, digni ſitis ad meã venire cœnã in regnũ patris mei, mecumq; vt ſpõſa electa dormire in conclaui cordis paterni. O quãto cũ deſiderio oẽs eò Chriſtus ſecũ perducere exoptat. Hoc eſt quod ipſe ait: Vbicunq; ſum ego, illic & miniſter meus erit. Itemq;: Pater, volo vt queẽadmodũ nos vnũ ſumus, ita & ipſi vnũ ſint. O quàm incõpræhẽſibilis hæc Chr̃i ſitis erat. O quãtoperè trigintatres annos huius gratia deſudauit. Hac de cauſa & medullas & cordis ſui ſanguinem conſumpſit. Vide quid pijſſimus dominus dicat patri ſuo: Zelus do-

mus tuæ comedit me. Planè vel millies potiùs crucifigi se passus fuisset, quàm sua ex culpa vllam siuisset perire animã. O quàm cruciabiliter hæc eũ sitis intus afflixit, dum se & fecisse oẽa quæcunq; poterat, & vel cẽtuplo plùs quàm fuisset opus, & tamen tam paucos se conuertisse & esse lucratũ. Iam corpus eius omne detritũ erat, sanguis oẽis effusus, nihil quod ageret restabat, adeoq; fateri cogebatur & dicere, Consummatum est: & tamen cunctis laboribus atque doloribus suis non maiorem patri suo fructum, atque lucrum fecerat. Et reuerà plùs eum omni sua afflictione cruciauit, quòd in tam duro certamine nõ augustiorem esset victoriam adeptus, tamque raris spolijs ad patrem suum victor rediret. Vnde quotquot eum non reficiunt, illius exequendo voluntatem, & quicquid illi gratum atque honorificum est studiosè agendo, cunctisque quæ ratio illi displicere dictat, viriliter fortiterq; resistẽdo, audiẽt quãdoque cum damnatis: Sitiui, & non dedistis mihi potum. Ite maledicti in ignem æternum. Quartò est & interior huius verbi sensus, quòd CHRISTVS illud ex amore intrò trahente ad omnes protulerit homines, suam nobis æstuantissimam declarans dilectionem, & proprium cor ceu thalamum deliciosum referans, in quo quiescamus suauiter: simulq; in ipsum nos inuitans, dicendo, Sitio vos. Vt enim potus, quem bibimus, sensibili cum delectatione per guttur mittitur, descenditq; suauiter vsque ad intima nostra, transiens in nostri corporis substantiam & naturam: ita & CHRISTVS homines vniuersos ex ardentissima sui amoris siti in sese bibendo quasi recipere, dulciter glutire, sibique incorporare, & in secretum amantissimi cordis sui cubiculum cum spiritalibus abducere delicijs concupiscit. Vnde & ait:

Cum

Cum exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad meipsum, id est, quotquot se à me trahi permiserint, seseq; vt instrumẽta morigera mihi subiecerint, pro mea me secum gratissima voluntate operari sinentes. Porrò qui tractui CHRISTI resistunt, qui per amoris CHRISTI flammam & ardorem eliquari se non patiuntur, vt ita possint ab illo bibi, nec se ab illo in eius viscera absorberi sinunt, hi illius non leuant sitim, sed poculum ei amarum porrigunt, opera scilicet suæ propriæ voluntatis. Quę mox vbi gustàrit Dominus, euomit ea. Quintò, ita hoc potest verbum accipi, quòd illud Dominus suæ dixerit matri grauissimè afflictæ, & iuxta crucem assistẽti, tanquam diceret: O mea dulcissima mater, aspice ad quantam inopiam & DEI & tuus filius redactus est. Equidem mare, fontes & humida cuncta creaui. Ego nubibus impero, & pluuias fundunt. Ego angelis cælestis voluptatis potum præbeo, & sanctis æternæ poculum beatitudinis: amicis meis adhuc in terra agentibus potũ internę cõsolationis, & discipulis meis diuinæ potionẽ sapientiæ, cunctisq; demũ peccatoribus poculum redemptionis: & tamẽ nõ est quisquã, qui in acerrima siti mea refrigeret linguam meam. O quantoperè verbum istud, deuotissimum maximeque oppressum intemeratæ virginis cor scidit ac penetrauit, dum vnigenitum filium suum, quem virgineis suis fouerat vberibus, tanta in necessitate suam audiret queri sitim, nec tamen posset ei opitulari. Forsitan ita ei respondere potuit: O fili dulcissime, adeò tota mœrore ac impatibili sum angore correpta, vt tibi opem ferre non possim. Adeò tecum ineffabilem per compassionem cruci fixa sum, vt me mouere nequeam. Iam viribus cunctis destituta sum, quòd te vnicum cordis mei solatium meos ante

oculos tam iniustè cruciàri, tam turpiter sperni, tam crudeliter occidi video:nec licet mori tecum, nec auxilium aliquod impendere valeo:hæc prorsus intùs me liquefaciunt:hęc medullas deuastant animæ meę. Vides ipse fili mi amantissime, totam me amoris tui ardore liquefactam, ac instar vuę grauissimo tuę passionis pódere expressam. Itaq; totam me trahe in te, bibe me, absorbe me, in tuum me corpus traijce, vt tota tibi sim refrigerium atq; refocillatio in hac grauissima siti tua. Sextò deniq; eum ex hoc verbo sensum elicere poterimus, ꝙ Christus & pijssimæ matri suæ & bonis omnibus ingentē consolationē pariter & laboris, quē propter ipsum tum agendo tum patiendo ferunt, leuamentum præstiterit. Quālibet enim exiguus labor vel afflictio sit, Christo tamēn instar dulcis cuiusdam potionis grata prorsus & sapida fuit. In ipsa nanque cruce positus, cum ingenti delectatione compassionem omnem, mœstitiam, deuotionem, gemitus, & lachrymas in passióis eius meditatione exercēda ebibit: & quicquid persecutionum, angustiarum, afflictionū eius pro honore tolerabitur, omnem pœnitētię rigorem, ieiunia, pręces, vigilias, cunctas naturæ mortificationes, vniuersa obediētiæ & charitatis opera, & quicquid demum actuum virtuosorum ad nouissimum vsq; iudicij diem illius pro honore peragetur, cūcta hæc Dńs IESVS miro quodam modo hausit, & cū ingēti siti absorbuit atq; suo corpori sociauit, suisq́; iunxit atq; vniuit opibus, necnō feruenti suo sanguine purgauit, atq; in igne diuini sui excoxit amoris, suis quoque meritis & actibus perfecit & absoluit, quicquid imperfectum in his atque defectui obnoxium erat, atque ita demum in æterni patris conspectum obtulit, illiq́; grata ac placita fecit.

Iesus

Iesus in cruce fel & acetũ hausit. Ca. XLVIII.



Ostquam verò dñs Iesus hoc de sua siti ꝓtulerat verbum, quidam spongiã felle & aceto impletã Christi sacro ori obtulit. Et hæc quidẽ dñs iuxta Dauidis vaticiniũ gustare voluit, quo in cunctis suis membris ac sensibus torqueret: vtq; Adę peccatum, quod per gustus delectationẽ admissum erat, per hunc acerbũ & molestissimum gustũ corrigeret. Hinc verò primò Iudæorũ insatiabilẽ liuorẽ, duritiã & amaritudinẽ aduertere licet, ꝙ cuncta hæc tormenta, sanguinis profusiones, & immanissimi cruciatus, q̃bus Dominũ affecerãt, cruentã eorũ necdũ expleuerint sitim. Iam in ipso eum mortis articulo positũ videbant, nec tamen ab illius cruciamẽtis sibi temperabãt. Statutum quidẽ fuerat à Salomone, vt damnati aromatico ac dulci potu reficerent, quò suas obliuioni pœnas darẽt: sed isti scelestissimi vinũ hoc ipsi biberunt, & Christo acerbissimã confecere potionem, quã virulento suo corde poterant excogitare. Erant nanq; reuerà acida ac fellea vasa, odij ac liuoris plena, nec poterant indè nisi fel & acetũ depromere. O quãtopere pijssimũ affligebat Dominũ, cui⁹ natura bonitas est, dum venenatũ atq; amarulentũ aspiceret fundũ, inextinguibilem crudelitatis ardorẽ, & saxeã atq; obstinatã malitiam Iudæorũ: ꝙ hi quos tot annorũ curriculis in eremo manna cęli pauerat, omnem in se saporis suauitatẽ habente, quosq; tam paterno fuerat cõplexus amore, & tot tamq; mirificis affecerat beneficijs, in extrema sua ac maxima necessitate talẽ nihil vererent porrigere potionem. Nimirum

hæc eorũ inuidia & inclemẽtia plùs Dñm torsit, quàm ipsa potus amaritudo. Quo eñ quispiã plùs virtutis habet, eo illi magìs dolet, dũ malitiã cernit & crudelitatẽ: quãtoq; id euidẽtiùs animaduertit, eo indè grauiùs in corde torquet. Cæterùm, quod ad spiritalẽ attinet sensum, nõ in cruce tantùm à Iudæis Dñs Iesus huiuscemodi acerba potione cruciatus est, sed indies adhuc æquè felle & aceto affligitur ab illis, qui eum peccatis & sceleribus suis exasperare non verentur: præcipuè verò à Christianis om̃ibus, qui veritatis quidẽ iter ac Dei voluntatem explorata habent, nec tamen faciunt quod deberent. De his queritur ipse, dicens: Ego plantaui te vineã electam, & sepiui te fidei muro: & ędificaui turrim sublimis contemplationis meæ in medio tui, & lapides elegi ex te, id est, martyres sanctos atq; doctores, qui in Ecclesiæ fundamẽto sunt collocati, quiq; viam vitæ & veritatis tete verbis & factis docuerunt. Quid est quod vltrà debui facere tibi vineæ meæ, & nõ feci tibi? Quomodo ergo conuersa es in amaritudinem, in qua excolenda tantum operæ ac studij posui, quam tam excellenti mihi precio comparaui? Expectaui vt faceres vuas dulces feruentis amoris, fructus bonorum operum: & tu mihi profers fel & acetum, spinas ac tribulos. Nunc porrò videamus, quale quisq; Christo vinum offerat, quos ei ex sua vinea reddat fructus. Dicit scriptura: Bonus homo de bono thesauro cordis sui ꝓfert bonum: & malus homo de malo thesauro profert malum. Igitur alij Christo instar Iudæorum vinum præbent felle mixtum. Hi sunt peccatores magni, quibus adhuc voluntas adiacet malè agendi: qui tametsi bona faciant opera, sunt tamen felle amarissimo infecta omnia, & corrupti ac vitiosi trahunt vasis saporem: quę mox

vbi

vbi Christi contigerint palatum, euomuntur ab eo. De his Moses dicit in Cantico Deuteronomij: Vua eorum vua fellis, & fel draconũ vinum eorũ. Et S. Petrus ad Simoné Magum loqués: In felle amaritudinis video te esse, & cor tuũ non est rectũ corã Deo. Alij vinũ quidem Christo porrigunt, sed corruptũ, acerbũ ac acidũ, versumq; in acetum. Et hi sunt homines dissoluti ac leues, qui à mortiferis peccatis abstinent: sed à quotidianis ac venialibus sicut minimè sibi cauent, ita eis abundant ac sæpissimè in ea labũtur. Quod indè accidit, ꝙ fundum suum non obseruant, nec sancti spiritus monitis & increpationibus auscultãt: quinimò intus cæci sunt atq; surdi. Isti Deum scisso ac diuiso quærunt corde. Neq; enim totos sese auerterunt ab omnibus, quæ medium inter ipsos & Deum efficiunt: & licet subinde quiddam intus accipiant luminis, ratioque de quibusdam testetur Deum se illis offendere, eiq; displicere, neq; sic tamen ea deserere volunt: creduntq; se Deo pariter & mundo posse famulari. Hi vt plurimũ tepidi sunt ac torpidi, & corde vagi atque distracti: hærentq; in tepido quodã legédi aliquid vel meditandi, aut eiusmodi quippiam agendi exercitio. Id verò tãto iam egere tépore, vt prorsus consenuerit, peracueritq;. Et hoc ergo vinum Christus similiter euomit, sicuti in Apocalypsi dicit: Vtinã calidus esses aut frigidus: sed quia tepidus es, incipiã te euomere ex ore meo. Et de his alibi dicit: Sicut acetũ dentibus, & fumus oculis, sic piger his qui miserunt eum in via. Tertiò, alij Christo vinũ offerunt è vinea sua: sed quemadmodum Esaias ait, vinum eorum mistum est aqua. Hi tamé aliquanto meliores sunt, magisq; suæ saluti inuigilant: sed opera eorum admodum peruersa quadã ac aliena intétione abũdant, vtpote, verbi

gratia, facta vel ex timore, vel ob mercedē, vel ex cōsuetudine, vel vt placeāt hominibus, vel ob aliquod priuatum cōmodum suū, vel vt consolationem, aut alia Dei dona consequanť: vel ob alia eiuscemodi, in quib⁹ plùs sese, quàm purū Dei honorem quærūt, & vt illius satisfaciant volūtati. Hi vinū suum, vt dixi, aqua miscēt, alij plùs, alij minùs, vt nō admodū Christo indè potare liceat. Quartò demū alij sunt, q Christo Iesu purissimū atq; suauissimū præbent vinum. Hi sunt homines bene mortui ac resignati, qui in cunctis suis operibus solùm Dei spectāt honoré, nec vspiā seipsos quærunt. Isti veri sunt filij Dei, q naturalis suæ generationis obliti sunt, quò Deū patrē habere mereanť: acceperūtq; spiritum Dei in signū atq; argumentū, ꝙ sint filij Dei, in quo & clamant, Abba Pater, quod nemo vtiq; ex spiritus testimonio & sētētia dicere potest, nisi sit filius Dei. Hi nec mortē vereņť, nec infernū, nec hostē, nec homines, neq; lucra, neq; damna. Totos nanq; se Deo dediderunt ac funditùs resignârūt, & gratū est eis quicquid illis facere volet Deus & in tēpore & in æternitate: quādoquidem oēm iam timorē seruilē, & mercenaria pręmia perruperunt viceruntq;, in pręclarā spiritus assumpti atq; trāslati libertatē. Adeoq; quęcunq; infra Deū sunt, oīa ceu stercora spreuerunt, quò Christū lucrifaciāt, & ipsum habere præmiū sint idonei. Iamq; mūdo & naturæ siue carni penitus mortui sunt: ideoq; viuit in eis Christus, & cuncta eorum opera agit cū eis. Ipse fodit, plantat, rigat, euellit, dat incrementū: & ipsi velut bonū ac subditum instrumentū, & ager obtēperans, Deū suum intra se atq; secū opus peragere sinunt. Itaq; sunt velut hortus irriguus, & ager plenus, cui benedixit Dńs: feruntq; vinum longè suauissimum, lætificans cor Iesu Christi.

Enim-

Enimuerò à naturali sua ac infœcunda radice abscissi, atq; pręclaræ illi vineæ, quæ de corde paterno ꝓcedit, atq; ex illius pectore sumit alimoniã, insiti sunt. Deniq; hi Christum adeò inebriant, vt quicquid velint, facilè impetrent ab eo, ita vt ipse fateatur: Factus sum quasi vir ebrius, & quasi homo madidus à vino.

Consummatum est. Cap. XLIX.



Einde vbi Christus felleũ hunc deguſtârat potũ, sextũ locutus est verbum, videlicet, Cõsummatum est: significans in passione sua impletas esse prophetias oẽs, figuras, mysteria, scripturas, sacrificia atq; promissa, quæ de ipso prædicta scriptaq; erãt. Hic verus est filius Dei, cui pater cælestis grandẽ parauit cœnã in regno æternæ beatitudinis suę: misitq; seruum suũ, id est, humanã atq; seruilẽ Christi naturam, vt vocaret inuitatos ad nuptias. Christus nanq; secũdum assumptũ hominẽ nedum seruus fuit, sed seruorũ seruus, atq; oĩbus nobis trigintatrib⁹ atq; eo ampliùs annis multo cũ labore ac dolore humilimè seruiuit. Quod & ipse per Esaiã prophetã dicit: Seruire me fecisti in peccatis tuis. Et reuerà toto vitæ suæ spatio studiosissimè in hoc incubuit, vt cũctos ad hãc cœnã inuitaret cõcionando, miracula faciẽdo, eundo de loco ad locũ, clamãdo atq; annũciando propè adesse regnũ cælorũ, & vt illi se quisq; ꝑpararet. At venire noluerũt. Quod audiẽs paterfamilias, dixit seruo suo: Cõpelle intrare, vt impleaẽ domus mea. Itaq; seruus hic secũ ita cogitauit: Quonã pacto hoĩes istos subtiliter & absq; violẽtia cogere potero vt veniant, quo & rebellio retundaẽ, & libero

bero! nihilo minùs arbitrio suum maneat ius atq; facultas? Etem si vinculis ferreis, duris item verberibus atq; flagellis eos venire compello, asinos habebo, non homines. Itaque intra sese ait: Aduerto hominis conditionem, quàm amori deditus est: talem ea propter ei exhibebo dilectionem, quæ omnem eius intellectum superet: immo qua nulla posit maior esse. Quòd si hanc homo attendere volet, ita se illius sentiet nexibus irretitum, vt æstum atque ardorem eius euadere nequeat, totumq́ue se ad DEVM conuertere, Deumq́; vicissim amare cogetur. Quoquò enim se verterit, semper illi immensa beneficia, infinita bonitas, & admirabilis DEI charitas occurrent: simulq́ue exactio huic amori reddendi vicem adeò in eo conualescet, adeoq́ue eum vrgebit & impellet, vt ei obniti nequeat: sentietq́ue suauiter se compelli vt sequatur. Hoc igitur peracto, fidelis hic seruus & prudens DOMINVS IESVS Christus suo dixit DOMINO ac patri: Consummatum est: opus consummaui, quod dedisti mihi, vt facerē. Quid ampliùs facere potui, atq; feci? Ne vnum quidem membrum mihi superest, quod non labore atq; doloribus fatigatum atq; turbatum sit: venæ meæ exaruerunt, sanguis omnis effusus est: medullæ absumptæ: guttur meum clamando iam raucet. Tantā hominibus ostendi dilectionem, vt non humanum, non lapideum, non brutū, sed prorsus diabolicū atq; desperatum cor sit, quod ex huius consideratione nihil moueatur. Cæterùm verbū hoc Dñi Iesu, nō gaudij, sed mœroris est. Neq; eñ ita hoc dixit Dñs, quasi iam pœnas oēs euasisset. Sed consummatū est, inquit, q̃cquid scilicet ab eterna veritate, vt pateref, definitū atq; præfixum erat. Iam verò quicquid hactenus pœnarū paulatim atq; particulatim

latim ei illatū eſt, totū ſimul immēſo cū dolore patitur. Hactenus gradatim modò in hoc, modò in illo mēbro tortus fuit: iam in omnibus ſimul membris dolores fert intolerabiles. O quantoperè brachia illa ſic extēſa dolebant, quæ tandiu in pœnis perdurauerāt. Quàm ſęua illa manuū pedumq; vulnera intimas ſecabant cordis eius medullas, quandoquidem omne illis totius corporis pōdus imminebat. Quis, oro, tā adamātino erit pectore, quē tales nō moueāt cruciatus? O quàm breuia in cruce Dn̄s Ieſus verba ꝓtulit, & quàm grauida ſacramētis. Iam reuerà impletū eſt, quod habet lib. 3. Eſdrę, cap. 1. Et conſummata ſunt, quæ pertinebant ad ſacrificium Dn̄i. Significauit aūt hoc verbo Dn̄s glorioſam paſsionis ſuæ victoriā, debellatū expugnatumq; eſſe hoſtē antiquū, ſerpentē inuidū: quæ & ratio cauſaq; erat illi patiendi. Ideo nanq; humanæ naturæ veſtē induit, vt eiſdem armis hoſtē vinceret cōfunderetq;, quibus ille hominem ſe viciſſe gloriabatur. Hæc, inquā, precipua erat intentio & ſcopus paſsionis eius: atq; id iam fatetur eſſe conſummatum. O quot admiranda breue hoc & ſubtile dictum myſteria, victoriaſque comprehendit. Conſummatum eſt, inquit. Quicquid æterna ſapientia conſtituerat, quicquid iuſtitia rigida ꝓ ſingulis quibuſq; exigebat, quicquid charitas amanter poſcebat, quicquid erat promiſſum patribus, quicquid myſteria, figurę, cęremoniæ & ſcriptura præſignârāt, quicqd ad nr̄am redemptionē erat accōmodum ac neceſſariū, qcquid nr̄is abolēdis debitis erat conducibile, quæcūq; ad nr̄as explendas reſarciendaſq; negligētias conferebant, quicquid glorioſum atq; amicabile eſſe poterat ad ſublimē demonſtrandū amorē, quæq; ꝓ noſtra ſpiritali inſtitutiōe ac informatiōe deſiderare potuiſſem⁹, qcqd deniq;

honeſtum

honestũ atq; cõgruum erat glorioso mirificæ redẽptionis nřæ triũpho celebrando atq; victoriæ, cũcta hæc isto sunt determinata verbo, Cõsummatũ est. Quid igitur adhuc superest, nisi vt & in hoc glorioso certamine ipsam quoq; vitã suã finiat atq; cõsummet? & quia nihil ei agendũ restat, preciosam animam suã in patris offerat manus, quãdo bonũ certamẽ certauit, cursum vitæ suæ in omni sanctitate pfectissimè cõsummauit? Ideoq; iustũ est coronam eum suæ victoriæ adipisci, quã cælestis pater dabit ei in ipsa exaltationis eius die. Denique hoc verbo Christus oẽm laborẽ, afflictionẽ & mœstitiam suam pro electis omnibus obtulit, quẽadmodũ Apostolus ait: Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesq; ad eum, qui possit illũ saluũ facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerẽs, exauditus est pro sua reuerentia: Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emũdationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per spiritũ sctm̃ semetipsum obtulit immaculatũ Deo, emũdabit conscientiã nostrã ab operib9 mortuis, ad seruiendũ Deo viuẽti, in nouitate scilicet ac puritate spiritus?

Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Cap. L.



Ehinc secundo Dñs Iesus voce magna clamauit, dicens: Pater, in manus tuas cõmendo spiritũ meũ. O quotquot Dñm Iesum Christum diligitis, adeste, obsecro, & tota deuotione & compassione illius discessum attẽdamus: videamus quis illic mœror, quę angustia, quis cruciatus & pressura fuerit, cùm anima illa excellẽtissima, à dile-

à dignisſimo illo atq; ſacratisſimo corpore, in quo trigintatribus annis tã dulciter, pacificè, iucũdè & ſanctè, haud ſec⁹ quàm duo amãtes in lectulo vno, quieuerat, iam iamq; diſcedere cogeret. Quàm ægrè ſe diuelli ab inuicẽ patiebant, inter quæ nulla vnquã diſcordia, lis nulla, diſsidiũ nullũ, nec vlla fuerat ſuborta ſimultas? O quàm grauis & ineffabilis illa crux erat, quãdo ſanctum illud corp⁹, tã fidum amicũ, tam pacificũ patrẽfamiliâs, tam piũm deniq; cogebat̃ pręceptorẽ & magiſtrum dimittere. Quanto itidẽ cum mœrore præclara ac nitida illa anima à tam fideli ſeruo auellebatur, cuius tam morigerũ erat experta famulatũ, qui nuſquã ſibi pepercerat, nõ frigus, non æſtũ, non famem, non ſitim declinârat: quiq; & labores & dolores tam benignè ſemper & æquanimiter tolerârat. O quàm ĩgẽs, quàm immenſa fuit hęc crux & afflictio. Vt eñ Philoſophus ait, oĩum terribiliũ maximè terribilis mors eſt, ob amorẽ naturalẽ mutuũq; affectionẽ, q̃ etiã maxima eſt, animæ & corporis. Quanto igit̃ maior ille cruciatus fuit atq; dolor, dum à ſeſe diuellerent̃ anima illa ſanctisſima, & ſacratiſſimũ Chriſti corpus, inter quæ tam mira ſemp concordia, tã ſtupenda dilectio fuit? Itaq; intima cũ cõpaſsione & anxio mœrore miſerãda hęc ſeparatio noſtra ſemper in meditatione verſet̃. Chriſti ſiquidẽ mors, noſtra vita eſt. Contẽplemur oĩ cũ deuotione, ſacrum illud corpus noſtrę ſalutis organũ quãtis fuerit correptum pœnis, cùm oẽs illius iam venæ exaruerãt, nec qcquam haberẽt nutrimẽti, neruiq; oẽs contracti eſſent: cũctaq; Dñi membra ceu vltimũ vale faciẽtia, cum preſſura ineffabili ad mortẽ ſeſe accõmodarent. Ah quis ſine cordis cõpunctione, dolore, cõpaſsione gratiſsimum Chriſti vultũ cõſpicere queat totũ verti in pallorẽ ac mortis

imaginẽ, deficere oculos, & adhuc lachrymas fundere; sacrũ demitti caput, & cũcta deniq; illius mẽbra, quem operib⁹ non poterant, nutibus ac signis nobis amorem ostendere? Quæso, cõpatiamur illi, quia caro nostra & sanguis est: & nr̃a vtiq;, non illius peccata sunt, ꝑ qbus turpẽ hãc oppetit mortẽ. O quotquot hactenus tepido ac frigido corde crucẽ Iesu præteristis, quos om̃es isti horribiles cruciatus, miserabiles lachrymæ, & feruidus Christi sanguis instar aquę ꝓfusus, emollire nõ potuere, vel vox ista acris ac valida, & terribilis eius clamor corda vestra scindat ac penetret. Quæ cælum, terram; inferos tremore concussit, quæ saxa scidit, vetusta aperuit monumenta, mortuos excitauit, & vestra lapidea molliat pectora, antiqua conscientiæ vestræ sepulchra detegat, plena fœtorib⁹ ossium mortuorũ, id est, vitiosorũ actuum, & emortuos ad vitam reuocet spiritus vestros. Hæc etem̃ ea ipsa vox est, quę olim clamauit, Adã vbi es? quid fecisti? quæ Lazarum eduxit ab inferis, dicens: Lazare, veni foras, surge de sepulchro vitiorum tuorum, & fine te absolui à nexibus tuis. Et re vera non tam pœnarum immanitas, quàm magnitudo peccatorum Dominum in hanc vocem prorumpere fecit. Clamauit etiam, vt ostenderet penes se mortis esse vitæque imperium, seu viuorum ac mortuorum. Quanuis enim totus esset exhaustus & viribus destitutus, supraq; vires humanas in ipsis mortis acerrimis pœnis tam diu perdurasset, attamen cohibuit mortem, ne suam in se vim posset exercere, donec sibi gratum esset. Clamauit fortiter, vt homines terrenos, qui nil nisi terram quærunt, tremore ac timore concuteret, faceretq; eos meditari atq; attendere, quàm nudus & inops ipse Dominus Dominorum ex hac vita migrârit. Clamauit ter-

ribiliter,

ribiliter, vt luxuriosos omnes, qui in suis sordibus cõ senuerunt, & vt canes mortui teterrimũ spargunt fœtorem, atque vt iumenta computruerunt in stercore suo, ipso suo clamore excitaret, vt surgant quandoque miseri à libidine, cupiditate, voluptate ac sensuum oblectamentis, conspiciaturque, vti filius DEI, qui nullam vnquam contraxit licet tenuissimæ sordis maculam, ad patrem suum venerit, quoq; labore, dolore & cruciatu ex hac discesserit luce, & qua deniq; angustia, quãq; ineffabili cum afflictiõe ad paternũ pertigerit regnum. Et tamen ipsi suæ obsequendo carnis voluptatibus, naturæq; affectibus ac desiderijs laxando habenas, nihilo minùs beatos se fore atque cælum conscensuros arbitrantur. Ad hæc clamauit alta voce Dominus, vt pigros ac tepidos omnes moneret ad deuotionem, & ad amorem accenderet. Quia & clamauit vocẽ magna, in signum gloriosæ victoriæ suæ, quam fuerat adeptus, dum aduersum crudelissimum atq; fortem aduersarium singulare initurus certamen, in mundi huius arenam campumque descendit, eundemque in Caluariæ monte profligans, spolijs omnibus exuit denudauitq;. Hãc, inquã, victoriã atq; triũphum gloriosum Chrs alta voce insigni triũpho ꝓclamauit, necnõ præclara cum victoria atq; admirabili triũpho à loco certaminis abscedens, collecto vniuerso meritorũ suorum exercitu, ad locũ deliciosissimũ maximeq; delectabilem ipsum Dei pr̃is cor atq; sinũ abijt, in illud & sese & oẽs suos ceu locũ tutissimũ cõmendãs, dicẽdo: Pater, in manus tuas cõmendo spm̃ meũ. Ex his aũt verbis animaduertere licet, verbũ æternũ Dñm nostrũ Iesum Christũ ceu hamũ piscatoriũ vel rete amplũ charitatis missum à celesti pr̃e in hoc mare magnũ seculi huiꝰ, ad capiẽdum

 non

nō piſces,ſed hoīes rationales.Miſit verò hoc rete Deus pater in dextrā,vbi copioſam ſe nouerat multitudinē conſtrictur̄ū. Ipſum audi dicentē: Verbū meū,quod egrediet̄ de ore meo,nō reuertet̄ ad me vacuū,ſed faciet quęcūq; volui, & ꝓſperabit̄ in his ad q̄ miſi illud.Porrò rete hoc trahit̄ iā à patre,ex mari ſalſiſſimo ad paterni cordis quietiſsimū littus, plenū electis hoībus, operib⁹ charitatis, pœnitētia,patiētia,humilitate, obedientia,exercitijs ſpūalibus, meritis,virtùtibusq;.Siquidem Chr̄s cūctas in ſe traxit afflictiōes & opera virtuoſa bonorū oīm. Nā quemadmodū Paul⁹ ait, viuo aūt iā non ego,viuit verò in me Chr̄s:itidē Chriſtus viuit in bonis oībus,qui mūdo mortui ſunt, Chriſtoq; ſeſe tāquam inſtrumēta morigera ſubdiderunt.In his,inquam, viuit Chr̄s, patit̄ & operat̄.Quicqd eñ in cūctis hoībus boni eſt, totū ſunt opera Dei. Sentiēs igit̄ Chr̄s tractū patris, modo quodā admirabili collegit in ſe electos oēs cū vniuerſis eorū operibus,eoſq; patri ſuo cōmendauit,dicēs: Pater,hi tui ſunt:hæc ſunt ſpolia,quæ gladio crucis meæ victor obtinui, hæc vaſa ſunt, quæ precio ſanguinis mei cōparaui: hi fructus ſunt laborū meorū. Serua eos in noīe tuo, quos dediſti mihi. Non rogo vt tollas eos mecū à mūdo, ſed vt ſerues eos à malo . Ita ergo Chr̄s ſeſe cū oībus ſuis paternis cōmendauit manibus.Agè eapropter anima fidelis& deuota,attēde ſummo ſtudio ingreſſum & exitum ſponſi tui Ieſu, ſequere eum affectu & deſiderio ad hoc vſq; conclaue & lectulum delicioſum, tibi ab eodē in corde paterno præparatum.O felicem illū,qui poſſet modò diſſolui cū Chriſto,mori cum latrone, & audire à dn̄o verbum illud ſolatij plenū:Hodie mecum eris in paradiſo. Quòd tametſi non datum ſit nobis, quicquid tamen hic laborando;

do, vigilando, ieiunando, orando consequi possumus, cum Christo patri mittamus, refundamus in fonte͂, vnde ad nos promanauit: nihil apud nos penitus resideat per vanā cōplacētiam: nihil maneat apud homines, aliquam laude͂ vel honore͂ aut præmium appetendo: sed quicquid Deus noster in nobis operari dignatus est, illius rursum manibus cōmendemus, dicendo: Ex nobisipsis nihil sumus. Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Omnia bona per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Vbi igitͅ ille secum aufert quæ fecit ipse, nos ꝑfectò nihil sumus. Deniq; cōmendauit Chr̄s animā suam in manus patris, vt demōstraret nobis scādere nūc post eum animas piorum bonorumq; hominum in sinum patris æterni, quas omnes anteà ad infernū descēdere oportebat: quandoquidem viam ipse nobis aperuit, & sacra eius anima iter reddendo tutum atque securum, ducem se nobis præbuit ad regna cælorum.

Iesus emisit spiritum. Cap. LI.



Ostea quàm Dn̄s Iesus iam dictū ꝑtulerat verbū, inclinato capite tradidit spiritū. Inclinauit caput tū ad matre͂, tum ad hōies vniuersos, tanquàm vltimū vale dicēs, extremāq; petēs copiā discedēdi, & osculū pacis offerēs. Attēde hic anima fidelis ineffabilem Dei tui amore͂, vt ad fine͂ vsq; nos dilexerit. Aduerte, vt dempta iam om̄i loquēdi facultate, ac morte cūcta illius mēbra, vita erepta, occupāte, ipsa nihilo minùs mēbra, quę poterāt, dilectionis argumēta dedisse. Vide hic verū Iacob extēsis brachijs filios suos benedicente͂, collectisq; pedibus in lectulum crucis, ad patre͂ remigrantem. Aspice

gratissima Chri mébra iá emortua, nihilo seciùs eúdem nobis, qué adhuc viuétia habebát, demóstrare amorem ac beneuolentiá. Extensa manét brachia, vt nos cóplectant: oculi demissi, vt nos aspiciát: submissum caput, quò nos osculet: patétia atq; hiátia vulnera, vt in ea nobis ingredi atq; cófugere liceat. Ipsú quoq; caput, quod antè ad patré sustulerat, sese illi cú lachrymis offerédo, modò ad nos ꝑ amoré inclinauit, nrǣ cú pr̃e recócilia-tionis nobis afferés optatissimú nunciú, atq; in placationis signú præbés osculú pacis. Ad hęc inclinauit caput vers⁹ terrá, declinádo à glorioso illo crucis titulo, ostédens se gloriá oém & honoré floccipendere, totáq; vitá suá in abiecta & humili se velle claudere paupertate, nec quicquá sibi múdi hui⁹ pati adherescere: hác nobis in ipso vitę suę termino tradés institutionem, vt vbi honore aliquo aut laude afficimur ab hoíbus, ad terrá nos submittere debeam⁹, nihilifaciédo nosipsos, atq; ita intra nos cogitando: Quid supbis terra & cinis? Sic igit vita in cruce occubuit, vt nobis de ligno crucis vitę fructú porrigeret. Sic sic excellentissimú hoc preciú ꝓ nobis fusum est, & abolita sunt debita nr̃a. Et qa optima si de patris legationé gesserat, expedieratq;, ad eundé reuersus est, in manus illius suú cómendans spiritú: ac si diceret: In me dulcissime pater cúctorú debita mortaliú reiecisti: & ipse tuo ꝓ honore libens ea in me recepi. Factus sum velut exul à regno meo, véditus in exteris regionibus. Captus pterea súm & despectus, plagis, vulneríb⁹ & morte deniq; turpissima affectus. Passus sum, irá tuá ex me vltioné capere, vt meis placatus cruciamétis, pœnis & doloríb⁹, hoíem recipias in gratiá tuá. Satis feci amoris postulationi & iustitiæ, necnon misericordiæ supplicationé executus sum. Meipsum totú exposui ac obtuli;

obtuli:tibi meã voluntatẽ, Iudæis corp⁹, peccatoribus sanguinẽ, carnificibus vestes, discipulo amãtissimã matrẽ:nec iam quicquã habeo reliquũ nisi afflictũ, oppressum, atq; anxiũ spiritũ meũ. Sub cęlo quidem locus nullus est, qui me dignus sit, præter cor pijssimæ & mœstissimæ matris meæ : sed & ipsa tot angoribus atq; pressuris obruta est, vt plùs capere nõ possit:& certè afflictus spiritus meus, plùs ei molestię & grauaminis quàm solatij afferret. Itaq; ad tè cõfugio, quãdo dolorẽ & mœstitiam meam solus diuinæ cõsolationis tuæ torrẽs absorbere potest: & anxiũ hũc spiritũ meũ in tuas cõmendo manus. Irã tuam satis superq;, pater benignissime, in me declarasti, & grauiter sudare ac laborare me fecisti in alieno opere: debiti, quod ipse non confeceram, à me solutionem exegisti, & in grauissimis cruciatibus meis me solum reliquisti. Iam tandem castigato vnico filio tuo, sis, quæso, misericordiæ memor: aperi mihi paterna viscera tua, & accipe spiritum meum.

Velum templi scissum est. Cap. LII.



Inc porrò velum tẽpli scissum est, terra tremuit, saxa diruta, sol est obscuratus. Facta sunt hæc mira atq; portenta, vt cælum & terra Iudæorũ arguerẽt incredulitatẽ, pariterq; infideles oẽs, tamq; euidentibus signis Christũ crucifixũ, suũ Deum ac Dñm testarentur. Ad terribilẽ nanq; sui conditoris vocẽ contremuerunt ingemueruntq; creaturæ oẽs, optãtes & ipsæ pariter occũbere cũ creatore suo, tanquã tęde

ret eas vltrà tã rebellib⁹ & ingratis hoĩbus famulari, & paratę essent decertare ꝓ opifice suo, illi⁹q;

Iniurias vindicare. Atq; in huius indignatiõis argumentum, ſol mutauit colorẽ ſuum, terra cõtremuit, atq; irrationales creaturæ, tanquã vindictæ appetẽtes, omẽs ob ſuũ cõmotę ſunt conditorẽ. Vide hic quãta eſt illius potentia, virtus & maieſtas, qui dudũ tam impotens, imbecillis & abiect⁹ videbat̃. Exhibuit ſignum in cęlo, ſignificans ſe verũ cæli dñm. Præſtitit ſignũ & in terra, edicẽs atq; denũcians hanc ſuã eſſe creaturã, ſibiq; ſubditã & obtemperantẽ. Oſtendit etiã ſignum in templo, demõſtrans ſe ſupra legẽ, ſupra cæremonias & cuncta eſſe ſacrificia, penesq; ſe authoritatẽ eſſe legẽ abrogandi, ſicut erat & ſtatuẽdi poteſtas. Ideoq; ſcidit velum, vt nuda pateſceret veritas, quæ ſub literæ velamine atque integumẽtis latuerat: ſimulq; re ipſa declararet myſteria, figuras, vaticinia cũcta impleta atq; detecta, quãdo ipſe veritas æterna, ob quẽ ſcripta erant oĩa, ſeipſum in cruce toti reddidit orbi manifeſtum. Quin & ſancta ſanctorũ ſciſſo velo detexit, oſtendens oĩe illud ſacrificiorũ genus, quod pecorũ ſanguine celebrabat̃, antiquatũ & abolitũ eſſe, nec quicquam habere ſanctitatis. Chriſtus nanq; ſummus ſacerdos per propriũ ſanguinem introiuit in ſancta iam detecta, atq; ſeipſum extra oppidũ in crucis altari ꝓ oĩi plebe prop[illegible] obtulit, factus cõmune quoddã & perenne ſacrificiũ patri ſuo pro hominibus vniuerſis, ipſum petẽtibu[illegible]anti-busq;. Nũc igit̃ cõpatiamur, obſecro, De[illegible]creatoriq; noſtro: aut certè ſaxa duriſsima & [illegible] ipſa nos condẽnabunt, ꝙ ipſa cõpaſſa fuerint ſuo conditori. Deuotis agedũ lachrymis ac pijs gemitibus nr̃a tundamus pectora, dicẽdo: O quid fecimus? quid egim⁹? Hic verus erat filius Dei, quẽ ꝓ peccatis nr̃is crucifiximus. Ipſam noſtrarũ iniquitatũ magnitudinem, perſonę of-

fenſæ

fensę potẽtia & dignitate metiamur. Nõ eñ patriarchã, non prophetã, nõ vulgarẽ aliquẽ regẽ Iſraeliticæ plebis contẽpſimus: ſed IESVM Chriſtũ filiũ DEI, regẽ regum, denuò crucifiximus, illius fudimus cruorẽ, & noſtrorũ graui pondere peccatorũ ceu vuam expreſſimus. Omni eapropter cũ mœrore, deuotione, cõpaſſione illiús celebremus exequias, qui noſtras ob culpas occiſus eſt, quemq́; ipſi nos occidiſſe fatemur. Si fieri poteſt, ploremus membris omnibus, quãdoquidem inſenſiles eò nos prouocãt creaturæ. O quis capere ſufficiat, quãto cum dolore & tormento nexus ille diſſolutus ſit, quem Spitus ſanctus cõpegerat, quo p̃clara illa aĩa cum venerãdo Chriſti corpore ceu amans cũ amante per amorẽ colligata erat. Quis ſatìs admirari poſſit obſcurã illam luci-diſſimorũ Chriſti luminũ eclipſim, quæ ſuo aſpectu terram illuſtrabant, ſuisq́; radijs ceu gemina quædã micantia ſidera firmamenti mundum illuminabant: iam verò p atrũ mortis mediũ ꝓrſus obſcurati ſunt. Certè mirũ non erat, tenebras vniuerſam terræ faciem occupaſſe, quando ſol iuſtitiæ ablatus erat è terra, ſuosq́; cõpreſſerat oculos. O admirabile organũ, ò cithara delectabilis, ò ſuauiſſima buccina, viuà vox Chriſti IESV, cuius dulciſſima melodia exhilarauit patrẽ, & angelos gaudio affecit immenſo: cuius beatiſſimus ſonus viuos docuit, excitauit mortuos, curauit ægrotos, refecit eſurientes, fugauit dæmones, torpidos ac ſomniculoſos excitat & alacres reddit: quis, quęſo, noxium hoc tibi indixit ſilentium, vt nos mellifluis tuis deſtituti verbis, & voce ſuauiſſima ac iucundiſſima priuati, in mortis iam ſomnum miſerabiliter prolapſi ſimus? O glorioſum Chriſti pectus, ò diuinũ tricliniũ, ò arca cæleſtis: in quo ſunt oẽs theſauri ſapientiæ & ſciẽtiæ abſcõditi, & oẽs virtutum

atq; charismatũ diuitiæ cõtinent,quod inspiras in faciem creaturarũ vitæ spiritũ, quis te vita priuauit. O manus benedictæ, summi artificis organa, quæ solo contactu morbos oẽs depulistis, quibus data est mũdo benedictio, quis vos tã inhumaniter cruci affigere ausus fuit, oblitus salutis illius magnæ, quæ per vos facta est? O IESV Christe, agne mãsuetissime, vnde hęc tibi tã horrida in manibus tuis vulnera? Respõdet per Prophetã, His cõfectus sum in domo eorũ qui diligebãt me, id est, qui me iure meritoq; diligere debebãt, aut qui me diligere videbãtur. O sacri pedes dñi IESV, columnæ templi diuini, in iustitię basibus fundatæ, politissimè decoratæ capitellis charitatis, qui nunquã à veritatis itinere deuiastis: sed omnibus supremæ perfectiõis viam ꝓcedendo demõstrastis, cunctisq; æterna pro institutiõe geminæ reliquistis vestigia dilectiõis, quis vos tam rigidos, tam inflexibiles reddidit? quis vulnerare vos nihil verit⁹ est, apud quos feruentissima illa amatrix beata Magdalena tam vberẽ est adepta gratiã, sub quib⁹ mare stetit, & consolidatũ ꝓbuit iter calcãtib⁹? Elemẽta ipsa reuerẽtiam vobis, vt dignũ erat, impẽderũt, & fæui hoĩes vos suffixere in cruce. O gloriosissimũ corp⁹ Chři IESV, preciosum Dei ciboriũ, quo sacratissimæ semperq; venerãdæ Trinitatis tẽplum mirificè sacrat, vtpote per Sãctispiritus mysteriũ de excellẽtissima purissimæ ꝓstantissimæq; virginis matris natura fabricato, virtutum oĩm ornato decore, quis te ita miserãdum in modũ destruxit, ꝓstrauit, & ad terrã vsq; humiliauit? O spurcissima Iudæorũ synagoga, quæ toties ab amicabilib⁹ legitimi mariti tui Dei Opt. Max. amplexibus turpiter ac impudenter te subduxisti, & à viris alienis fallacium idolorum es pol-

luta, etiam hunc pulcherrimum Ioseph oculis lubricis aspexisti, & vt purum hominem complecti & tractare voluisti, non credens eum DEI filium. Sed Ioseph hic incontaminatus & innocens, pestiferæ voci tuæ neutiquam morem gessit, nec fallacibus dictis tuis fidē commodauit, neque ad te de cruce descendit: sed in inuiolatæ argumentum innocentię suæ, discissum pallium suum reliquit in manibus tuis, nudusque extra sordidum synagogæ vestræ cubiculum profugit ad patrem, malens pallij, id est, corporis sui iacturam facere, quàm animam suam commaculare. O Hierusalem & Israelitæ omnes, qui per fidei lumen ad DEI cognitionem pertigistis, & insuper Dominum ac regem vestrum iniquis operibus crucifixistis, fundite lachrymas, plorate ac ingemiscite: quandoquidem quæ prius pacis erat locus, nunc est vallis malitiæ, & campus certaminis ac dissensionis: quæ antè ciuitas sancta erat, nunc est deterrima spelunca latronum: qui quondam electus eratis populus, nunc abiecti estis & execrabiles, ac homicidæ coram DEO. En sanguis innoxius fratris vestri, quem in vos recepistis, ac tyrannica crudelitate fudistis, dat altos è terra clamores ad patrem cęlestem aduersum vos. Aspergite cinere capita vestra, lugubrem sumite habitum: quando in vobis occisus est plebis Israeliticæ Seruator: deficiant ac tabescant præ lachrymis oculi vestri: quoniamquidem summi regis filium vnicum repulistis. Respice nunc homo faciem Chr̄i dn̄i tui, quam angeli ineffabili cum delectatione cōtemplantur, prorsus deformem, squalore palloreq; obsitam, nec speciem vllam præferentem. Versa iam huc atq; illuc sacrū Christi corpus, ab ipso summo capitis vertice vsq; ad imam

pedis

pedis plantá nõ inuenies nisi vulnera & sanguinem: simulq; deformẽ hanc tui redẽptoris speciẽ imprime cor di tuo: sit hæc miseranda facies tuos semper ob oculos, adeoq; tuis hæc fixa hæreat sensibus cogitatibusque, vt vanorum omnium penitus obliuiscaris.

Iesus lancea confoditur. Cap. LIII.


Ost hæc ob instantẽ Paschalẽ solennitatem, qua indecẽs erat, extincta corpora manere in cruce, petierũt Iudæi à Pilato, vt crucifixorũ crura frãgerẽtur ac tollerent: obtẽtaq; licẽtia, primò latronũ crura fregerunt. Ad IESVM aũt cum venissent, vt viderũt eum iam mortuũ, nõ fregerũt eius crura: sed vnus militũ, Longin⁹ nomine, lãcea latus eius dextrum aperuit, & cõtinuò exiuit sanguis & aqua. O dirã inclementiã Iudæorũ, ò cruentã eandemq; inexplebilẽ sitim, quæ tãto fuso sanguine necdũ restincta est. Quæ in viuum adhuc corp⁹ illius tormẽta plusquã tyrãnica congessistis, qui nõ pepercistis extincto iam cadaueri? Fecerunt hoc Iudæi ex fallacia & nequitia singulari. Nouerant eñ, ꝙ dedecus illatum defuncto, tanquã adhuc viuenti factũ habeatur: & persuadere hoc ipso volebant oñibus, tantũ esse scelus ac facinus seruatoris, ꝙ in viuo corpore dignè castigari nequiuerit, itaq; necesse fuerit in corpus extinctũ cruciãdo desæuire. Ad hæc Pontificũ captabãt gratiã, quibus certa mortis eius iudicia referre cupiebãt. Cæterũ quãuis nihil hinc corpus dominicũ doloris persenserit, quippè quod emortuũ atq; insensile erat, alia tñ ratione quadã hinc dñs afflict⁹ est: vtì adhuc quotidie patitur & crucifigitur à multis, qui per

per sacra eius iurãt vulnera & passionẽ, grauibusq; sceleribus suis maiori cũ iniuria & côuicijs afficiũt, quàm qui cũ corporaliter crucifixerunt. Multò nâq; grauiùs accipit contẽptum diuinæ maiestati suæ, quà vnũ est cũ patre ac Spiritusancto, irrogatũ: quàm externos illos cruciatus, corpori eius tẽpore passiõis illatos. At quis cogitãdo cõsequi possit, quàm dirè lancea hæc deuotissimã pię mr̃is MARIAE animã cõfixerit ac sauciârit: cuius vtiq; aĩa & cor in dilecti filij, qui erat totus amor & thesaurus illius, corpore demorabãtur? Si enim Augustinò credimꝰ, magis est anima vbi amat, quàm vbi animat. Dicit hoc etiã D. Bernardus: Reuerà mater dulcissima doloris gladius scidit animã tuã, qñ lãcea crudelis filij tui cõfixit latus. Nõ em̃ sua illic, sed tua potiùs anima erat. Itaq; p̃cipua es mártyrũ oĩm: qñquidẽ immẽsus internꝰ dolor tuus, externa martyrũ vicit cruciamẽta. Est huiꝰ figura quædã in Saul., qui electꝰ priùs à Deo, sed posteà ꝓ suis sceleribꝰ repudiatus est, qui nobis Iudaicũ populum designat. Hic Dauid lãcea cõfodere voluit: sed Dauid, per quẽ Christi animã accipimus, fugit per exitum mortis: & lancea perlata est in parietẽ, id est, latus corporis Christi, quod vasto affecit vulnere. Itidem & dè Absalone legimus pẽ[illegible]ntẽ eũ ex arbore, tribꝰ lãceis essè cõfixum. Qui & ipse Chr̃m nobis referre potest, p̃ filijs hominũ forma speciosum. Nã & hic tribus lãceis confossus est. Prima fuit dolor ingẽs ob externã suam afflictionẽ. Secunda mœror immẽsus, quẽ ex cõpassiòne erga pijssimã matrẽ suã conceperat. Tertia, crux internã ob nimiã ingratitudinẽ nostrã, quodq; prẹuideret acerbissimã passionẽ immensosq; labores & cruciamẽta suã in bona hominũ parte nullũ habitura effectũ. O quãtos (proh dolor) hodieq; reperire est, qui instar Iudæorum

Domi-

Dominũ perſequantur,& crucifixũ inſuper dirè vulnerent. Faciunt hoc, qui poſteaquã ſemel mortiferis Dominum peccatis crucifixere,atque inſuper ſigna experti ſunt,poſtquã terra ipſorũ ad vocẽ & inſpirationẽ DEI contremuit,& ſaxeum pectus emollitũ eſt,necnõ ſpurciſſimũ conſciẽtiæ ipſorũ ſepulchrũ apertum eſt,oſſaq; putẽtia per contritionẽ & confeſſionẽ indè eiecta ſunt: poſt vermes corrodentes per abſolutionẽ remiſſionẽq; profligatos,poſt cæleſtis gratiæ pceptã illuſtrationem: quãdo ſua tundẽtes pectora,dixerũt: Quid fecimus? reuerà hic erat filius DEI,quẽ nos crucifiximus,denuò Chriſtũ vulnerãt & ludibrijs probriſq; indignis pſequũtur. An verò nõ hoc irridere eſt,confiteri illius potẽtiam & maieſtatẽ,& tam leuiter,tã potẽtis ac ſublimis dñi iuſſa ſpernere,atq; illius reſiſtere voluntati? Porrò notabiliter de hac lancea Euãgeliſta ait, non quod Chriſtum vulnerãrit,ſed quòd latus eius aperuerit,ſignificans vitæ nobis oſtium patefactum. Sacri nanq; lateris Chriſti vulnus, porta eſt ſacramentorum,ſine quibus nulli noſtrum patet acceſſus ad beatã vitã. Vnde etiam addit Euãgeliſta, Et continuò exiuit ſanguis & aqua. Facilè autem hinc animaduertere licet, tametſi natura CHRISTI mortalis fuerit,in quibuſdam tamen cæt[illegible]s admodum diſſimilem fuiſſe. In alijs nanque,vbi animam ſuderint,ſanguis coaleſcit: at ex CHRISTI latere non ſine miraculo ceu ex fonte viuo,re vera ſanguis & aqua manauit, indicãs viuum eum fontem eſſe,vnde omnium noſtrũ vita profluxit, de quo legitur apud Zachariam: In die illa erit fons patens domui Dauid,& habitantibus Hieruſalem in ablutionem peccatoris & menſtruatæ. Idque nobis ſanguis & aqua de CHRISTI latere manantia, ſignificãrunt. Sanguine nanque, qui eſt precium redemptionis no-

nostræ,abluimur à peccatis:& aqua,quæ est figura baptismi nostri, ab vniuersis originalis peccati maculis expurgamur: quemadmodũ per Ezechielem Dominus ait:Effundã super vos aquã mũdam,& mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Est etiã apertum Christi latus haud procul à corde,vt nobis accessum aditũq; ad cor suum patefaceret. Vnde Augustinus ait:Aspice ostium in arcæ latere,per quod ingrediuntur creaturæ omnes,quæ à diluuio seruantur. Contuere originẽ tuam,patrẽ tuum,qui te regenerauit ad vitam. Sicut enim ex Adæ dormientis formata est Eua mater nostra,ita ex latere Christi in cruce morientis Ecclesia sumpsit exordium. Denique apertum est Christi latus, & continuò indè sacramenta fluxere. Patet hinc amor erga nos Christi incompræhẽsibilis:dum se totum pro nobis impendit:nihil abscondit in corde suo, quin totum nobis contulerit. Quid vltrà nobis facere potuit atque fecit? Ipsum nobis cor suũ tanquã secretissimũ cubiculũ suũ reserauit, vt nos in illud ceu electã spõsãm suã introducat. Sunt nãq; deliciæ eius esse nobiscũ, & in silẽti tranquillitate,ac tranquillo silentio apud nos quiescere. Dedit,inquã,nobis cor suum dirè vulneratũ,vt in eo commoremur,donec penitus expurgati & mũdi suoq; cordi conformes,idonei ac digni simus vnà cum ipso in patris æterni cor diuinum abduci. Dat planè nobis cor suum, vt sit nostra habitatio: vicissimque repetit nostrum,vt sit suũ habitaculũ. Præbet,inquam,nobis cor suum ceu lectulum purpurei sanguinis sui rubentibus ornatum rosis:reposcitque cor nostrum, lectulum sibi candidis mundorum operum lilijs decoratũ. Quis illi negare ausit,quod tam profusa nobis liberalitate contulit? Ecce inuitat nos in melliflua vulnera, atque ama-


ſimas,ita vt nō aquā modò, verū etiam ſcriptura teſte, oleū ex hoc ſaxo duriſsimo ſugere liceat. Hinc propheta Hieremias ait: Relinquite ciuitates,id eſt, populares ſtrepitus ac perturbationes,&habitate in petra habitatores Moab:& eſtote quaſi colūba, nidificās in ſummo ore foraminis,id eſt,patulo latere Chriſti. Hic eſt lapis, quem Iacob patriarcha erexit in titulū, fuditq́; oleum deſuper,in ſignum abūdantis miſericordiæ ac pietatis. Quid nobis hac in petra deeſſe queat? Nimirū à cunctis hoſtibus noſtris tuti hîc ſumus atq; ſecuri: ſerpens antiquus & tortuoſus ille coluber huc accedere non valet.Sublati hîc ſumus à terra,& in via cæli poſiti:tentet mundus,mineť hoſtis,querať caro: nō eſt certè ꝙ formidemus,quādo ſupra petrā fundati ſumus. Nuſquā tam ſecuri ſumus,vt in vulneribus ſeruatoris.Ego verò(D. Bernardus ait,mutuatus quædā ex Auguſtino)fidenter quod ex me deeſt, vſurpo mihi ex viſceribus Dñi,quoniam miſericordia affluūt: nec deſunt foramina, per quæ effluant: Foderunt manus & pedes, latusq́; lancea perforauerunt: & per has rimas licet mihi ſugere mel de petra,oleumq́; de ſaxo duriſsimo: id eſt,guſtare & videre, qm̄ ſuauis eſt Dñs.Cogitabat cogitationes pacis,& ego neſciebam. At clauis reſerās, clauus penetrās factus eſt mihi, vt videā voluntatē Dñi. Quidni videam per foramen? Clamat clauus, clamat vulnus, ꝙ verè Deus ſit in Chriſto mundū reconcilians ſibi.Ferrū pertranſijt animam eius:appropinquauit cor illius,vt nō iam nō ſciat cōpati infirmitatibus meis. Patet arcanū cordis per foramina corporis: patet magnū illud pietatis ſacramentū:patēt viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto. Quidni viſcera per vulnera pateāt? In quo em̄ clarius,quàm in vulneribus tuis eluxiſſet,

xiſſet, quòd tu Dñe ſuauis & mitis & multæ miſericordiæ? Auguſtinus quoq;: Lóginus, inquit, aperuit mihi latus Chriſti lancea, & ego intraui. Hîc fidenter habito, hîc me iucundè reficio, hîc quieſco ſuauiter, hîc paſcor delectabiliter. At quis tunc mœror, quis dolor inuaſit venerandá Dei genitricẽ & virginẽ Mariã, cùm vnicũ ſolatiũ, & oẽ cordis ſui oblectamentũ mortuũ vidit in cruce pẽdere? O quàm vox illa horribilis pijſsimũ illius cor penetrauit, quãdo dilectiſsimus idemq; vnigenitus filius eius voce magna clamãs, ſuũ efflabat ſpũm? Vt tũc anima illius præ flagrãtiſsimo amoris Chriſti igne inſtar ceræ liquefacta eſt, & vt cera itidẽ ſigilli, defuncti videlicet & crucifixi filij ſui miſerandã in ſe imaginẽ recepit? Sũt nãq; pfecti amoris tres cõditiones ſiue effectus vel opera. Primũ opus eſt, quòd amãtẽ fortiter rapit extra ſeipſum. Etẽ fortis eſt, vt mors, dilectio: & ſicut mors violenter aĩam auellit à corpore, ita pfectus amor hoĩem prorſus à ſeipſo abſtrahit, adeò vt totus in ſe deficiat. Alterũ amoris opus eſt, quòd attrahit, ſiue intrò trahit. Vt eñ primò amantẽ extra ſeſe abſtrahit, ita ſecundò eum iungit & vnit dilecto, trahitq; eum ad dilectũ ſeu in dilectum: quẽadmodum Dñs animæ amanti dicit: Perpetua charitate dilexi te, ideo attraxi te miſerans. Idq; tam verè facit charitas, vt amans non ſit vbi ſtat vel ambulat, ſed vbi amat. Vbi nãq; eſt theſaurus noſter, ibi eſt & cor noſtrum. Et Auguſtinus dicit: Talis eſt quiſq;, quale id quod amat. Qui terrena diligũt, vermes ſunt & non homines. Qui voluptates carnis amant, beſtiæ ſunt rationis expertes. Qui cæleſtia diligũt, angeli ſunt: quia conuerſatio eorũ in cœlis eſt. Qui Deũ perfecto cõplectuntur amore, Deus fiũt, ſicut Dauid ait: Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi oẽs. Quod eñ Deus eſt per naturam, id

ipsi efficiũtur per gratiam & amorem transformátem. Enimuerò tertium amoris opus est, ipsa trãsformatio: quod & præcipuum ac maximè propriũ illius opus est, vt amantem conformem ac similem reddat dilecto: vti ignis ferrum omnemq; materiam, in quam agere potest, in se trãsmutat. Vnde etiam Deus, qui amor est increatus, ex immenso largifluoque amore hominem fecit ad imaginem & similitudinem suam: rursumq; eodem impellente amore celsissima illa ac amore flagrantissima diuinitas, adeò se deiecit & humiliauit, vt formam & similitudinem induerit hominis, quem tantoperè amabat. Sic & beatissima virgo Maria Iesum dilectũ filium suum, vt talem decebat matrẽ, prorsus medullitus dilexit, vicitq; omes amando: eapropter vi amoris & efficacia tota extra se abstracta, & in Christum dilectũ suum rapta fuit, adeoq; ab eo transformata, vt omnino illi simillima fuerit. Tota nanque instar mollis ceræ in extinctam atque crucifixam illam filij sui imaginem impressa est, eiq; assimilata, cum eodẽ pariter vnigenito suo crucifixa, sauciata, occisa, & omni ex parte dirè cruciata, ita vt iam non in seipsa, sed in Christo dilecto suo viueret, & ille vicissim in ea. Etenim si virtus amoris Christi adeò Paulum absorbuit, vt diceret, Viuo autem iam nõ ego, viuit verò in me Christus. Itemq;, Christo confixus sum cruci, & stigmata Iesu porto in corpore meo: quanto magìs id beatissimæ virgini euenisse credẽdum est, cuius vtiq; amor mortalium omnium sic vicit amorem, vt riuulum aliquem vastissimum mare? Quis igitur acerrimos illos capiat dolores & cruciatus, quos mater mœstissima sensit, quum lancea CHRISTI venerandum latus horrido conficeret vulnere? Planè hic est gladius doloris, de quo Simeõ ille iustus olim fue

rat vaticinatus. O beatos illos, qui huius sunt vulneris participes: quorum corda beata amoris Chri lancea sic configit, vt deinceps peréni ferueant charitatis ardore.

Iesus de cruce deponitur. Cap. LIIII.



Ideamus nūc quàm tristes exequias, quamq; lugubres cęremonias virgo intemerata cęteriq; seruatoris amici ad defunctū Christi corpus celebrârūt. O quāto cū desiderio ac deuotione virgo pijssima Christi filij sui crucē amplexa est, sanguinē illū & aquā ex illius latere manantia reuerēter excipiens. O quoties sua ad eū extēdit brachia, cupiēs etiā exterioribus mēbris suis eū excipere & cōplecti, vtì eū iā animo suo impresserat insculpseratq;. O quāta cū deuotione, quamq; amāter Christi corpus emortuū, iam depositū à cruce, maternis suis est amplexa brachijs, suoq; appressit pectori? Tum verò quàm oīa illius viscera noua sunt cōpassione cōcussa? Vt anima eius, ceu cera igni admota, amore est liquefacta, ipsaq; tota soluta in lachrymas? O quàm tota illius pruit in faciē ita deformem ac mirè deturpatā, insatiabiliter eam exosculans, & calidis suis lachrymis nō lauans modò, sed etiam vbertim irrigans? Sed & feruentissima Christi amatrix Magdalena, quàm deuotè ad pedes illius corruit, apud quos tantam olim erat gratiam cōsecuta, denuoq; eos lachrymis suis abluit, sacrisq; vulneribus affigens oscula, eandem defuncto quam adhuc superstiti illius corpori humanitatem exhibens & amorem? Quàm deniq; omnes Christi amicos qui illic aderant, vehemens occupauit compassio, & ingens accendit ardor amoris, haud secùs quàm feruentis-

uentissimus ignis propè astantes. O quàm tristes erupere in lachrymas per Christi corpus ex illorum oculis vbertim manantes. Quos gemitus, quæ suspiria ediderè in cælum. Quàm tristia funeri illi iusta exoluerunt. Nullum illic audire cantum erat, sed gemitus tantùm & lachrymas atq; lamenta. O quàm veneranda illa parens, per singula quæq; membra ac vulnera discurrens, eadem scrutata & osculata est, plorans super singula, & lachrymis ea lauans: quin & singula quæq; cordi suo inscribens, doloresq́; membrorum singulorum expendēs ac trutinans secum in corde suo, & ad singula dans gemitus incompræhensibiles: simulq́; pro voto animi sui de sanguine ac medullis cordis sui vnguētum in ardenti suo amore conficiens, eodemq́; cuncta illius vulnera plagasq́; perungens. O quàm tūc feruentes lachrymulæ per dulcissimam illius piæ matris faciem ceu riuuli amœnissimi decurrerunt, alię alias anteuertere & quasi certatim Christi corpus contingere gestientes. Immo, vt B. ait Augustinus, quis illic angelorum sibi temperare potuit à lachrymis, cùm regem & DOMINUM suum tam fœda ac turpi morte absumptum videret? cùm contra naturam naturæ conditorem, Deum immortalem in humana natura mortem oppetijsse conspiceret? Vt luminosa illa Cherubin ac ardentia Seraphin ad ineffabilem hanc obstupuere charitatem, quum vitam ex amore occubuisse cernerent, vt mortui redirent ad vitam? Enimuerò sacratissimum Christi corpus tam inhumaniter cōscissum, dilaniatum, extinctū, pijssimamq́; virginem matrem tam anxiè illud amplectētem, illiusq́; cruore tinctam, atque adeò miserandum in modum lachrymas vbertim fundentem, vt sibi temperare non posset, beati illi cælestesq́; spiritus coràm intuebantur.

Quid verò D. Ioánes? quàm putam⁹ mœstissimæ matri suæ se lachrymando ac mœrẽdo cõformauit, sociumq; fidissimũ adhibuit? quàm piè, quàm suauiter eã consolãs hortabat, vt modũ poneret parũper tãtis lachrymis, tã imměso dolori? O quàm & ipse se vehemẽtissimo spiritus cũ angore & pressura ad sacrũ Christi pectus prouoluit, in quo dudũ tã suauiter requieuerat, piarum refundẽs vndã lachrymarũ in fontẽ illũ, vnde aquã sapientiæ salutaris potârat. Dehinc Ioseph, Ioãnes, & cæteri amici Iesu beatã virginẽ obnixè rogabant, vt corpus Dñi pmitteret ad sepeliendũ cõponi ac pręparari: quandoquidẽ sol tẽdebat ad occasum. Tũ verò pia mater voce lamentabili respondit: Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei: nec tam citò me auellatis à dilecto filio meo: ne mihi, quęso, tam celeriter auferre velitis, quem meis gestaui visceribus: finite me vel mortuo frui, quem viuum habere non potui. Liceat mihi, obsecro, extincto illius corpori amorem impendere ac beneuolentiam, quam in passione minimè dabatur. Irrigem nunc lachrymis meis, cui in acerrima licet siti illius nec aquæ guttam porrigere sinebar. Exatiem interim animum meum flendo, gemendo, quæ non potui dulcissima illius præsentia refoueri. Nolite, obsecro, nolite matrẽ auellere à filio suo: ne mihi tam citò subtrahere velitis, quem tam diu desideraui, aut certè vnà cum amantissimo nato meo me sepelite. Itaq; nõ parua eos angustia tenebat. Dies nanq; ad occasum decliuior, corpus eos sepulturæ tradere vrgebat: & nihilo minùs matris mœstissimę acerbissimos dolores, vt dignũ erat, vehementer miserabantur. Neq; enim iam minùs afflictam nouis doloribus obruere volebant. Quamobrem dabant interim amori eius operandi locum, flagrantissimamq;

ſimamq́; ſitim ſuam eam pauliſper explere patiebantur. Hinc porrò S. Ioãnes ſuauibus eam ac prudentibus deliniuit verbis, rogans vt filium ſuũ ſepeliri permitteret: & ipſa non vtiq; ſine dolore cõſenſit. Atqui ò quàm deuotè, quàm afflictè ſui proſequebat̃ filij lamentabile funus, illius ſacrũ tenẽdo caput, oculis fixis in faciẽ eius, cãdemq́; innumeris deoſculãdo vicibus, ſuisq́; lachrymis irrigãdo. Vnde, quæſo, mœſtiſsima parẽs oẽs illas, quas hodie fudit, habere lachrymas potuit? Quî pijſsimũ cor illius intolerabilẽ hãc anguſtiã & preſſurã ferre quiuit? Nimirũ fecit hoc amor ardẽtiſsimus, ipſa quoq; morte fortior. O quali cũ dolore ac gemitu tã charum, tã precioſum reliquit theſaurũ. Quàm verò amãter illius eſt amplexa ſepulchrum, tanquã ſi nõ quidẽ lingua, (Quî eñ potuiſſet tãtis cordis correpta angorib⁹?) ſed mẽte diceret: O ſacrũ monumentum: O felix tumba, O ſaxũ precioſum, ò præclarum margaritũ, ò admirabile ciboriũ, quàm inſignẽ theſaurũ, quàm excellẽs brauiũ, quàm immenſum cõplecteris Dñm. O vas electũ, ò felix creatura, quæ digna es tuũ excipere conditorẽ, hoſpitióq́; recipere regẽ glorię: pone iã natiuũ rigorẽ & aſperitatẽ tuã, ac miteſce, vt teneros dilecti filij tui artus reuerẽter cõplectaris. O arca glorioſa, ò excellẽs Dei templũ, prę creaturis oĩbus mihi ſimilimũ. Vt eñ ipſa à Deo electa ſum, quæ in caſtis viſceribus meis eius filium geſtarem, ita & te elegit, vt venerandũ Chriſti corpus excipias, glorioſum beatiſsimę Trinitatis organũ, quo Deus tam mirificè operatus eſt, inæſtimabilẽ mũdi theſaurũ, bonumq́; pręcipuum, cęlũ terramq́; ſua vincẽs pręſtãtia ac dignitate. Et quó tu nouũ es, nec vllius adhuc corporis contactu fœdatum: ita & ipſa à creaturarum omniũ attactu mũda ſum & immunis. Sicuti ex te clau-

ſo, ſeruator orbis ſurget rediuiuus, ita ex meo cóclufo vtero mundi ſalus ꝓceſsit. Ac demũ vtì tu ſaxũ es ſolidũ ac immobile, ita & ego incómutabilis ac inuicta in fide omniq; virtute permãſi. Habet etiam dominicũ hoc monumentum formã quandam & effigiẽ ſpiritalis illius monumẽti, quod virgo beata amantiſsimo filio ſuo, ſuo in corde parârat. Vt eñ ſepulchrũ hoc ferris acutis exciſum atq; politũ eſt, ita glorioſa virgo acutiſsimo doloris gladio in intimis animę ſuæ locũ accómodum excidi permiſit, monumentũ vtiq; tã afflicto & excruciato corpori congruũ valde, quũ diligat Dñs cor humile & contritum ſiue anguſtijs oppreſſum. Et ſicuti in hoc ſepulchro nondũ quiſquam poſitus fuerat, ita virginis matris cor deuotiſsimum nullus vnquam peregrinus creaturarum amor vel affectus ſaltem tenuiſsimè contaminârat. Ipſa nanque porta illa clauſa eſt, nulli vnquã patefacta, per quã ſolus princeps & rex Iſrael ꝓceſſit. Erat pręterea monumentum hoc in horto: quandoquidem virgo intemerata hortus concluſus eſt dilecti, diſcretionis ſeu prudentiæ ſepe cinctus, vtpote quæ tanto fuit lumine ac diſcretione perfuſa, vt nullum vnquam malum ne ſub virtutis quidem tegmine in eiꝰ potuerit hortum obrepere: nec vel tantilla hortus eius pa tebat ex parte, qua ſerpens ille liuidus ac impurus oculos vel ſemel inferre potuiſſet: qui tamen paradiſi gloriam non ingredi modò, ſed etiam conſpurcare auſus fuerat. Quin & fœcundus adeoq; omnigenis virtutum herbis conſitus fuit, vt nullus in eo vacaret locus, vbi quoduis lotium emergere quiuiſſet. Ad ſingularẽ nanq; almæ virginis huius gloriam, creuit in ea flos campi & lilium conuallium, flos excellens ac aromaticus Ieſſe, in quo requieuit ſpiritus ſanctus, & roſa Ierìcho amœniſsima:

nissima: adeoque in signum euidens diuinę ac singularis benedictiōis eius pullulauit ex ea vinea beatissima, cuius palmites ad superna feruntur, cuius odor virus omne & omnes pellit serpentes: cuius vinum cor lætificat & accendit, ac iuxta Prophetam, virgines germinat. Habuit etiam sanctissima mater puram sindonē, id est, simplicis obedientiæ, innocentiæ ac intergerrimæ vestem virginitatis. Nec defuit ei aloe amarissimi doloris, ac myrrha afflictionis intolerabilis. Habuit denique preciosissimum balsamum, vnguenta speciesque virtutum omnium. Atque ita demũ Christum filium suum obuoluit, punxit, atq; in sacratissimo sui pectoris monumento sepeliuit. Iam verò etiã hoc mēte ruminemus, quanto cum mœrore afflicta mater à monumēto discesserit. Quàm hæc ei perpetua fuit cogitatio, quem amisisset, quàm inæstimabile pignus sub lapide cōndi siuisset. O q̃ miserandum in modum à sancto Ioanne cæterisq; amicis suis à sepulchro abducta fuit, quippe quæ tota penè exhausta atque absumpta erat. Reuerà quisquis huic ita affectæ, ita mœrenti, ita grauiter laborãti virgini ac matri, immo & dominę nostræ non compatitur, non est viuens gratiæ filius, sed abortiuũ, insensile ac mortuum, & indignus planè, qui lac gratiæ ex maternis eius sugat vberibus. Sed & nos quoque cum eadem virgine matre, vti iam dictũ est, Chrm IESVM nostris in cordibus sepeliamus, vt & resurgat in nobis, & nos per ipsum & in ipso ab vniuersis operibus mortuis resurgamus, vnaq; cum illo ad paternam vsque gloriam felicissimè conscendamus, ipso nos adiuuante, qui est benedictus in secula.

Amen.

Oratio deuotiſsima pro conformitate ſacratiſsima vitæ ac crucifixæ imaginis Ieſu Chriſti. Cap. LV.



Incópræhenſibilis vnitas, O adorãda Trinitas Deus, obſecro te per aſſumptã, eandemq́; crucifixam domĩ ni noſtri IESV Chriſti humanitatem, inclina abyſſum diuinitatis tuæ ad abyſſum vilitatis meę, omniq́; profligatą malitia mea, crea in me cor mundum, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. O IESV bone, per immenſum illũ amorem, qui te ex paterni cordis ſinu traxit in vterum virginis illibatæ, per humanæ naturæ aſſumptionem, in qua mihi ſeruiuiſti, meq́; ab ęterna morte liberaſti, trahe me extra meipſum in te Deum meum, recuperetq́ue mihi hęc charitas tua Deus gratiam tuam, & perficiat atq; augeat in me quicquid deficit mihi, collapſa erigat, deſtructa reſtauret, & me ſanctiſsimæ vitæ & amabili conuerſationi tuæ conformet, vniatq́; te in me, meq́; includat in te, atq; in tabulis carnalibus cordis mei, & cũctis moribus meis ſanctam omniq́; virtute cõſpicuam vitam ac morum tuorum exaret honeſtatem. Abſolue Deus meus ſpiritum meum à cunctis reb⁹ inferioribus, rege animam meam, & ſimul cum corpore meo ſancta ac iuſta opera operare. Per ſanctam natiuitatem tuam purifica me in nouam vitam. Per ſanctam cõuerſationem tuam in cunctis me perfice virtutibus. Per ſacram doctrinam tuam, illumi natis mentis meæ oculis, doce me compendiariam ſemitam veritatis. Per humilem pedum diſcipulorum tuo rum, immo & ipſius proditoris tui ablutionem, quicquid in me vitioſæ eſt propenſionis & pedes prauorum

affectuum meorum munda purificaque, & serua eos ne denuò sordibus inquinentur. Per cœnaculi præparationem, excellentissimi Sacramenti institutionẽ, in quo teipsum ex amore ineffabili æternum dedisti cibum atque potum, adapta ac instrue commodum tibi locum in meipso per teipsum, faciasq; intra me cœnaculum tuũ omnigenis illud virtutum aromatib⁹ floribusque exornans, vt idoneum sit te ad tete intra se recipere, idq; ex tuis dignissimis meritis ac præparatione gratuita atq; condigna: velisq; ipse & domus & paterfamiliàs, sacerdos & sacrificiũ, dator & susceptor esse, & me totũ immuta atq; consume ardentissimo amore tuo, transformaq; & vni me in dilectione tua, vt mihi ipsi moriar, tibi verò soli viuam: & sis hinc ipse laus tua coram sanctissimo patre tuo in cęlis & in terris: mihiq; præsta Iesu vita atque dulcedo mea, vt huic charitati tuæ nunquam ingratus inueniar. Per immensam humilitatem tuam, qua à proprio te discipulo vendi passus es, da mihi Deus meus, vt pro nulla vnquam re caduca, aut inanis gloriæ flatu verè inani te Deum meum vendam, omnemq; mei contemptum pro benedicti tui nominis honore pia mansuetudine ferre contendam, & vt meipsum tibi pro regno cælorum nunquam non venali, semper diuendã exhibeamque, ac me totum diuino quodam commercio tibi tradam: quandoquidem tu dicis: Præbe fili mi cor tuum mihi. Pro te ex amore vulneratus sum, præbe mihi cor tuum, & saluus ero: da mihi cor tuum, & me habeto præmiũ. Per intensissimam tuam tristitiã, pressurã atq; pauorem, deuotam orationẽ, humilem voluntatis tuæ resignationẽ, & sanguineũ sudorẽ, fac vt in omni aduersitate ac tentatiõe ad te semp recurrã, in te solo confidã, meipsum relinquã, et tibi me totũ offerã ac resignẽ.

Per

Per admirabilem illam charitatem tuam, qua te à Iuda nõ solũ prodi, sed etiã hostibus tuis tradi permisisti, largire mihi bone IESV, ne te vnquam vel in meipso vel in proximis meis tradam, neque hostibus meis amoris officia obsequiaque prestare recusem. Per amorem illum, quo à scelestis ac impijs hominibus capi ac ligari voluisti, absolue me à meorum nexibus peccatorũ, rursumq́; constringe me funiculis mandatorum consiliorumq́ue tuorum, atque vnione gratissimæ voluntatis tuæ: vt sic cũcta mei corporis mẽbra & vniuersæ aĩæ vires ꝑpetuò in diuinæ maiestatis tuę ꝑsentia perseuerẽt, ne vnquam ad lubricam carnis sectandam libertatem mea culpa laxentur. Per ardentissimam dilectionem tuam, qua mei causa opprobria multa & confusiones ferre voluisti & inhumaniter crudeliterq́ue tractari, miserere peccatricis ac reæ animæ meæ, ab omniq́ue eam exonera graui sarcina vitiorum, quibus heu diuinam imaginem tuam tam turpiter deformaui, sanctumq́ue nomen tuum in meipso iniurijs atque contemptu affeci. Da mihi, obsecro, pijssime IESV ob honorem sancti nominis tui probra cuncta omnemq́ue mihi occurrentem confusionem spontè animoq́ue lubenti perferre. Per charitatem illam inæstimabilem, qua pro me diris non horruisti verberibus cædi, ignosce mihi clementissime IESV, quòd te heu sæpenumerò prauorum actuum meorum manibus verberaui, & da mihi, vt te semper ore ac corde confitear, cunctaque opera mea per puram intẽtionem cum gratissima consonent voluntate tua, iuxtaq́ue eam fiant: & imago vultus tui in me illæsa perseueret. Per sputa illa teterrima atque execrãda, quibus propter me ab impijs Iudæis venerãdam atque dulcissimam faciem tuam defœdari voluisti, remitte mihi benigne IESV,

tę faciem meam in conſcientia mea(quam tu inhabitas, & in qua lucidiſſimũ vultum atq; imaginẽ tuam perſpicuè radiare oportebat) innumeris cogitationibus malis, ac impuris deſiderijs contaminaui, necnon ſacratiſſimum corpus tuum ſordidis phlegmatibus commaculatæ conſciẽtiæ meę abſque reuerẽtia excepi, ſimulq́; dona mihi vt elegantiſſimam imaginis tuę faciem nullis vnquam intra me immundis actibus cogitatibúsq́; defœdem. Per amorem illum, quo meæ ſalutis cauſa glorioſum vultum tuum, in quem deſiderant angeli proſpicere, ſordido linteo obuelari paſſus es, vt imago diuini vultus tui, quæ in intimis mentis meæ operta & obfuſcata erat, rurſum in me detegeretur, puritasque coruſcæ lucis tuę denuò in me ſuboriretur, clareſceretq́;, illumina me intrinſecùs iucundo lumine cæleſtis gratiæ tuæ, & da vt facies tua nunquam in me poſthàc obnubiletur: ſed omne potiùs ignorantiæ atq; peccati velamen aufer à corde meo. O IESV patientiſſime, qui mea ꝑ ſalute à iudice ad iudicẽ duct⁹ es, impertire mihi, obſecro, lumẽ veritatis, moderare oẽs actus meos, inſtrue rationem meam iuxta gratiſſimam voluntatem tuam, docens eam lumine tuo, vti in regia virtutum via progredi debeat, de virtute eũdo in virtutem. O IESV agne mitiſſime, qui ꝓpter me crudeliſſimè ligari, ac per oẽ formoſiſſimum corpus tuum horribiliter flagellari voluiſti, eò quòd ipſe corpore ac vniuerſis membris meis ad peccata & noxias delectationes abuſus eram, largire mihi vt cuncta membra mea corporalibus exponam ſubijciamque cruciamentis, & paternæ caſtigatiõis tuę flagella patienter accipiam, nec vnquam te flagellem peccatis & vitijs meis. O IESV benigniſſime, qui mei amore ſpinis coronari voluiſti, vt imaginẽ tuã in mente

mea peccando læſam reſtaurares curareſq́;, vtpote cui totam vniuiſti beatiſsimam Trinitatem tuam: (paterna nanq; virtute meam ſuſtentas memoriam:filij ſapientia, lumen eſt intellectus mei, & per ſanctiſpiritus amorem meam occupas & inhabitas voluntatem, ita vt abſq; te nihil retinere,nihil intelligere, nihil prorſus boni agere poſsim, ſed totum hoc fit per ſanctiſsimam Trinitatem tuam, quæ cælum ſuum intra me cõſtituit, cuius regnũ eſt anima mea: quam etiam ob cauſam irridiculè te adorari vt regem permiſiſti,& venerandam faciem tuam putentibus commaculari ſputis hoĩm impiorum, vt ſcilicet ſacroſanctum vultum tuum intra me fœdatum repurgares ablueresq́;.) Per hæc igitur da mihi,vt te verũ Deum meum in ſpiritu & veritate adorem, te regẽ meũ congrua veneratione ſalutem, & vt regnum tuũ in me ſtabiliatur,ſundetur ac perſeueret, vt in beata æternitate coronam vitæ percipere merear. O clementiſsime IESV, qui pro generis humani ſalute crudelem mortis ſententiam innocens excepiſti,eò ꝙ ipſe iudicia iuſtitię tuę non pertimuerim, præſta vt te ſemper videam iudicem ſedere in anima mea, quæ eſt tribunal tuum,quò omnes meas cogitatiões,verba & opera in iudiciũ adducas coram teſte conſcientia mea, quæ me de cũctis vitijs meis acriter mordeat ac repræhendat,vt in extremo iudicio ſecura appaream cõſciẽtia, & iniqua hoĩm iudicia ęquanimiter feram. O Ieſu ouis manſuetiſsima,qui mei cauſa graui crucis onere preſſus es,da vt pœnitentię crucẽ libens amplectar,cunctaſq́; cruces per humanitatem tuam in vnionẽ amoris diuinitatis tuæ ſubleuẽ, vbi me ab omni ſarcina exoneres, & ſentire me facias,re vera ſuaue eſſe iugum tuum,& onus tuum leue:quod etiam gratius tibi & iucundius eſt, quàm ſi meis crucibus in impatientia

tientia

tientis naturæ meæ sensu hæream atq; persistam. O misericordissime Iesu, qui ꝓprijs es despoliatus vestibus, eò ꝙ primam innocentię vestem perdiderim, & in saxo rigido es sedere iussus, vẽto aspero vrente lacerum corpus tuum, teq; crucis præparationem expectante, da vt veterem hoïem meum pura peccatorũ meorũ cõfessione deponam & exuam, & in conspectu tuo virtutum induar vestimentis, ne nudus inueniar, necnõ à cunctis rebus caducis ac temporarijs saluti meæ repugnantibus denudatus, in petra Christo, id est, in teipso fundari merear ac stabiliri. O dulcissime Dñe IESV Christe, qui tã inhumaniter ad crucẽ extendi voluisti, vt numerari possent omnia ossa tua, præsta vt cuncta membra, omnesq; corporis & aïæ meæ vires, in dignissima tui laude semper intentas & erectas, tibi amanter vniam, naturaque mea sic tuo hæreat fixa amori, vt nunquam à tuis recedam mãdatis, sed clauis timoris tui cruci tuæ perpetuò affixus maneam. O inuictissime IESV, qui in cruce subleuari voluisti, vt traheres ad te animas oẽs, trahe me totum in te, vt à cũctis terrenis affectib⁹ ac desiderijs sublatus, mente semper in cælestibus verser, ibiq; stabiliter cõmorer in intimis tuis IESV. vita, spes & salus mea, qui es cælũ deliciarũ, spes & perfugiũ peccatorũ, omniũq; oppressorum atq; afflictorũ cordium. O IESV benignissime, obsecro te per dolorum acerbitatem, quos pro me in cruce perpessus es, & maximè quãdo nobilissima anima tua egressa est de corpore tuo, miserere animæ meæ in exitu suo, suscipe eam in manus tuas, & da illi prodesse merita sanctissimæ humanitatis tuæ, quò in me pacem, gaudium & delectationem habeas in tempore & in omni æternitate. Amen.

IN EXER-

IN EXERCITIA QVAEDAM ALIA, DIVINA prorſus, & quæ compendio hominem in Deum trãsformare queant, Authore D. Nicolao Eſchio, magnæ apud Brabantos exiſtimationis & pietatis viro,

F. LAVRENTII SVRII AD PIVM LECTOREM

PRAEFATIO.



A quæ ſequuntur exercitia, amice lector, cuidam celebris opinionis viro diuinitus reuelata, facili compẽdio hominem bona ac feruenti voluntate prę ditum, ad familiarẽ Dei amicitiam ſtabilemq́; vnionem, & ad ipſum perfectiõis apicem perducunt: idq́; ita, vt neminem grauent, nemini

nemini, quo minus quæ ſui ſunt ſtatus ac muneris, exequi poſſit, vllum præſtent impedimentum:quin potius mirum in modum hominem releuent, & aptum atq; idoneum efficiant ad externa internaq́; oĩa, cum Deo & in Deo proſperè adminiſtranda. Vnde cùm implacabili in nos odio ſtimulatus peſtifer ſerpens, non deſinat pios ab ijs quæ poſſint illis ſaluti eſſe, innumeris penè machinationibus, dolis ac moleſtijs auocare, id nobis monẽdus es Chriſtiane lector, vt ne qua illius fraude ab hiſce tete exercitijs, reuerà diuinis atq; vtiliſſimis, retrahi patiaris: ſed contemptis omnibus quæ ille animo tuo ingerere poſſit, Dei clemẽtiam precibus continuis pulſes, vt horum tibi exercitiorum cultum, guſtum, fructum, effectus largiatur. Quod vt impetrare ſis idoneus, curãdum tibi erit, vt perpetuò tibi ipſi obſeruando inuigiles, & vt ab orationis ſtudio nunquam diſcedas. Nam ſine his duobus, puta orationis laboriſq́; inſtãtia, nihil hinc obtinebis. Sed & hoc cum primis neceſſarium eſt, vt bene ſis à vitijs expurgatus: & vt ſciens ac prudens nullum intra conſciẽtiam peccatum retineas, cuius te verè non pœniteat, quodq́; vel confeſſus non ſis, aut confiteri nolis. Ad hæc

nullius vnquam vultũ,nec vllas rerum labentiũ vanitates fixè contueberis: ſed oculis demiſſis ſemperq; magìs ad Deum intra te pręſentẽ,quàm foras ad creaturas reſpicies.Nũquam etiam vanus aut leuis eris, ſed amãs pias & dulces lachrymas, & luctũ ſanctum ex amore naſcentem,pro tuis cæterorumq; hominum peccatis. Deinde quolibet die inuocato humiliter Spirituſancto,ſine quo nihil poteris,manè vna hora, ac veſperi ſimiliter teipſum in obſcuro & ſolitario loco includes, ibiq́ue in teipſum introgreſſus, Deum tuum tibi re vera pręſentẽ attẽdes: atque ita in quolibet horum exercitiorũ octo vel decẽ,aut duodecim,plures etiã pauciorésve dies deuotè orãdo ac meditando verſaberis, quẽadmodũ tum res ipſa, tum tuę perſonæ ratio exigere videbitur: atq; interim miſſa facies alia voluntaria exercitia, quę tibi ipſi cõſtituiſti, vt ſic tota die ac nocte id,in quo laboras, exercitiũ memoriæ tuæ ac deſiderio propoſitũ ſit,aĩoq; infixũ.Tum etiã ſenſus tuos intra te colliges, vireſq; aĩæ cũctis imaginib⁹ nudatas, tam profundè in Deũ tuũ defiges, imprimes, immerges, vt ex nulla creatura aliqd medij patiaris.Quod ita fiet,ſi quadam

dã animi ęquabilitate, placidè, & abſq; cordis immoderata ſolicitudine & affectu q́ faciéda ſunt facias, ſeruata ſemper cordis libertate, vt ne illud ea occupent & lacerent, ſed ſimpliciter cuncta referant in Deum, cui vtique perire nihil poteſt. Porrò in hiſipſis exercitijs, ſi falli noles, neceſſe eſt, vt humili ac ſimplici obedientia viro alicui bene experto, ſi talis haberi poſſit, tete ſubmittas, qui te in his dirigat, à quo in rebus dubijs conſilium petas, cuius ductum ſequaris, cuius ita foris, vt DEI intùs, monitis obtemperes, ne fortè, quod eſt admodum pernicioſum, propria ſubnixus ac fretus voluntate, à maligno ſpiritu, id quod facilè accidere poteſt, in errores ac pericula tuæ ſalutis abducaris. Interim rogandus tibi erit DEVS, vt eiuſmodi, quem fortè elegeris, hominẽ ſua gratia illuſtret, quò in omnibus ita, vt eſt maximè ſaluti tuę vtile & accommodum, te regat inſtituatque. Cæterum cuncta tua exercitia cum perfecta facies cordis in DEVM ſubleuatione, conuerſioneque, ignitis quoque ſuſpirijs, & amoroſo omnium animæ virium effluxu in DEVM, non interim anxiè nimis cum aliqua triſti mora pec-

cata tua præterita, vel præsentes tentationes commemorando, sed quasi negligẽdo ea nec aduertendo saltem, aut certè in inferiori homine cum aspernatione relinquendo. Hæc enim vna omnium facilima ratio est tentationes superandi, vt quoties eas persenseris, semper amorosè cor ad Deum tuũ sustollas. Alioqui medium præstant. Enimuerò & venialia peccata cuncta multo faciliùs, efficaciùs, perfectiùs amorosa quadam & feruenti mentis ad Deum conuersione applicationeq; delentur, quàm si ad ea etiam cum contritione respiciatur. Sed hoc occultum quoddam exercitium est, paucis cognitum, ac minùs vsitatum. Conferet autem non parum ad Dei ac tuijpsius cognitionem vnius alteriúsve capituli attenta profundaq; ruminatio, siue ex Augustini Meditationibus ac Soliloquijs, siue aliorũ id genus pijs opusculis. Ad cætera exercitia maximè proderunt ea quę apud Henricum Harphium pluribus locis magna Sanctispiritus gratia tractantur. Porrò vbi plùs solito gratia te destitutum senseris, intentis meditationibus amissum cordis gaudium reuocabis, vt diuina ad mentem beneficia reducas, Deumq; medullitus laudes, instar Helisæi Psaltem sibi


adhi-

adhibentis, aut etiam cum Dauide cogites, bonum tibi eſſe adhærere Deo, huic vni vaces, hunc ardenter ſitias, aſſiduè mediteris, huius præſentiam vigilando, obſeruando, vbertim flendo ſuſpires. Enimuerò ſi ad Dei contemplationem præparari velis, primò vitia omnia deſeras oportet, terrena quæque faſtidias & calces, ſanctiſpiritus viſitationem ſitibundo cordis affectu deſideres, gratiam hanc contemplationis à Deo continuè preceris, ad amorem vnientem ceu Exercitiorum omnium finem iugiter aſpires, atque in his omnibus, donec ea adipiſcaris, magna contentione labores, carnis curam etiam in licitis & conceſſis ob ſtudium diuini amoris ſæpe reijcias ac repellas, certus quòd quo amâris ardentiùs, eo Deum Optimum Maximum propiùs contemplabere.

VALE.

DE VIA PVRGATIVA.

Vt cognoſcas Deum. Exercitiũ I.



Rimò exercebis te in forti, perfecta & profunda cognitiõe Domini Dei tui, quantum per gratiam Dei obtinere potueris. Hanc autẽ cognitionem magìs impetrare conaberis feruidis deſiderijs & deuotis orationibus, quàm arduis ſtudijs & laboribus externis. Dei enìm donũ eſt ſingulare & precioſum valdè. Quapropter ſæpenumerò humili & profundo corde ipſummet Deũ tuum deſiderabis poſſidere: orabiſq; vt tibi manifeſtare dignetur ſeipſum, ſuamque voluntatem beneplacentẽ & perfectam. Attende eius æternam & infinitam potentiam, ſapientiam, bonitatem, & incompræhenſibilẽ amorem. ¶Conſidera quid ſit Dominus DEVS tuus, Quis, Qualis & Quantus: Nempè Deus altiſſimus ſuper omnia, ſumma veritas, ęterna & immutabilis bonitas, vera & ſempiterna ſubſtãtia, & charitas infinita, qui in ſeipſo adeò exiſtit magnus & ineffabilis, vt multo meliùs & veriùs cognoſcatur per ablationem ſeu abnegationem omnium perfectionũ & dignitatum, quæ de eo cogitari & dici queant, (vt eſt potentia, ſapiẽtia, bonitas & ſimilia) quàm per eorundem affirmationem. ¶Expende inſuper, quòd Deus eſt verus, proprius, naturalis locus, ſedes, centrũ, & vita animæ tuę, in quo aĩa tua per ſuã ideam ab ęterno quieuit, à quo tempore creatiõis effluxit, & in quem redire debet,

Quid ſit Deus.

Deus eſt cẽtrũ animę.

bet,& in eo & per eum quiescere. Alioquin in æternum peribit.

¶Sanctam quoq; Trinitaté deuotissimè adorabis & laudabis, hoc vel simili modo: O sanctissima Trinitas, tua dulcissima vnitas per amorem fluat,obsecro,in me, & in omnes creaturas te laudare valentes.Contemplare patrem esse summũ,ęternum,ineffabile & incomprehensibile bonũ,qui ex seipso profert bonũ æternum sibi coęquale & cõsubstãtiale, quod est eius vnicus filius: qui duo infinita charitate & cõplacentia sese inuicé diligunt:& hæc charitas Spũssanctus est. Assuesce sæpius, immo & assiduè ad dulcissimũ Deũ tuũ,talemq; ac tantum Dominum aspirare & dicere: O Dñe Deus meus & oĩa,ostende mihi teipsum,& sufficit mihi. O dulcissime Deus,infunde mihi lumen tuum,accende cor meum amore tuo,conforta infirmitaté corporis mei præsentia tua. Et similia multa,prout vnctio docebit. Meditare etiam quomodo ex ipso, p ipsum,& in ipso sunt oĩa, cui omnis honor & gloria sit in secula seculorũ. Amen.

Sãcta Trinitas.

Omnia ex Deo.

¶Cæterum cum ex notitia & clara cognitiõe Domini Dei creatoris nostri,omnia bona in animam promanent,quę diabolus nobis inuidens,tota malitię suę virtute nititur impedire,& nos excęcare: atq; ediuerso ex eius ignorãtia,omnis tentatio,amaritudo & damnatio in nobis suboriantur.Hinc danda tibi opa est,vt Domini Dei tui omni tempore dulciter & amorosè recorderis,& saltẽ hęc tria,videlicet ei⁹ essentiã siue bonitatem, præsentiam & dilectionem,assiduè ob oculos mẽtis geras. Primò attende infinitam eius nobilitatem, sublimitatem,iustitiam,pulchritudinem, potentiã, sapientiam, bonitatem,charitatem,dulcedinem,liberalitaté,misericordiam, & alias innumeras eius perfectiones, quæ re

I. Essentia Dei.

vera adeò in immensum omnem creatũ intellectum vincunt, vt quicquid de his creaturę simul omnes capere aut dicere possint, minus sit, quàm gutta vna ad vniuersum mare. Et hic tantus Dominus animam tuam ad suam similitudinẽ nobilissimè creauit, suijpsi⁹ per amorem capacẽ. Cui tres nobiles vires indidit, vt ipsum non solùm in futura, sed etiam in præsenti vita per intellectum fide & contemplatione cognosceres, per voluntatem tuam eligeres et amares, & per memoriam in eo requiesceres & vnitus maneres, illique fideliter adhæreres, & eius comparatione omnia alia pro nihilo duceres. Certè nisi à diabolo excæcatus esses, tanta in illum complacentia & dilectione rapereris, vt præ gaudio & admiratione deficeres: læta quoq; & tristia non curares neque animaduerteres, nec ad momentum quidem te ab intuitu & amore summi istius boni disiungi patereris.

II. Præsentia Dei.


¶Secundò, vide ingenti cum lætitia & gratitudine, vt idem tantus ac talis Dominus, ex eterna charitate sua multo interiùs veriusque sese tibi vbique locorum, & maximè in anima tua præsentem exhibeat, quàm sis ipse tibi, vt te in esse cõseruet, regat, faciatq; saluũ ac beatum: atque ideo magna tibi indicta est necessitas probitatis, si dissimulare nolis, quum agas omnia coram oculis cuncta cernentis. Vide, inquam, charissimum Deum creatorem & amatorem tuum, tibi perpetuò præsentem & intentum: & ambula sicut casta sponsa, cum magno timore & reuerẽtia, pudore & humilitate, obedientia & patientia, coram oculis altissimæ maiestatis eius: indesinenter te præparans, vt illi placeas: & suspirans, vt illum toto corde diligere, & amplecti valeas. O quanta gratiarum affluẽtia hinc tibi accresceret, si ita ageres.

¶Vide tertiò, vt idem tantus Dominus, tam immensa & æterna charitate, cōstanti gratuitaq; dilectione perpetuò ad te conuersus est, vt omnem etiam angelicum vincat intellectum & desiderium: tanta eius erga immundum vermiculum dignatio, qua tibi intēdit, adeoq; tui curam gerit, acsi nulla alia, vel in cælis vel in terris creatura superesset, & à tot & tantis malis & periculis animæ & corporis te eripuit & defendit, totq; & tantis beneficijs gratis te præuenit, ornat & prosequitur, ōmi momento temporis, licet ingratissimū, vt vel exiguam illorum partem numerare nunquam sufficias. Ex hac etiam charitate liberrimam tibi vel momentis singulis se accedendi copiam præbet, adeò vt vel solo pio desiderio ipsum summum valeas bonum obtinere & possidere, ipsiq; vniuersas necessitates tuas, velut amico oīm fidelissimo, securissimè pandere. ¶Inter infinita aūt præconia, quæ de Deo tuo scribenda atq; pensanda forent, iuuabit te vel maximè, vt indesinenter mediteris Dei creatoris & redemptoris tui bonitatem, pulchritudinem, pietatem, misericordiam, dulcedinem, amabilitatem, charitatemq; perennem & infinitam: vt per eas velut per ignitos quosdam carbones, in cor tuum congerendos, ipse in easdem virtutes transformeris, & ad reddendam qualemcunque amoris vicē perpetuò accendaris. O si supradicta tria fideliter & indesinēter exerceres, quàm dulciter manè ad Deum tuum euigilares, quàm citò ab omnibus vitijs & passionibus, amaritudine quoq; & omni tentatione liberareris, & amore conditoris totus inebriatus, in virum alium mutareris: immo totus in Deum transformareris: quia nullū isto sanctius & fructuosius inuenitur exercitium, quod D. Augustini & aliorum Dei amicorū corda iaculo amo-

III. Dilectio Dei ad nos.

ris medullitus interdum transfixit, quum illuminatis oculis attenderent stupenda amoris insignia, præsertim in incarnatione, vita, & passione illius, cæteraque innumera beneficia à tanto Domino sibi impensa, iustoque perpenderent iudicio charitatem illam nimiam, qua tantus Dominus sese nascens dedit nobis socium, conuescens in edulium, moriens in precium, & regnans seruat in præmium.

Vt cognoscas teipsum. Exercitium II.



ECVNDò exercebis te in profunda cognitione tuijpsius. Attende ergo quàm nobiliter anima tua à DEO creata sit ex nihilo, ad imaginem & similitudinem illius. Et quàm misera, fœda, & abominabilis facta sit per peccatum originale. Et quòd indè redemptus sis per ineffabilem amorem & durissimam satisfactionem IESV Christi. Postea teipsum iterum & sæpiùs maculasti, & auersionem à summo bono fecisti, per tuam propriam voluntatem & actualia peccata: & factus es turpior & vilior quauis irrationali creatura. Eia attēde in quanta mala per peccata tua propriā lapsus sis: quodq́; ex teipso nunquam indè resurgere valebis, sed in solo DEO poteris omnia. Nam per veram amoris ad Deum & omnes virtutes conuersionē, licebit vtiq; redire ad vnionem Dei.

Creatio.

Lapsus.

Cur creatus.

¶Attende te idcirco à DEO creatum, vtì semper eum ipsum diligere, contemplari, frui, possidere debeas, quodque hic positus sis à DEO, vt ipsi fideliter seruias & gratias agas: ipsumque laudes, benedicas & honores: eius quoque gratissimam voluntatem in te & in omni-

omnibus creaturis agnoſcas & exequaris.

¶Conſidera te hîc ſecundum animam eſſe in terra aliena exulẽ & peregrinum, multis laqueis & hoſtibus circũdatum, & mille periculis expoſitum: qui ſi in Deo mãſeris, nemo te lædere poterit. Attende quàm incompræhenſibiliter nobilis, pulchra, ſapiens, à Deo ſit condita anima tua ad ipſius imaginem & ſimilitudinem: factus es nihilo minùs ſecũdum corpus de limo terræ infirmus, miſer, vilis & egenus, ad omnia peccata & vitia pronus, tendensque ſemper ad interitum. Itaque vide, ne propter viliſsimi corporis tui viles & fœdas, citóq; tranſeũtes voluptates, nobiliſsimam animam tuam cogas ſeruire corpori, & ita ipſam cum corpore perdas, & æternis ignibus addicas. In exilio viuis.

¶Conſidera diligenter omnes cogitationes, verba & opera tua, an finis & ſcopus omnium virium & ſenſuum tuorum ſemper ad Deum tendat, vel ad teipſum, ſiue ad creaturas: & videbis te nunquam ſatìs teipſum humiliare & emendare poſſe. His addere licebit quicq̃d tibi ad tuijpſius & proprij nihili tui cognitionem conferre poterit. Quid, qualis, vnde & vbi.

¶Attende ſæpiùs, quid, qualis, vnde, & vbi ſis, & quò abiturus. Vide hoc triplex nihilum tuum, videlicet quòd per infinita grauiſsimaq́; peccata tua nihil factus ſis, & in inferno inferiori, ſi Deꝰ voluerit, perpetuò torquendus, velut vas fœtidum & cibus ignium. 1

Secundò, quòd ex intima corruptione virium & ſenſuum tuorũ per pronitatem ad om̃e malum (quod cõmitteres, niſi Deus te præſeruaret) factus es abyſſus tenebroſa, vas aptum in contumeliam, genitus per immunditiam, viuens in concupiſcentia, moriturus in anguſtia. 2

Tertiò, ꝙ comparatione Domini noſtri Ieſu Chriſti, tu & omnia nihil ſunt, & ex nihilo producta, & ad 3

nihi-

nihilum reditura, nisi continuè à Deo conseruarentur.

Ama contemni. ¶Quapropter desidera contemni, despici & ignorari ab omnibus hominibus, absque tamen tua culpa & mundo gaudente: tu teipsum cum Christo affige, & time semp & vbiq; Deum filiali timore. Humilima quoq; profer, cogita & age, semper credens instare aduentum sponsi tui cælestis, dicentis: Ecce sponsus venit, exite

Matt.25. obuiàm ei. sicq; in tuum semper resiliens nihilum, cum stupore admiraberis, quòd Deus te patitur creaturam tam fœdam & ingratam, ad momentum coram oculis suis versari.

Examina te vt noscas teipsũ ¶Clamabisq; humiliter ad Dominum ex abysso miseriæ tuæ, inuocás abyssum misericordiæ illius cum frequenti perlustratione conscientiæ tuæ, quò sua singulari (qua ad hoc indiges) gratia tribuat tibi clarè dinoscere omnia tua vitia, passionesq; & propensiones vitiosas, & peccata vniuersa, quæ in viribus & sensibus tuis intus & forìs hærent, & abscondita latent, animam tuam miserè obcæcantia, & ad interitum trahentia: vt vel sic discas nosse teipsum. Nec tamé, etiam si multùm profeceris, ad prauitatis tuæ videndum finem penetrare valebis. Adeò prauum est cor hominis & inscrutabile, teste propheta Hieremia 17. cap.

Vt per pœnitentiam purgeris à peccatis, Exercitium III.



Vt cognoscas peccatorũ enormitatem. Ertiò exercebis te in generali contritione, confessione & emendatione om̃ium peccatorum tuorum, deflens ea ex vero amore Dei, & profundo odio tuijpsius & omnis peccati. Vt autem ad perfectũ tuijpsius odium pertingere valeas, persuade tibi

tibi nullam in mundo creaturam esse, quæ tantam Deo iniuriam & cõtemptum irrogârit, atq; tu. Quapropter omni pœna & contumelia mundi & inferni te dignum iudicabis, pro multis grauibusq; peccatis tuis, negligentia quoque multiplici & ingratitudine tua. Cuius rei gratia voluntatem tuam adeò obfirmabis in Deo, vt paratus sis pati omnem iniuriam, contumeliam, irrisionem, improperium & vilipensioné, quam omnes creaturæ voluerint aut potuerint tibi inferre. Immo etiam te resignabis ad sufferendum omnes pœnas inferni pro peccatis tuis. Resignatio ad pœnã.

¶Et vt ad purum pro peccatis tuis dolorem peruenias, statue te coram iustissimo vultu Dei, bis in die, cogitans te mortem ęternam meruisse, & citò iudicium tuum in te pronunciandum esse: sperans nihilo minùs, per orationem & laborem contritionis, veniam & gratiam apud misericordem Deum inuenire: doleasq; lamentabiliter, quòd summę potestati, sapientiæ & bonitati Dei tantam iniuriam & contemptum exhibuisti, qui omni honore & laude dignissimus est: dicens hoc, vel simili modo: O DOMINE Deus meus, omnipotens creator & redemptor animæ meæ, ecce ego sum peccator ille vilissimus & miserrimus, qui infinitam bonitatem, sanctitatem & charitatem tuam innumerabiliter & grauissimè offendi, infinita mala commisi, & bona omisi. Hinc teipsum seuerè discutere, iudicare & punire curabis, ne à DOMINO iudiceris: attendendo qualiter DOMINUM Deum fidelissimum patrem tuum in decem præceptis, & in septem peccatis mortalibus, & in nouem peccatis alienis, & in septé operibus misericordiæ tam spiritualibus quàm corporalibus contempseris offenderisq;. Deniq; de omnibus generatim peccatis tuis, Vt deplores peccata tua.

& de quolibet ſpeciatim, aſſumas mœrorem intimum, & tantum dolorem, quantum delectationis in peccatis

Petitio veniæ.

perſenſiſti, ex vera contritione & profundo corde dicens: O Domine, obſecro te per ſanctiſsimam tui conceptionem, natiuitatem, conuerſationem, duriſsimum laborem, & omnem ſacratiſsimi ſanguinis tui effuſionem, & per omnem amaram paſsionem, & acerbiſſimam mortem tuam, remitte mihi omnia peccata mea. Obſecro quoque glorioſam virginem miſericordię matrem, cum omnibus ſanctis, per omnia quæ propter DEVM ſuſtinuerunt, vt DEVM pro te interpellent, quò & veniam dare cunctis erratis tuis, & ita in ſeipſo confirmare dignetur, vt nunquam ad peccata redeas. Enimuerò tãtum peccatorum odium tibi neceſſarium eſt, vt potiùs mortem obire velis, quàm rurſus vlli peccato conſentire. Caue autem ne puſillanimis fias, ſed confide infinitæ miſericordiæ DEI, qui paratus eſt in gratiam te recipere, & originali puritati reſtituere, ſi illi pro modulo tuo ſatisfeceris pro peccatis tuis.

II. Vt offeras te totũ ad emendationem.

Secundò offeres DEO pro peccatis tuis animam tuam & corpus, & quicquid habes, deſiderando ea oĩa conſumere, & quaſi in nihilum redigere pro honore eius. Et vt efficaciùs animam tuam totam cum viribus ſuis DEO immolare valeas, ita cogitabis: O Domine, iam nolo deinceps quicquam geſtare in memoria mea, niſi te DEVM, meam originem, in quo ab æterno fui, & ex quo emanaui: neque aliud cognoſcere in intellectu meo, quàm te ſolum Deum meum, & omnes creaturas in te: neque aliud velle aut deſiderare in voluntate mea, quàm ſolius gratiſsimæ voluntatis tuæ executionẽ. Corpus quoq; tuum Deo offeres hoſtiam viuã & perpetuam, quemadmodum in veteri teſtamẽto ſacrifi-

sacrificaturi ligna ponebât in altari, & hostiã desuper suppósito igne cremabant in holocaustum: ita & tu in altari cordis tui ligna, id est, peccata tua colliges: & hostiam, id est, corpus tuum offeres, quod spiritualiter moriatur necesse est: orabisq́ue feruenter Dominum in hunc modum: O Domine, accende holocaustum meũ, vt totum comburatur & absumatur in amore tuo, vt 3
tibi grata & accepta hostia fiat ad æternum honorem tuum. Offeres etiam Deo temporalem sustentationem tui, desiderando rebus huic necessarijs non aliter vti, quàm ad æternum Dei honorem, & animę tuę salutem, nullam in ea tuijpsius oblectationem & cõmodum spectans. Quin & desiderabis omnibus, si Deo placuerit, necessarijs spoliari, pauperq́ue & nudus inueniri, sicut ipse pauper & egenus fuit. ¶Tertiò pœnã corporalẽ cũ discretione assumes, ex magno amore, iuxta magnitudinẽ peccatorũ tuorũ: statue ergo te coram cruẽto corpore Chři Iesu in cruce pendente, & vndiq; vulneribus atq; doloribus propter peccata tua repleto, & in corde dicito: O Dñe, si tuæ gratissimæ placitũ esset voluntati, cẽties me crucifigi permitterẽ ꝓ peccatis meis. Parat⁹ sum in quolibet articulo corporis mei pati singularẽ pœnã ad honorẽ noĩs tui. Hinc ꝓpone quælibet membra corporis tui, quib⁹ ad peccatũ vsus es, decætero tradere & consumere ad summum Dei honorem: teq́; ad hoc compellere & vrgere, quantumuìs durum & molestum tibi fuerit, vt Deo pro peccatis tuis vicem qualemcunque reddere valeas in pœnitentia & afflictione, quam Deo vnà cum pœnis & laboribus status tui, in vnione sanctissimæ passionis suæ, cum multis lachrymis, si eas habere potueris, quotidie offerre curabis: teq́; nõ satis dolere, toto corde dolebis & pœnitebis, teipsum pro meritis tuis sub omnibus hominibus

III. Pœnã tibi inflige.

bus in inferno inferiori collocando, ꝙ filium Dei rursus crucifixeris, & toties conculcaueris, & sanguinem testamenti in quo sanctificatus es, pollutum duxeris, & spiritui gratiæ contumeliam feceris.

Puncta ꝓ clara cognitione peccatorũ tuorum.

Porrò si clariùs videre volueris abominationes tuas, sicuti in iustissimo Dei iudicio, nisi eas hîc deleueris, à te requirentur, matura discussione expende, qualiter, quoties, & quantùm offendisti & contemptu affecisti Dominum Deum tuum circa decẽ eius præcepta, duodecim consilia Euangelica, duodecim articulos fidei, præcepta & statuta Ecclesiæ catholicæ, vota & instituta ordinis, status, & vocationis tuæ: septem peccata mortalia, septem dona spiritus sancti, septem opera misericordiæ corporalia & spiritualia, nouẽ peccata aliena, septem sacramenta Ecclesiæ, gratias & inspiratiões bonas, incarnationis, passionis, & alia beneficia Dei, donaq; naturæ, fortunæ, gratię & gloriæ, virtutes theologicas, & morales: per tres potentias animæ tuæ, per quinq; sensus & membra corporis tui, in omni ætate, loco, statu: & officio in quibus vixisti: cogitatione, locutione, opere, omissione, temporis perditione & ingratitudine, contra Deum, sanctosq́; & angelos eius: Et contra omnes cuiuscunq; status proximos tuos, videlicet contra iustos Dei amicos, infirmos quoque & peccatores, contra benefactores & amicos, contra superiores, æquales & inferiores, viuos & defunctos, animasq́; purgandas: & contra creaturas omnes, teipsum quoq;, id est, animam & corpus tuum, quomodo his omnibus abusus es, in contumeliam creatoris, in iniuriam proximi, & in damnationem animæ tuæ, ita quòd nullum sit momentum vitæ tuæ, nec vllum Dei donum & beneficium, neq; vllum opus bonum, in quo Deum toto

toto corde purè, vt debueras, quæſiuiſti: quin potiùs ſubtili quodam proprij amoris, commodi, voluntatis aut delectationis veneno illud commaculaſti, & quaſi continuè peccaſti, toto vitæ tuæ tempore, ſaltem omiſſione, aut imperfecta expletione omnium, ad quæ tenebaris, ſi ſecundum iuſtitiam ſuam Deus iudicare vellet, etiam ſi commiſsione nihil vnquam mali perpetraſſes. Igitur dum miſericorditer expectat, præuenias faciem eius in confeſsione, lauando per ſingulas peccatorum noctes lectum conſcientiæ tuæ lachrymis tuis, ne intret in iudicium cum ſeruo ſuo: quia non iuſtificabitur in conſpectu eius omnis viuens. Clariorem horũ omnium explicationem pete ex libris, ſi non ſuppetit memoria. Vide ſaltem profunda conſideratione, quàm ineffabiliter deliqueris tam commiſsione, quàm omiſsione, circa duo illa præcepta, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. Et proximum tuum ſicut teipſum: qualiter illa impleueris, & indè reliqua peccata tua collige, deplange & emenda, recogitando DEO omnes annos tuos in amaritudine animæ tuæ, donec in te deſcẽdere dignetur ſpiritus adoptionis filiorum, teſtimonium perhibens ſpirituí tuo, quòd filius ſis Dei: audiaſque mellifluam eius vocem, quòd verè Deus pater in te complacet ſibi. Vanum eſt enim tibi aliquam conſolationem quærere, ſiue ad contemplationem ſurgere, niſi priùs manducaueris hunc panem doloris, & in te ſpiritus adoptionis filiorum delapſus ſit.

De mortificatione quinque ſenſuum.
Exercitium IIII.

X Quartò

Reformatio.



Vartò te exercebis in crucifigendis & mortificādis quinq; sensib⁹ tuis, qui valde debilitati sunt per lapsum primi parētis, & deinde multo amplius per tua ꝓpria peccata, & sensuū tuorū abusiones. Vt aūt reduci possint ad primæuā simplicitatē, in qua fuerūt ante lapsum Adę, necesse est vt sensus tuos, scilicet visum, auditū, gustū, loquelā, odoratū, tactū, in crucifixa humanitate Iesu, iuxta eius exemplū, tanta vi includas & refrenes, quasi iā defunctus & mūdo totus mortuus esses: discasq; cōtinuè in teipsum intrò respicere, sicut hacten⁹ foras respexisti: tradasq; te in disciplinā dulcis Iesu, eligēs illū in magistrū, & te totum illi ad obediendū in oībus cogens & resignās, ita vt tuū velle & nolle pfectè à te abijcias, & dn̄o Deo charissimo magistro tuo in oībus placere & strictè obedire satagas. Hinc nihil tibi amplius agere licebit quātumlibet exiguum, absq; ipsius pmissu. Nā ad quodlibet verbū, quod loqui voles, ad quanq; buccellam quam sumpturus es, ad quēcunq; oculi aspectū, & ad cuiusuis mēbri siue articuli motionē specialiter licētia corde ab eo tibi petēda erit. Quā si intus teste cōscientia, seipsam nō quærente, obtinueris, tum demū licebit id agere vel dicere, & aliàs nō. Necessaria quoq; & debita opa tua, licet de se nota sint Deo placere, singula tamē noua intētione ad laudē Dei perages & offeres, in vnione sanctissimorū operum & meritorū suorū, ad salutē omniū hominū. Inter dicendum aūt vel agendū aliquid foris, cōtinuè vno oculo respicias intus teipsum, aduertasq; qn̄ tacēdū aut cessandū fuerit, vt tunc statim taceas & cesses. ¶Quapropter assuescas cōtinuè aut oīni hora Deū medullitus & feruen-

Introuersio.

Oratio.

feruẽter obsecrare per seipsum, & per oẽs perfectiones & miseratiões, quę in ipso sunt, immo q̃ ipse est, & p san ctá humanitatẽ suá, & per sanctos quinq; sensus suos, q tá fortiter obediebãt rationi, & ab anima sua absorpti, & dirissimis pœnis pro salute nostra afflicti erãt, quasi sensus nó habuisset, vt sensualitatẽ tuá, quã habuisti, ha bes, & habere poteris, absorbere dignetur in merita san ctissimorũ sensuum suorũ, sensusq; tuos ita absorbere, vnire & sanctificare in sanctissima anima sua, quasi sen sus non haberes, qui sensualitati locũ dare possent. Et in hac inclusione & vnione ita cruci affixus maneas in Dño Iesu, vt nunquá indè egrediaris, ambulás reuerẽter honestis & maturis moribus & gestibus corporis & sen suũ, semp & vbiq; in cõspectu Dei præsentis: Et om̃i cu stodia Dñm Deũ tuũ, & quinq; sensus tuos, cũ tota aĩa tua custodias: sicq; agas, vt putes te nihil videre, audire, sentire, olfacere, gustare, tangere, edere vel bibere, nisi Dñm Deũ tuũ, & in oĩbus purè Deũ, & nó teipsum quę ras, & creaturis ꝑpter Deũ & in Deo, cũ timore & re uerẽtia, vtaris. Et curá tuijpsius & oĩm rerũ in om̃i etiã necessitate & periculo, cũ plena fiducia, in ipsi⁹ fidelissi mam prouidentiam iactes, qui oĩa suauiter disponet, & pugnabit pro te, reputesq; omnia creata extra Deum, penitus esse nihil. Et sic recipies mirabiles illumina tiones & influxus à Deo tuo, si pro illi⁹ amorę teipsum & omnia perfectè crucifigere, abnegare, & relinquere non dubitâris.

Custodia tui.

¶Istud exercitiũ est fundamẽtũ spiritualis vitæ, quod oportet valde diu exercere, donec assuescas teipsum in omnibus vincere & abnegare, teq; & Deũ obseruare & custodire, cùm non sit maior labor, quàm Deũ, eiusque voluntatem gratam ac placitam perpetuò obseruare.

DE VIA ILLVMINATIVA.

Vt tres animæ vires reformes. Exercit. V.

corruptio virium.



Vintò exercete in profunda & omnimoda circuncisione, reformatione & mortificatione virium animæ tuæ, videlicet intellectus, voluntatis, & memoriæ, quę valde debilitatæ & corruptę sunt per lapsum primi parentis: à quo posteaquam per mortem filij DEI Iesu Christi redempti sumus, eas rursus à Deo abalienauimus per nostra propria & actualia peccata. Vt autem restitui poßint in gradum pristinum, in quem Dñs noster Iesus Christus eas reduxit, & cuius gratia animæ ab initio donatæ fuere; necesse est, vt Deum continuè toto corde obsecrare, firmaq; fiducia pulsare non cesses, vt per merita sanctißimarum virium benedictæ & crucifixæ humanitatis suæ purificare, reformare, regere & illuminare dignetur vires animæ tuæ, vt stabili cognitione, amore & cogitatione semper fluere poßis in Deum, & omnia alia cognoscere, illisq; vti in Deo.

Oratio.

Intellect⁹.


¶Vt autē id muneris obtineas, intellectus tu⁹ multo & cōtinuo tibi labore acuēdus est, ad intelligēdū subli miter & ꝓfundè, q̄d Deus sit, & habeat. Cumq; hoc pacto cognoueris esse eū optimū, nobilißimū, sanctißimū, tū accedēs voluntas amare conabit eum, quē optimum intelligentia sua deprehendit. Sed voluntatem ipsam circuncidere, abstrahere & crucifigere oportebit ab omnibus extra Deum, vt Deum solum toto & nudo

Voluntas.

nudo corde diligas & desideres, cæteraq; omnia ꝑpter Deum & in Deo. Deinde voluntatem tuam fortissima vnione adeò diuinæ conformabis voluntati, vt si illi placeret infernum in te creare, aut in inferno te ponere, paratum te exhibeas pro sua æterna gloria & honore, tuisq; peccatis, ad sufferendum illum per suam gratiam. Tertiò, memoriam tuam expedies atque idoneam reddes ad fruendum in ea in æternum DOMINO DEO tuo, absque omni medio: Hæc enim instar thalami mundanda seruanda est ab omnibus imaginibus & extraneis cogitationibus, & ornanda sanctis meditationibus & virtutibus crucifixæ vitæ Christi, vt Deus in ea perpetuò & indesinenter valeat quiescere, quoties, & quando, & quàm diu visum ipsi erit. Hinc eadem ipsa assuefacienda est amorosis iisdemq; perpetuis ferè desiderijs & affectionibus sanctis erga DOMINUM Deum suum, vt ipse solus purè in ea, & ipsa in solo Deo suo, nudè semper includi ac circunferri queat. Memoria.

¶Cæterùm, in hoc exercitio diutiùs versaberis, Deum tuum pro auxilio, vt dixi, frequentiùs obsecrando. Idipsum quoq; per sacratissimas gloriosę virginis matris vires & sanctorum, deuotè efflagitabis. Quòd si tam citò non impetraueris, (quum aliqui homines sint naturæ viscosæ atq; tenacis, & phantasmatibus deditę) noli tædio vinci, noli cessare: tantummodo perseuera, & DOMINO fortiter confide, qui nusquam deseruit sperantes in se, quia summè bonus est, qui & in simplicitate cordis meliùs inuenitur, quia vnus est: qui etiam per amorem & sancta desideria citiùs obtinetur, quia Deus ipse amor infinitus est.

De XII. mortificationibus. Exercit. VI



Extò exercebis te in plena mortificatione & abnegatione omniū, quæ tibi aliquod impedimentū vel obstaculum præbere possent, quo minùs appropinques & amorosè coniungaris ac vniaris Deo, hoc est, oĩum quæ Deus non est, non vult, neque amat: quæ satìs explicant per D. Henricū Herp, in XII. mortificationib⁹ suis, in qbus meditãdo & orãdo, te diligẽter exercebis, attẽdendo circa quaslibet sctĩssimum exẽplar crucifixi Iesu, illudq; cordi tuo ĩprimẽdo, quousq; inferiores aĩæ tuæ vires nullũ decetero impedimẽ-

I tum præstẽt superioribus, quo liberi⁹ fluere possint ad

Amor rerum temporalium. Deũ, & in Deũ. ¶Harũ prima est pfecta mortificatio oĩs affect⁹, solicitudinis & amoris ad res caducas & fragiles, vt eas quieto corde resignare noueris in Dei beneplacitũ, siue ea dederit, siue abstulerit: vt nõ desideres illa retinere, aut erogare, nisi purè ad Dei honorẽ: immo & oĩa optabis relinquere, vt cor tuũ impturbatũ ac nu-

Paupertas dũ, Deo semp valeas offerre, & inter quosuis casus secundũ superiorẽ saltẽ rationẽ, quiet⁹ pmanere. Hinc nõ

1 solũ supflua queq; & curiosa, tibi sunt abijciẽda: sed etiã

2 in his q̃ tibi necessaria vident, nullo affectu requiescere

3 licebit, si noles esse pprietari⁹ corã Deo: Immo ipsa etiã naturæ necessaria, cũ tedio & nausea suscipere conaberis, vt eo meliùs pauperi Chro cõformari, & intra nuda

II ipsius brachia euolare queas. ¶Secũda est mortifica-

Amor sui. tio oĩm affectuũ propriæ quęsitionis, qua multi seipsos nimis amãt, & in oĩbus bonis quæ agũt, & malis q̃ vitãt, ex seruili amore suã spectãt & aucupant vtilitatẽ, cõsolationem & honorẽ, tã in externis, quàm internis Dei donis & bonis: suũ quoq; dãnum, confusionẽ & puniti-

onem

onem euadere quærunt, tā in præſenti ſeculo, quàm in futuro. Sua quoq; opera & exercitia reputāt magna, ca duntq; ex donis Dei in ſuperbiā, auaritiā, & gulā ſpiritualē. Verùm cōtra hęc grauiſsima pericula, ſtudebis ex filiali amore, intētione recta, Dei in oībus honorē, gratiā & beneplacitū purè q̄rere: et intētiōe ſimplici inſtituere atq; dirigere & referre opa tua ad placēdū & corā Deo fruendū ſemp, quieſcendūq; in eo cū omibus viribꝰ tuis, abſq; multiplicitate, in amoroſo quodā effluxu, & amāti inclinatiōe interni ſpūs in Deū, illuminata diuina cognitiōe, fide, ſpe & charitate: quādoquidem hoc eſt fundamentū vitæ ſpūalis. Intētione quoq; deiformi ſtudebis etiā occultā cōſolatiōnē ſpūs nō quærere, ſed oēm derelictionē & aduerſitatē deſiderare, vt vnū cum Deo fieri, ipſoq; Deo cum Deo perfrui merearis. Intentio recta. 1 Simplex. 2 3 Deiformis

¶Tertia eſt mortificatio oīm affectuū ꝓprię ſenſualitatis, vltra rationabilē neceſsitatē, ī delectatiōe cibi, potus, veſtiū, & aliarū rerū: in voluptate cogitationū, verborū, geſtuū, & fabulationū cū hoībꝰ, ex ſenſuali amore: in appetitu habēdi curioſa, vidēdi pulchra, audiendi noua, & fruēdi vbiq; ſenſuū vanitate. Hæc & oīa naturæ ſolatia mortificabis per plenā auerſionē ab oībus, in quibꝰ ſenſualitas ſolet quieſcere, quia deuotionē & ſpiritualia exercitia inſipida reddūt & difficilia: cauebisq; tota virtute, ne aliquē affectum ad quoduis ſolatiū vel peccatū, licet minimū, in corde retineas, quē nō funditus extirpare coneris. Ita eñ expedit, vt ſenſualitas ſimpliciter moriaē, ne tota cōgeries bonorū operū peſſum eat. III. Amor delectationis ſenſualis.

¶Quarta eſt mortificatio oīs affectus amoris ſecularis (qui vt hoībus placeat, & ab illis cōmodum vel honorem accipiat, ſeu vt illis nō diſpliceat, neq; ab illis confuſionē aut dānum ſuſtineat, multa admittit ſeu ad- IIII. Amor ſecularis ad homines.

mittere paratus est vitia & peccata, & plura facit virtu
Naturalis. tú opera)& amoris naturalis ad cósanguineos:& acqui
2 siti amoris ad amicos, ꝑ eorũ beneficijs: ita vt sine per-
sonarũ acceptione, in oĩbus hoĩbus, & etiã in hostibus
Acquisit⁹. tuis, solũ Deũ, Deiq; imaginẽ, gratiã, & virtutes purè di
3 ligas, & nulli⁹ vitia palpes, ames aut dissimules: sed oĩm
salutẽ toto corde sitias, oẽm quoq; inordinatũ amorem
qui tibi inquietudinẽ, distractionẽ & desiderium ad ali-
cuius hoĩs præsentiã vel amicitiã habendam generat, &
cor tnũ imaginibus depingit, præsertim tẽpore oratio-
nis, aut quando te ad Deum conuertis, tanquam ve-
nenum diuini amoris cor tuum maculans & inficiens,
penitus enecabis, solum Deum amando, & eius amore
omnibus creaturis renunciando, vt diuina imagine de-
pingaris, eiusque amore sursum traharis, & in eius abys
V. so absorbearis. ¶ Quinta est mortificatio omnis affe
Cogitatio ctus & societatis rerũ creatarum & cogitationum ina-
nes ociosę nium, quæ homini multipliciter incidere solẽt, ex defe-
1 ctu feruoris, instar maris fluctuãtis, licet affectui nõ in-
Noxiæ. hæreãt: cogitationum quoq; noxiarũ, quæ cũ oblecta-
2 tione sensuali intrò admittunť, quę licet ad consensum
peccati mortalis nõ perueniant, cor tñ maculant, Spm̃
sanctum contristant, & ingens animæ damnum inferũt.
Porrò tã istæ, quàm priores cogitatiões, ex nostra ori-
untur incuria & immortificatione, ꝙ cor nostrum non
studemus ad sanctas cogitationes etiam vi quadam co-
gere, sed illud ad superflua & noxia permittimus eua-
gari, non curantes tempus fructuosè deducere. Ideoq;
dum nos introuertere volumus, cor innumeris distra-
Distrahen ctionibus inuenimus oneratum, quæ nostrum profe-
tes. ctũ dissipant. Non solùm igiť has quas prędiximus, sed
3 etiam licitas quasdã cogitationes siue de tẽporali cura
licita,

licita, siue de scrupulis conscientiæ, siue de secretis & curiosis perscrutatióibus, abscindere oportet per impresionem imaginis Iesu in cruce pendentis, eiusque profundissimæ humilitatis, paupertatis, mansuetudinis & omnium virtutum in exteriori homine: & imaginis infinitæ charitatis eius, qua omnia creauit, & te sic redemit, in interiori homine tuo, vt cogitationes tuæ transeant in affectióes, & cognitio in amorem. Etenim amor operatur mortificationem naturæ, vitam spiritus, operatióem superiorum virium, influxū in Deum, & secessum ab omni creatura. Facies quoq; affectuosa conuersionem ad omnimodam solitudinem, non tantùm secūdum corpus, sed multo ampliùs secundum cor & affectiones, & ad simplicem cordis quieté, quæ maximè nutrit amorosum in Deum effluxum. Nam solitudo, silentium, & arcta cordis custodia, sunt fundamentum proficientis vitæ.

Imago crucifixi.

Amor Dei.

Solitudo.

¶Sexta est mortificatio omnis curæ quæ non est de iusta necessitate, vtilitate aut obedientia: omnium quoque passionum, immoderatæ lætitiæ, tristitiæ, spei, timoris, amoris, odij & pudoris, vt nihil extra Deum in corde tuo quiescat, & omnia externa opera tua & occupationes, quas à te postulat necessitas, absq; multiplicitate & solicitudine cordis perficias, cum resignato & eleuato intellectu & affectu in Deum. Enimuerò per distrahentem occupationem cordis etiam in licitis, obscuratur intellectus & tepescit affectus, vt omne spirituale exercitium tibi desipiat, & inferiores vires orationis tempore colligere vix aut ægrè posis. Quapropter si vis omnes tentationes faciliter vincere, stude omni tempore ferre internum & eleuatum animum & desiderium in Deum, semper magìs sequendo internum amoris

VI.

Curæ & passiones.

Aius eleuatus quantapossit.

ris exercitium, quàm externa opera virtutum. Ad quod tamen nemo peruenire poteſt, niſi affectus eius expeditus ſit ab omni re infra Deum exiſtente, & adeò in Deum raptus ſit, vt ſeipſum contemnere ſciat in omnibus propter amorem Dei. Nam purus amor facit ſpiritum purum, ſimplicem, & ab omnibus liberum, vt ſine labore ſeſe recipere poſsit in Deũ. Vbi nàq; amor, ibi eſt oculus memoriæ, & cor affectus.

VII. Amaritudo cordis. ¶Septima eſt mortificatio omnis amaritudinis cordis, quæ varijs ex cauſis oriri ſolet: Primò ex præſumptione propriorum meritorum, qua nonnulli proni
1 fiunt ad temerè iudicandum & aſpernandum cæteros, falſa iuſtitia pleni, quæ indignatiõem parit, nõ compaſsio-
2 nem. Secundò ex immortificatis eorum deſiderijs, quæ inflammant eos ad murmurandum contra ſuperiores ſuos, & alios qui eorum vitijs non acquieſcunt, ſed re-
3 ſiſtunt. Tertiò ex rancore & odio propter aliquas præcedentes offenſiones, propter quas facta illorum, quos odiunt, peruertere cupiunt, & inuenire in illis quod vi-
4 tuperent. Quartò ex inuidia, qua alienas virtutes, quibus ipſi carent, extinguere vel obſcurare quærunt, vt il-
5 lis præferri aut æquari poſsint. Quintò ex mala & exaſperata conſcientia, qua inſtar baſiliſci alios lædere cupiunt, & ſecum ad peccata trahere, quibus gratiam Dei inuident, & ex malitia qua ipſi pleni ſunt, omnia in peius interpretantur, & peccant in Spiritũſanctum. Has

Suauitas Dei. & omnes alias amaritudines tam perfectè vinci & conſumi neceſſe eſt in ſuauitate diuini amoris, vt etiam perſecutores & inimicos noſtros tam pleno cordis amplectamur affectu, ac ſi noſtri optimi forẽt amici, vtì & reuerà ſunt, quandoquidem ad grandia nos merita perducunt.

¶Octaua

¶Octaua eſt mortificatio omnium affectuum vanæ gloriæ, propriæ complacentiæ, honoris atq; ſuperbię, de teipſo, de tuis verbis & operib⁹, gratijs & donis, idq; per claram cognitionem tuæ vtilitatis, & deſiderium omnis contemptus, vt ſoli Deo placere poſsis. Hinc oīa bona ſoli diuinæ gratiæ, filiali fidelitate adſcribes, reputans te omnibus illis indignum, & cunctis viuentibus viliorem, propter magnitudinem, turpitudinem & multitudinem peccatorum tuorum & ingratitudinis tuæ: Secundò, propter infinita peccata, quæ incidiſſes, niſi ſola Dei miſeratio te præſeruaſſet: tertiò, quia non eſt peccator in mundo, ſi tantas gratias & occaſiones benefaciēdi habuiſſet vt tu, qui non fideliùs Deo ſeruiuiſſet, quàm tu. Sicq; Deo, cuius eſt omne bonum, eris gratus ex vna parte, & teipſum valde humiliabis ex altera. His bene expēſis, ſecūdo loco deſiderabis toto corde ab omnibus contemni, illudi, conculcari, & omnem confuſionem amore Dei pleno affectu ſuſcipias: Quia hæc eſt via compendioſa ad maxima merita, qua tamen paucíſsimi ingredi volunt.

VIII. Amor honoris & gloriæ.

I. Vt humilieris.

1

2

3

II Vt deſideres contemni.

¶Nona eſt mortificatio omnium affectuum, oblectationum internarum ſpiritualium & ſenſualium, in gratia, deuotione, dilectione & dulcedine ſenſibili, in viribus inferioribus animæ: quæ quidem non ſunt vera ſanctitas vel charitas, ſed ſunt quædam DEI dona, nobis vt fortiùs moriamur, non vt in illis quieſcamus, in ſubſidium infirmitatis noſtræ data. Porrò quantum tibi ipſi in iſtis duodecim punctis moreris, tantum habes veri amoris, nec quicquam amplius. Immo omnia, quę à Deo deſiderare potes, nec refers ad nudā tui mortificationem propter amorem Dei, permixta ſunt cum natura, ſeipſam ferè in omnibus etiam in

IX. Amor cōſolationis internæ.

Deo

Deo & in diuinis quærente adeò ſubtiliter, vt repulſa ab vna parte, mox occultè reuertatur ad alterã, priuſquam id ipſi depræhendere valeamus. Et ideo paucíſsimi ſeipſos verè agnoſcunt, & perfectè euincunt. Deinde ſecundo loco morieris omni curioſæ inueſtigationi,

2. Amor curioſæ inueſtigatióis.

ſpeculationi, cognitioni, & viſioni intellectus, in rebus & ſcientijs tum diuinis, tum humanis, in quibus miſerè tempus & laborem ſuum multi perdunt, ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiã veritatis peruenientes: quũ vita perfectè Chriſtiana, non in alta ſcientia, ſed in profunda humilitate, ſancta ſimplicitate, & ardenti amore Dei fundetur, quo ſemper anhelare debemus ad moriendum nobis in omni derelictione, vt Deo perfectè vniri, & ab illo abſorberi valeamus.

X. Scrupuloſitas.

¶Decima eſt mortificatio omnis ſcrupuloſitatis cordis, per plenam confidentiam erga diuinã bonitatem. Hæc ſcrupuloſitas interdum vexat nonnullos propter inordinatum amorem ſui, quo magis timent Dei vindictam, infernum & iuſtitiam, quàm ament eius bonitatẽ. Et ideo ex ſeruili timore ſua cuncta agunt bona, & vitãt mala. Quapropter non emendant fideliter defectus ſuos, ob quorũ aculeos & remorſum anguntur, nec Deo plenè confidere poſſunt. Cum enim amor eorum ad Deum modicus ſit, paruam generat confidentiã: ſicut ediuerſò amor magnus magnam parit fiduciam. O beata ſpes, dummodo ex ea non tepeſcas, ſed ad maiorem tui mortificationem, & omnium aduerſitatum tolerantiã & gratitudinem exciteris.

Amor ſui.

Confidentia ſancta.

XI. Impatientia.

¶Vndecima eſt mortificatio omnis impatiẽtiæ cordis, in omni externa aduerſitate, infamia, deriſione, contumelia, damno rerum, infirmitate & pœna corporis, perſecutione & derelictiõe mentis, quę tibi permiſsione

ne

he diuina accidere pošsit, quibus Deus chariores suos amicos ꝓbare solet: idq; ex maxima charitate, ꝓ ipsorum æterna salute. In quibus & ipse dominus Iesus multipliciter probatus est, qui mansueto corde omnem sustinuit contumeliam, irrisionem, verbera, sputa, flagella & crucis tormenta: quin & pro inimicjs suis orauit, nec poterant tanta illi tormenta inferre, quin multo plura desideraret pati ob patris honorem, & animarum salutem. Igitur hęc omnia tibi quoq; toleranda sunt in primis, ne corde, verbo, aut opere vllum prę te feras rancorem siue vindictam: secundò, ne amaritudinem siue tristitiam, quę ex ꝓprio oritur amore, in corde geras: sed grauioribus te malis dignum arbitrans, omnia humiliter sufferas, teque ad omnem futuram aduersitatem voluntariè offeras: & tertiò, vt per patientiam affectionis, quo conformeris dominicę passioni, omnia aduersa cũ magno desiderio expectes & suscipias, plura semper tolerare paratus. Hinc magnam obtinebis diuini amoris abundantiam, cunctas aîæ tuæ vires penetrantem: adeò vt dolorem nõ sentias, sed persecutores tuos, velut intimos amicos magno amore prosequaris.

1. Patientiã oris.

2. Cordis.

3. Affectiõis.

¶Duodecima est pfecta mortificatio omnis ꝓpriæ voluntatis, cum plena tui resignatiõe ad omnem internam derelictionem & pressuram sustinendam, pro amore Dei. Quia igitur nihil homo preciosius habet libero arbitrio, ex cuius abusu mox omnia pullulãt vitia, ideò si illud Deo resignauerit, protinus subuerso hoc fundamento, corruent omnia vitiorum germina. Porrò imperfectos iuuat vouere alicui obedientiam, & se traderẽ alterius volũtati. Perfectis autem necesse est habere voluntatem submittendi se alijs, quando Deo placuerit: Omnibus autem hominibus expedit beneplacitam Dei

XII. Voluntãt propriæ.

voluntatem

1. Obedientia voti. indesinenter intrinsecus obseruare & exequi. Obedientia igitur voti, debet esse foris in operibus: & obedientia conformitatis, intus in prompta voluntate conformandi se volũtati superioris sui: idque purè pro amore Dei, absq; vllo respectu gratiæ humanæ, ita vt indè exoptet potiùs abijci & contemni, quàm laudari aut muneris quippiam capere.

2. Cóformitatis.

3. Vnionis. Tertia autem obedientia, quæ dicitur vnionis cum Deo, tam perfectè vnit voluntatem nostram diuinæ voluntati, vt vna iam sit voluntas effecta: ita vt quicquid Deus circa nos fieri permittit, etiam in omni interna pressura & desolatiõe, totum ex cõstitutione immensi amoris & misericordiæ Dei prouenire fateamur, & summo suscipiamus affectu, quantumuis etiam arduum, ignominiosum aut molestum sit, in tempore & æternitate, iuxta exemplar dulcis IESV, qui ab agonia in horto vsq; ad mortem crucis, omni affluentia sensibilis gratię, quasi inimicus Dei fuisset, vndiq; destitutus erat, stãs in maximis pœnis, in nudo dũtaxat essentiali amore perfectè resignatus.

Matt. 26.

Vnio virium cum Deo.

¶His duodecim mortificationibus adeptis, iã spontè absque vllo medio vires animæ nostræ fluere poterunt & quiescere in Deo sua origine. Verùm vt clariùs dinoscas, qualiter verum amorem & stabilem vnionem inter Deum & animæ tuæ vires posſidere queas, videlicet in ornatu vitæ actiuæ per humilitatem, obedientiam, cæterasque virtutes morales, & in eiusdem profectu, per fidem, spem & dilectionem: atq; in vita contemplatiua spirituali, per ignitas aspirationes, & dona Spiritussancti, aliaque pia exercitia, obserua diligenter quæ in subiectis breuiter explicata offendes.

Exerciti-

Exercitium cruciforme ad vulnera Domini Iesu.

De odio omnium peccatorum, & acquisitione virtutum oim D. Iesu. Exer. VII.



Eptimò exerceas tete in vero cõstantiq; odio oim peccatorum, ita vt nunquam illa admittere velis, quantumuis etiam minuta fuerint, pro quocũque damno, vel scandalo, siue tormento euadendo. Omne nanq; vitiũ extirpatum sit oportet, antequam succedat virtus, & antequam in cor Iesu ad vnionem spiritus intrare permittaris. Nihil ergo ita odies, sicut peccatum etiam exiguum, quia diuidit inter Deum & animam tuam. Peccata.

¶Secundò exercebis te in assidua perquisitione & amore oim & singularum virtutum, quanlibet mirę ac multiplices fuerint: Immo si scires singulas guttas maris esse virtutes, laborãdum tibi foret pro ijs oĩbus obtinendis, pro summo Dei honore. Enimuerò totũ corpus tuum Christo crucifixo semper & vbiq;, quantũ tibi possibile fuerit, conformando, virtutibus exornes & crucifigas oportet, iuxta exemplar corporis Christi Iesu, qui semp crucifixus vixit, & crucifixus ex hoc seculo migrare voluit, idq; ex suo infinito ad nos amore, q semper in eo recens fuit, instar amoris noui sponsi. Idcirco noster amor semper recens esse debet erga ipsum, instar noui amoris, quem gerit fidelis spõsa erga amantissimũ sponsum. Et ex isto amore sugere & in nos attrahere debemus ex illius corpore, has qnq; nobilissimas virtutes cũ filiabus suis, casq; ita fortiter imprimere in aĩam

& corpus nostrum, vt instar stellarum semper reluceant ex nobis.

I. Humilitas. ¶Primam virtuté, videlicet veram humilitaté, portabis in pedibus tuis: rogabisque dominum Iesum per vulnera sanctissimorum pedum suorum, & per infinitã humilitatem suam quam semper exhibuit, præsertim in assumpta humanitate, vt tibi concedat in omnibus tam humilem existere, quantum eius gratissima voluntas à te exigit. Hanc autem humilitatis virtutem tum demũ perfectè adeptus eris, quum semper ingemiscis, plangis & contristaris, quoties tibi beneficium aliquod aut honor exhibetur, quo te nimirum indignum recognosces: & qu'um perfectum in te desiderium omnis contemptus perseuerat, inter omnia scandala, iniurias, contumelias, pœnas & dolores, quæ tibi irrogantur, quibus te dignissimum iudicabis.

Obedietia ¶Humilitas deinde parit tres filias, videlicet Obedientiam, Patientiam, Custodiam linguæ. Verus obediẽs, non solùm obedit suo superiori, & promissis seu votis suis, sed etiam omnibus creaturis. Verus patiens, portat & suffert omnia pro honore & amore Dei, quãtumuis aspera sint, quæ Deus ipsi euenire permittit. Etenim attendit, quàm patiẽter Dominus Iesus omnes suas cruces pertulerit nostra salute. Humilis interdum non multa loquitur, quanuis sit sapiens & eruditus, quia locutione non omnia obtinentur, meliusque fuerit bene viuere & paucis dicere quod nôris. Et ideo verus humilis parum loquitur, obediens & patiens est, atque custodit linguam suam.

Patientia.

Custodia linguæ.

II. Sapientia. ¶Secunda principalis virtus est vera sapientia, in oĩbus cogitationibus, verbis, & operibus tuis exercenda: quæ tam fortiter ac rationabiliter te gubernabit, vt nihil

nihil liceat tibi cogitare, loqui, neq; agere, quantumuis etiam paruum sit, vt est articulũ aliquem corporis mouere, nisi ex vera ratione & permissu Dei. Hanc sapientiæ virtutem portabis in capite tuo, imprimesq; caput tuum in transfixum caput IESV Christi, obsecrando eum per dolorem sanctissimi capitis sui, vt tuum caput sua diuina sapientia exornare velit, quantum ipsi visum erit & sciuerit tibi necessarium fore, pro suo summo honore, tuaque & proximi tui salute. Enimuerò sapientia hæc maximè necessaria est ad omnem spiritualem vitam, ordine ac iuxta rationem instituendam & consummandam.

¶Sapientia generat tres filias, videlicet Timorem Domini, Discretionem, & Simplicitatem. Sapiens Deum nunquam offendit: quia qui peccat, sapiens non est: & vbicunq; vera habitat sapientia, ibi etiam timor domini inuenitur. Et hoc timore oportet nos semper ornatos esse, more filiali, non seruili. Indè suapte sponte sequitur Discretio, quæ medium virtutis modumq; & mensuram in omnibus seruare cótendit, ne quid nimis, minusque iusto agens, Deum offendat. Sancta autem simplicitas est, omnem duplicitatem & multiplicitatem & curiositatem vitare, & vni summo bono inhærere, & omnia bona & mala immediatè à Deo, & non à creaturis recipere, & rursus in Deum referre, sapienterque in omnibus voluntatem & ordinationem Dei obseruare, Deoque & omnibus creaturis propter Deum obedire, simpliciter & perfectè omnia in Deo resignato animo faciendo, cùm suauitate, non cum impetu: quia Deus omnia operatur, si ei locum dem⁹. Absq; simplicitate, sapientia esset nimis curiosa & superba. Vbi autem verus Timor, prudens discretio, & pura simplicitas possidentur,

Timor domini.

Discretio.

Simplicitas.

tur, error aut peccatum haud facilè subrepere poterit.

III. Charitas. ¶Tertia principalis virtus est vera Charitas DEI. Hanc virtutem portabis in corde tuo: attendensq́; tráſfixum cor Ieſu Chriſti, cor tuum in illud imprimes, obſecrabisq́; eundem per amoré diuini cordis ſui, & p humanum transfixum cor ſuum, vt per eadem largiri tibi dignetur perfectum ſui amorem.

¶Charitas Dei parit has tres filias: fidem, Spem, & in omnibus virtutibus Perſeuerantiam. Sed hinc omnis noſtra exoritur defectio, qua non perſeueramus, eo quod charitas noſtra ſatìs magna non eſt, quæ perſeuerantiam parere poſsit. Nam qui ex vera charitate rem aggreditur, quantumuìs arduam & mirabilem, non ceſſabit donec eam obtinuerit: quia charitas gignit fidé qua mira operari poſſumus, ſicuti etiam per ſpem firmam in Deum, qua habitamus confidentes in adiutorio altiſsimi, non in noſtris viribus.

Perſeuerãtia. Fides. Spes.

IIII. Iuſtitia. ¶Quarta virtus principalis, eſt Iuſtitia, quam portabis in manu tua dextera: attendesq́ue dexteram Ieſu Chriſti, quomodo propter iuſtitiam clauis affixa fuit cruci: obſecrans ipſum ferueuter per acerbiſsimam pœnam, quam ſuſtinuit in vulnere manus ſuæ dextræ propter iuſtitiam, & per amorem qui ipſum hanc ſuſtinere coëgit, vt tibi dare dignetur veram iuſtitiá in omnibus operibus tuis: vt reddas Deo, quæ illi debentur, videlicet omnem honorem & gloriam & gratiarumactióem, in omnibus cogitationibus, verbis & operibus tuis: ſimiliter tuo ſuperiori, & æquali, & inferiori, quæ illis debentur: & corpori tuo in cibo, potu, veſtibus & alijs neceſſarijs, non plùs, nec minùs, quàm tenearis.

¶Iuſtitia parit tres filias, Miſericordiam, Veritatem, & Gratitudinem. Iuſtitia eſt mirabilis virtus, quæ

quæ dat vnicuique quod illi debetur, & parit misericordiam. Vera misericordia primùm miseretur animæ proximi, vt si verbi gratia, pauper eleemosynam à te petierit, principio ipsi, si oportunè potueris, & fructum speres, cognoueris que illum aliquo vitio laborare aut periclitari, spiritualem eleemosynam impertiri tenéris pro cibo animæ, quæ primo loco tibi pascenda est, vbi defectum vel penuriam patitur, quæ melior est corpore. Iustitia etiam veritatem parit, quę in omnibus DEVM quærit. Parit etiam gratitudinem. Nec eñ fieri potest, quin iustus gratias agat Deo, & omnibus qui ipsi viam monstrârunt ad Deum, & cooperati sunt pro salute animę suę.

Misericordia.

Veritas.

¶Quinta virtus est, vera & diuina fortitudo in omnibus virtutibus adimplendis, & in omnibus vitijs eradicandis. Vera fortitudo nihil curat, neque timet diabolum, nec homines, neque mundum, neque propriam carnem, sed confidenter procedens & pertransiens, facilè contemnere potest omnia, propter DEVM, à quo fortitudinem illam accepit. Quum autem tentatio aliqua hominem appræhenderit, qua penè in ruinam impellitur, tum diuina fortitudo homini sucurrit, suggerit que dicens: Quidnam vis agere? Vis Deum tuum offendere? Quorsum tendis? Vbi & sicuti iam bene es, ita permaneas, ne deteriora tibi contingant. Hanc veræ fortitudinis virtutem portabis in sinistra manu tua: attendens que sinistram manum Iesu Christi, ipsum obsecrabis per dolorē huiꝰ vulneris sui, & per mirabilem fortitudinem, quam in omnibus operibus suis exhibuit, vt veram tibi fortitudinem infundere dignetur, quanta tibi necessaria est pro eius summo honore & tua salute.

V. Fortitudo

¶Fortitudo has tres generat filias, videlicet Castitatem, Sobrietatem, Paupertatem. Homo fortis nusquam heret neque moratur, sed fortiter pertransit vniuersa quæ in mundo sunt, quasi ad eum non pertinerét: neque veretur aquam adire & ignem, diuino adiutorio fretus, donec obtinuerit quod desiderat. Homo fortis facilè in omnibus contentus est, etiam frusto panis, vestitu simplici, & vili supellectili: quandoquidem studet æquabiliter Deo omni tempore adhærere. Idcircò castitatem generat, quia omnem immũditiam Deo exosam, detestatur. Sobrietatem quoque parit, quia nullam sciens admittit superfluitatem. Paupertatem autem producit, quia nullam omnino rem mundi vult possidere. Et re vera paupertas voluntaria, mirabile & optimum est medium ad Deum posidendum.

Castitas.
Sobrietas.
Paupertas

¶Et has, quas prædiximus, virtutes oẽs domini nostri Iesu Christi, per totam vitam tuam ab ipso postulare, & tuo corpori & animæ imprimere debes: conformando te in his virtutibus domino Deo tuo pro te crucifixo, quantum tibi posibile fuerit: semper & vbique imaginem crucifixæ vitæ & mortis suæ, in ipsis quas prædiximus, virtutibus, aut saltem in quinque illarum præcipuis, contemplando & imitando, teque in eius cruce extendendo & configendo: ita vt quôcunque te vertas, ad dextram siue ad sinistram, semper vnam ex virtutibus IESV, in ea, quam tunc attendis, parte corporis tui, videas collocatam, & tibi imitandam. Neque enim Dominus Iesus vllum suæ mortis vult facere participem, qui propter ipsum carnem cum vitijs & concupiscentijs suis crucifigere & mori recusauerit. Porrò quanuìs nostræ vilissimæ carnis crucifixio &

mors

mors nihil penitus sit comparatione crucis & mortis Dei nostri, dignatur tamen mitissimus Dominus ex infinita pietate sua, gratas habere modicas cruces, quas amore sui sponte tollimus, aut ipsius promissione, per internas derelictiones & tentationes, aut per externas iniurias, pressuras & dolores nobis impositas portamus. Nam æquè gratum illi est, vndecunque super nos cruces ceciderint, modò propter ipsum nostræ propriæ voluntati siue cupiditati moriamur.

¶Istud verò VII. exercitium, vnà cum XIIII. exercitio sequenti, postquam semel diligenter peregeris, & bene imbiberis, deinceps vsque ad finem vitæ tuæ non deseres. Quinimò habitualiter in animo tuo omni loco & tempore circunferes: & semel in die deuotè exercebis: & tempore tentationis aut ariditatis, pro scuto & excitamento feruoris arripere non negliges: vt sic CHRISTVM induere, in ipsum transformari, & per eius humanitatem in diuinitatem intrare merearis: vt tu decæterò maneas in Deo, & DEVS in te. Inspice igitur & fac omnia secundum exemplar, quod tibi in monte Caluariæ monstratum est, à monte montium, sancto sanctorum, summo sacerdote Christo Iesu, imprimendo perfectissimas virtutes eius exteriori homini, & infinitam charitatem eius tuo homini interiori. Exod. 25.

Exercitium VII. iam dictum, in orationis formulam practicè redactum, mente tamen exercendum,

ctionem, ita vt nunquam fatiger in abnegando meam propriam voluntatem, in ſubdendo carnem ſpiritui, & in obſeruando & adimplendo humiliter tuum beneplacitum intus, & in obediendo non ſolùm ſuperioribus meis, ſed etiam omnibus creaturis, quantum licuerit foris: ita vt nihil vnquam cum proprietate & adhæſione faciam, ſed perpetua quadam mentis ſubmiſsione ad pedes tuos iacens, nihil de me & creaturis omnibus in tempore & æternitate deſiderem, niſi tuam ſanctiſsimam noſſe & exequi voluntatem, dicendo ſemper in deſiderio animæ: Domine, quid me vis facere? omni mea volũtate in tuam voluntatem tranſfuſa penitus, amiſſa, & ad nihilum redacta.

¶Da quoque mihi imitari tuam ſtupendam patientiam & manſuetudinem, qua omnem paupertatem, contumeliam, pœnam & dolorem, de manu paternæ prouidentiæ tuæ, æquali & grato animo ſuſcipiam, & maioribus malis me dignißimum agnoſcens, grauiora ſemper pati deſiderem, & adeò longanimiter, ex deſiderio conformitatis crucifixæ vitæ & mortis tuæ, ea omnia ſufferam, vt nihil in me notetur humanum, ſed ſit vita mea tecum abſcondita in Deo. Patientia.

¶Da mihi tui exemplo humilem taciturnitatem, qua intus tua verba diligenter auſcultans, foris ab omni ocioſo, mendaci, & noxio verbo loquendo vel audiendo, ſtrictè abſtineam: & ſola neceſſaria & vtilia paucis humiliter dicam, magisq; curem bono exemplo docere, quàm verbo. Cuſtodia linguæ.

¶AD CAPVT IESV.

O Dulciſsime Domine Ieſu Chriſte, obſecro te per acerbiſsimum dolorem vulnerati capitis tui,& infinitum amorem qui húc te ſubire coẽgit,imprime caput meum in ſpinis compũctũ caput tuum:& exorna caput meum tua diuina ſapientia, quantum mihi expedit pro tua gloria, & mea ſalute: (Nam hæc virtus mihi ad ſpiritualem vitam maximẽ neceſſaria eſt)& per eandem me foris & intus ita gubernare digneris,vt nihil vnquam cogitem,dicam, agam,aut patiar quantumuis exiguum, niſi expenſis primùm illius circunſtantijs & fine, ex illuminata per te ratiõe, & interna tua licentia,hoc tibi placitum cognouero. Intellectum quoq; meum per eandem clara tuę bonitatis & voluntatis,& eregione meijpſius & omnium rerum vilitatis ac nihili cognitione illuſtra. Et affectum meum tuæ dilectiõis & dulcedinis guſtu,inſatiabili quoq; te honorandi & me contemnendi deſiderio inebria: & terrena omnia mihi in amaritudinem conuerte,meq́; ſurdũ,cæcum, & mutum ad omnia, quæ tu non es, potenter effice,tanquam mox ex hoc ſeculo migraturum.

Sapientia.

¶Da mihi filialem tui timorem, perpetuumq́; odiũ omnis peccati etiam minimi, ſtrictamque mei interioris & exterioris hominis cuſtodiam: vt ſemper vno oculo introuerſo,verba & opera mea præcogitem, & ante ſingula tuum diuinum auxilium deuotus inuocem:& mox vbi aliq̃d rationi contrarium deprehendero,ſtatim ceſſem, ne gratiam tuam amittam, aut oculos tuæ pietatis offendam.

Timor domini.

¶Da mihi clarã ſpirituũ diſcretionẽ,qua oẽs laqueos diaboli,ꝓprias quoq; naturę quæſitiões,errores & exceſſus lympidè cognoſcere & vitare, & vniuerſa q̃ mihi incũbũt,prudẽter aduertere, rectè diſcernere,& ſuis de bitis

Diſcretio.

bitis modo, ordine, tẽpore exequi valeam: & inter plus & minus, medium virtutis attingam.

¶Da mihi sanctam paruulorum simplicitatem, qua ab omni duplicitate & multiplicitate, curiosa quoque perscrutatione in intellectu, proprio amore & quęsitione in volũtate ac cogitationibus, curis & imaginibus in memoria denudatus, clausisq; & introuersis sensibus & viribus meis, sedulus meiipsius inhabitator effectus, simplici cogitatione & desiderio, vni tibi simplici Deo adhæream, reuerenterq; in præsentia tua ambulem, solicitus seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Et sic omnes cogitationes, verba & opera mea diligenter obseruem, & ex simplici sub te & alijs hominibus obedientia, absq; adhæsione, in te & per te perficiam. Et omnia accidentia bona & mala, de manu prouidentiæ tuæ immediate suscipiam, & referam in te: & ad singula me statim in meum nihilum intrò recipiam, & tibi primùm ex illis laudem debitam offeram: deinde attendens quid per ea à me fieri velis, siue quorsum hæc mihi seruiant, aut me moueãt, videlicet vt orem, aut gratias tibi agam pro alijs, aut pro me, propter bona data, aut mala permissa siue ablata: vel vt meipsum humiliem, custodiam, & resignem, aut certè vt agnoscam & emẽdem culpam, infirmitatem, aut negligentiam: siue vt aliud quippiam faciã: (nam sine causa nihil mihi aut vlli creaturę permittis accidere) hæc, inquam, vigilanter aduertens, aliquam ex singulis euentibus virtutem hauriam, & tuam voluntatem in omnibus sapienter & simpliciter adimpleam, omnem propriam quæsitionem semper & vbiq; repudiando. Simplicitas.

¶AD COR IESV.

Charitas. O Dulcissime dñe Iesu Christe, obsecro te per ardentissimum diuini cordis tui amoré, & per humanum transfixum cor tuum, & pressuras eius, imprime cor meum in transfixum cor tuum, & reple illud perfectissima charitate, quæ omnem priuatum amorem erga meipsum & creaturas, in me funditus occídat: & sagitta tui igniti amoris adeò vulneret & accendat, vt te dulcissimum Dominum Deũ meum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus viribus meis, purè propter bonitatem tuam, absq; vlla retributionis contemplatione perfectissimè diligere, magna dimittere, operari & pati valeam ex amore propter te, & in his perseuerare vsq; in finem. Et flammigeris infinitisq; desiderijs & orationib⁹, pro perfecta mei abnegatione & amorosa tecum vnione obtinendis, ad te indesinẽter suspirem, clamem & pulsem: teq; semper cogitem, te loquar, te esuriam & sitiam, te quæram & inueniam, donec totus in te trãsformatus, vnus tecum spiritus fiam, in te perpetuò manẽs, & tu in me. Da mihi quoq; eadem charitate diligere om̃em hominem in te, & propter te, sicut meipsum.

Fides. Intentio. ¶Da mihi fidẽ viuã & fortẽ, quę mira & grãdia operet pro honore tuo: atq; intentionẽ rectã fidei lumine illustratã, quę in cunctis agendis siue tolerandis, simplicem puræ mentis oculũ, ad tuã gloriã & beneplacitum dirigat, & omnem quæsitionem naturæ ad seipsam reflexę, protinus rescindat reijciatq;.

Spes. ¶Da mihi firmã ad te spem & confidẽtiã, qua anima mea supra omnem labentiũ rerum vicissitudinem in te leuata, vniuersos motus suos absq; solicitudine & imaginum attractione, adeò purè in te manens exequatur, vt amorosum in te influxum nunquam impediat vel amittat,

amittat, ſed etiam inter aduerſa & pericula quæcunq;, plena fiducia, tuam prouidentiam longanimiter expectet: atq; orationes ſuas propter infinitam bonitatem tuam exaudiendas, humiliter ſperet, abſq; hæſitatione vlla habitans in adiutorio & protectione tua.

¶ Da mihi ſtabilitatem & perſeuerantiam, ex forti amore procedentem, qua continuo proficiendi ſtudio, iuxta ſanctiſsimæ vitæ tuæ ſpeculum ſæpius attendendum, quæ retrò ſunt oblitus, me in anteriora extẽdam, frequenter diſcutiam, & ſæpiùs diſtractus, nouo feruore ad te reuertar, & per aquam & ignem tranſiens, vſq; in finem perſeuerem. Perſeuerantia.

¶AD DEXTERAM.

O Dulciſsime Domine IESV Chriſte, obſecro te per acerbiſsimum dolorem, quem ſuſtinuiſti in vulnere manus tuæ dextræ, & per infinitum amorem, qui hunc te ſuſtinere coegit propter iuſtitiam, pro noſtri redemptione, da mihi perfectam iuſtitiam, qua tibi DEO meo omnem attribuam honorem, gloriam & gratiarum actionem, atque obedientiam, in omni cogitatione, verbo, & opere meo: & meis ſuperioribus, æqualibus, & inferioribus, animæ quoque & corpori meo reddam, quæ illis debentur. Omnia verò debita, quæ iuxta ſtatum meum mihi ſoluenda incumbunt, tempore congruo ſumma cum deuotione perſoluam: & prohibita fugiam, atque pro omnibus peccatis & negligentijs meis, pœnitentiæ & amoris lachrymis quotidie meipſum mactans, in hoc ſeculo per meritum paſsionis tuæ expurger: ſicq; dignè ambulem vocatione qua vocatus ſum, vt creaturam decet rationalem. Iuſtitia.

Misericordia. ¶Da mihi quoq; imitari propensissimam misericordiam, compassioné, benignitatem, & liberalitatem tuam erga omes homines, etiam meos aduersarios, vt nemini vnquam irascar siue succenseam: neminem odiam, iudicem, contemnam, contristem neq; lædam: sed oẽs sine personarum acceptione, materno affectu in te diligam & honorem: omnibusq;, præsertim afflictis, tentatis & inimicis, fideliter seruiam, benefaciam, & oratione & subsidio quocũq; pro viribus succurram: animarum salutem ante omnia sitiam & quæram, atque pro eorum malis intimè doleam, & orem: & pro bonis gratias agam, sicut pro meipso fieri optarem.

Veritas. Zelus. ¶Da mihi imitari tuá veritaté, & strenuũ zelũ, contra mea & aliorum vitia, qui pro tui honore & animarum salute, me totum comedat, & vitam meam & opera, cum corde & verbis aptè consentire faciat, & sanctissimæ vitæ tuæ virtutibus vbique conformet.

Gratitudo ¶Da mihi intimam gratitudinem, qua omnia beneficia abs te & à creaturis mihi impẽsa, humiliter recognoscam, dignè ponderem, & summa deuotione te laudando, tibiq; gratias agẽdo, tuæ bonitati (ex qua manârũt) purè absq; vlla subtractione, adscribere illa & accepta referre studeam: & me velut omnibus indignum & abutentem, in profundum meum nihilum demergam, in nullo prorsus dono tuo vel modicùm oblectari aut requiescere præsumens.

¶AD SINISTRAM.

Fortitudo O Dulcissime Domine Iesu Christe, obsecro te per dolorem, quem sustinuisti in sinistra manu tua, & per mirabilem fortitudinem tuam, quam exhibuisti in omnibus operibus tuis, infunde mihi tantam fortitudinem, quanta mihi necessaria

ria est, pro tua gloria & mea salute, qua dominari valeam animo meo, viribus quoq; & sensibus meis, ita vt neq; homines, neq; dæmones, nec mũdum, nec carnem propriam timens, confidenter pertranseam & contemnam vniuersa, tanquam ad me non pertinentia, propter te, qui mihi hanc fortitudinem dedisti, & nusquam hæream neq; cessem, donec obtinuero quod desidero, videlicet vt vnus tecum spiritus fiam & maneam.

¶Da mihi tuam amabilem imitari castitatem corporis, & puritatem cordis, qua omnem immunditiam vehementer detestans, vniuersas cogitationes & sensus meos ab omni peccato & eius occasionibus, & ab omni impuritate & adhæsione creaturarum, indesinenter custodiam, & ab immundis incidentijs sine mora forti ad te cordis conuersione, quoties inciderint, integra voluntate semper recurram, atq; sic nudo intellectu & affectu tibi semper adhæream. Castitas.

¶Da mihi imitari tuam sanctissimam sobrietatem, qua omnes vires & affectus animæ, & sensus corporis mei, ab omi inordinata delectatione & superfluitate restringam & mortificem: & sola necessaria, absq; desiderijs, cum magno tui timore, & affectus auersione moderatè vsurpem, supremis animæ viribus in amorosa tui vnione fortiter permanentibus, & ad te suspirantibus. Sobrietas.

¶Da mihi imitari quoq; tuam voluntariam paupertatem, quæ mirabili compendio hominem in Deum ducit, & da mihi per illam ab omi amore, adhæsione & delectatione in donis tuis spiritalibus intrinsecùs, & ab omni affectu rerum temporalium extrinsecùs, adeò nudum & absolutum & pauperem spiritu fieri & manere, vt etiam rebus necessarijs vtar cum dolore & fastidio: & nihil vnquam possidere desiderem, sed nudus intra Paupertas

nuda

nuda brachia tua crucifixus requiescam, nihil in me reseruans, nisi intentionem tibi placendi & locum dandi, quo id potero modo perfectissimo.

Idem, sed breuius atque cōpræhēsius.

AD VVLNERA PEDVM IESV.

GRatias tibi ago humilimè Iesu, pro incompræhensibili amore & dolore vulnerum sanctissimorum pedum tuorum: simulque in ea proijcio meipsum totum, & oīa peccata & delicta totius anteactæ vitæ meæ, præsertim omnem meam

1 Superbiam, vanam gloriam, & arrogantiam:

2 Voluntatem propriam, inobedientiam, irreuerentiam erga te tuosq; vicarios:

3 Impatientiam, iracundiam & rancorem:

4 Loquacitatem, detractionem, vitiaq; his cognata: vt aboleantur & expientur precioso sanguine tuo: obsecrans te per ineffabilem humilitatem, obedientiam, patientiam, & taciturnitatem tuam, vt has easdem virtutes, & omnes earum species, mihi largiri digneris: quò per gratiam tuam, in cunctis deinceps verbis, cogitationibus, & operibus meis sim verè

1 Humilis, subtus omnem creaturam ad nihilum me redigendo:

2 Obediens, sub te & omni homine propriam voluntatem meam abnegando:

3 Patiens, omnia aduersa de manu tua auidè recipiendo:

4 Taciturnus, solis tuis verbis in silentio intus auscultando:

Atq; in omni vita, maximè terribili mortis hora, sit mihi cer-

hi certum in his sacris vulneribus refugium.

¶AD CAPVT.

GRatias tibi ago sapientissime Iesu, pro amore & dolore sacrosancti capitis tui, crudelissimè spinis compuncti, & dirè cæsi: simulq; in eius innumera vulnera, infirmũ caput meũ cũ virib⁹ & sensib⁹ meis & oĩa peccata & delicta mea ꝓijcio, præsertim
Omnem proprij sensus & prudentiæ pertinaciam, sensuum abusum & dissolutionem: 1
Timoris tui neglectum, adulationem & timorem hoĩm: 2
Indiscretionem & immoderationem meam multam: 3
Impuram intentionem, & propriam quæsitionem, vitiaq; cuncta huc pertinentia, vt expientur precioso sanguine tuo. Obsecroq; te per ineffabilem sapientiam, timorem, discretionem, & simplicitatem tuã: vt has easdem virtutes, & omnes earum species mihi largiri digneris: quò per gratiam tuam in cunctis deinceps cogitationibus, verbis & operibus meis sim verè 4
Sapiens, nudis intellectu & affectu tibi adhærendo: 1
Piè metuens, ne te offendam, foris & intùs me obseruando. 2
Discretus, inter extrema medium virtutis attingendo: 3
Simplex & introuersus, in te vno habitando, teque solum purè quærendo: 4
Atq; in omni vita, præsertim mortis angustijs, sit mihi certum in tuo vulnerato capite refugium.

¶AD DVLCISSIMVM COR IESV.

GRatias tibi ago amantissime IESV, pro infinito amore & dolore dulcissimi cordis tui, lancea militari, sub aspectu tristissimæ matris tuę dirè confossi: simulq; in ipsum toti⁹ boni fonté, totũ cor meũ, cũ oĩbus affectibus suis cõmendo, proijcio & resigno:

gno: atq; vnà omnia peccata & delicta mea, præſertim
1 Omnem amorem priuatum & vitioſum quarũlibet rerum creatarum, Sacramentorum donorumq́; tuorum abuſum & negligentiam:
2 Diffidentiam,infidelitatem,& errores:
3 Temeritatem,puſillanimitatem,& deſperationem:
4 Eorum quę ſtatus mei ſunt,incuriam & inſtabilitatem: vitiaq́; cuncta huc pertinentia: vt aboleantur & expientur precioſo ſanguine tuo. Obſecroq́; te per ineffabilẽ charitatem, fidem,ſpem,& cõſtantiam tuam,vt has eaſdem virtutes tuas, & omnes earum ſpecies mihi largiri digneris:quò per gratiam tuam,in cunctis deinceps cogitationibus,verbis,& operibus meis ſim verè
1 Feruidus,te vnum totis viribus diligendo & ſuſpirãdo:
2 In proſperis & aduerſis,plena fide & ſpe tibi iñnitendo & adhærendo:
3 Stabilis,continuo proficiendi ſtudio me extendendo:
4 Atq;in omni vita mea,maximè tremenda mortis hora, ſit mihi ſecurum in hoc fidiſsimi cordis tui vulnere refugium.

¶AD DEXTERAM.

GRatias tibi ago iuſtiſsime IESV, pro incompræhenſibili amore & dolore vulneris ſanctiſsimæ dexteræ tuæ:atque in ipſum me totum proijcio, ac omnia peccata & delicta mea:præſertim
1 Omnẽ meam iniuſtitiã erga te & creaturas tuas:
2 Cordis aſperitatem,diſplicentiam,& inuidiam:
3 Falſitatem,mendacium,& hypocriſim:
4 Ingratitudinem erga tua & tuorum beneficia: vt aboleantur & expiẽtur precioſo ſanguine tuo. Obſecroq́; te per ineffabilẽ iuſtitiam, miſericordiam,veritatem,& gratitudinem tuam,vt has eaſdem virtutes, &

omnes earum ſpecies, mihi largiri digneris: quò per gratiam tuam in cunctis deinceps cogitationibus, verbis, & operibus meis ſim

Iuſtus, vnicuiq; ius ſuum tribuens: 1
Miſericors, omni creaturæ bene volens & faciens: 2
Verax & zeloſus, me totum tuo exemplo conformans: 3
Gratus, te ſemper benedicens, & benefactoribus vicem retribuens 4

Atq; in omni vita mea, maximè pauenda mortis hora, ſit mihi certum in hoc ſacro vulnere refugium.

¶AD LAEVAM.

GRatias tibi ago fortiſsime Ieſu, pro incompræhenſibili amore & dolore vulneris ſiniſtræ manus tuæ: atq; in ipſum me totum proijcio, & oĩa peccata & delicta mea, præſertim

Omnem ignauiam, torporem, & tẽporis perditionem: 1
Impuritatem mentis & corporis: 2
Intemperantiam cibi, potus, & aliorum neceſſariorum, 3
Auaritiam & cupiditatem, vitiaq; huc pertinentia: vt 4
aboleantur & expientur precioſo ſanguine tuo. Obſecroque te per ineffabilem fortitudinem, puritatem, temperantiam, & paupertatem tuam: vt has eaſdem virtutes, & omnes earum ſpecies, mihi largiri digneris: quò per gratiam tuam, in cunctis deinceps cogitationibus, verbis, & operibus meis ſim verè

Fortis, nuſquam hærens, ſed caduca omnia deſpiciens: 1
Caſtus, ſenſus & vires meas in puritate cuſtodiens: 2
Sobrius, ſola neceſſaria cum timore percipiens: 3
Pauper ſpiritu & rebus, in te ſolo quieſcens: 4

Atque in omni vita mea, præſertim tremenda mortis hora, ſit mihi certum in hoc ſacro vulnere tuo refugium.

¶Vt autem iam dicta omnia impetrare dignus sim, efficiat apud te Deus meus singulare præsidium infirmitatis nostræ, dulcissima mater tua, semperque virgo Maria, cuius ista sanctissimis ac nitidissimis manibus commendo, vt per eam admitti mereantur in conspectum tuum, mihique veniam reportent & gratiam. Amen.

De pleniori conformatione &transformatione in crucifixum. Exercitium VIII.



Ctauò exercebis te in integra acutaque meditatione vitæ & passionis Christi, imprimendo vitam, passionem & mortẽ eius profundè in animam & carnem tuam, vt semper, sicut lucerna, ex te relucere possint, & de illis semp cogites & loquaris. Quia Christus Iesus per eadem nos redemit, quando diabolus nos vt seruos possedit, vt nunc ad patrem pertineamus, qui nos per vnigenitum filium suum emit, soluendo per eũdem debita nostra, quibus illi eramus obligati. Et hui⁹ maximi beneficij gratia, perpetuò manemus illi debitores. Quòd si debitum hoc gratè ac piè eidem soluere velimus, vitam, passionem & mortem ipsius in animæ nostræ vires, corporisq; sensus, & carnẽ, imprimamus, assumam⁹ & imitemur oportet, quasi vnũ cum vita & passione ipsius effecti. Et sic debitum, quod ipse pro nobis soluit, illi vtcunq; rependimus. Vt aũt perfectè idipsum implere valeas, necesse est vt omnes cogitationes, verba, opera, & mores tuos adeò conformes cogitationibus, verbis, operibus, & moribus Iesu Christi, vt

Vt redemptióis precium Chri sto soluamus.

vt vbicunq; visus, auditus siue tactus fueris, nihil in te inueniatur, nisi quod fuit in Christo Iesu. Et tũ demum videbitur in te, ꝙ sis verè Christianus.

¶Insuper quoniam illi similes sumus in humana natura, oportet vt nostram naturam eius exemplo crucifigamus, eo ꝙ ipsa peccatum spõtè elegerat: quemadmodum idem nos hortatur in euangelio, dicens: Abnega temetipsum, & tolle crucem tuam, & sequere me. Per hoc enim iubet, vt corpus, naturam & sensualitatẽ nostram per veras virtutes crucifigamus. Animas quoque nostras conformabimus tristissimæ animæ Christi, dolẽtes semper de inhonoratione Dei, animarum perditione, ac nostris & omnium hominũ peccatis: quia quantùm in istis deficimus, tantùm manemus Domino Deo nostro debentes. Certè fidelis amator Iesu tam profundè sese immergere & imprimere debet in vitam & passionem eius, vt eandem semper sentiat sibi magìs præsentem & infixam, quàm suam propriã crucem & afflictionem. Immo si singulari pœna ipse in aliquo membro torqueretur, magìs tamen sentire deberet passionem Christi, quàm dolorem quem in præsentiarum in eiusmodi suo ipsius membro pateretur. Idcirco magno desiderio orare non desinet Dominum Iesum, vt ipsum per ardẽtem, eleuatum & resignatum spiritum, tristem, compatientem & mortificatam animam, per afflictum, laboriosum & excruciatum corpus, suæ sanctissimæ crucifixe humanitati perfectissimè conformare dignetur, & ad minus aliquo cõtinuo dolore corporali omi monere tempore, vt suæ pastionis nunquam obliuiscatur, vt ipse in eo requiescere & operari delectetur absq; vllo impedimento

Vt christo conformemur.

¶Beatissimam igitur Domini Iesu passionem exer-

Vt perfe-

ctè transformeris í crucifixũ. cere debemus, primò ad imitandum, secundò ad compatiendum, tertiò ad admirandum, quartò ad exultandum, quintò ad resoluendum, sextò ad quiescendum.

I. Imitatio. Primò eam consideremus ad imitandum, quia ipsa est summa & pfectissima Christiani hominis imitatio. Hæc est enim summa & sanctissima religio, & religiosa perfectio: hæc est regula & exemplar perfectionis omis vitæ & virtutis, imitari Christũ in passione & morte sua. Sit ergo regula nostræ vitæ passio Saluatoris, in qua tanto amplius consolemur, quanto perfectius Christo conformamur: & tanto amplius desolemur, quàto longius ab hoc exemplari & regula separamur. Semper ergo quantum in nobis est, optemus ab omnibus conculcari, deijci, vilipendi, illudi, affligi, flagellari, & in diuinis obsequijs ab omnibus exprobrari. Simus nudi cum nudo, & nihil omnino habere cupiamus: immo habere aliquid, sit nobis grauissima pœna & dolor immensus: nihil verò habere, perfecta exultatio. Abhorream⁹ dulcia & delectabilia degustare, & potius velimus vilibus & amaris refici, & desideremus ꝙ quælibet cibaria felleum potius quàm melleum nobis adferant saporem: quia Christus Iesus felle & aceto pro nobis fuit potatus. Et vt breuiter dicam, consideremus qualiter ipse in passione sua se habuit, & conformemus nos eidem pro modulo nostro, quantum poterimus: ea tamen seruata vbiq; moderatione, vt ne excedamus mensuram infirmitatis nostræ.

II. Cõpassio. ¶Secundò exerceamus nos ad compatiendum DOMINO nostro innocentissimo, considerantes ipsius flagella, illusiones & opprobria, & in corde nostro ruminantes, quanta fuit in eius passione deiectio & cõtemptus erga Dñm nostrũ Iesum Christum, quàtus dolor, quan-

quanta afflictio in corpore & corde Iesu, tam ratione proprię passionis, quàm erga nos cõpassionis ob pecca ta nostra. Consideremus quanta tunc amaritudine repleta fuit angelorũ dulcedo, quantũq; aggrauabat eũ, nõ tantùm pœnæ illatio & nostra ingratitudo, sed & assistẽtis matris afflictio, quã tenerrimè diligebat, & quasi deficere præ compassionis dolore videbat. Ibi filius crucifigebatur cum matre, quia propter nimiam & ardentissimam dilectionem ex cõpassione mutua erat nimia afflictio vtriusq;, idq; maximè cũ pro seinuicẽ paterentur. Sciebat mater, ꝙ filius pateret ꝑ se.i. matre, sicut ꝑ reliquis redimẽdis: sciebat filius ꝙ suus gladiꝰ matris animã ex cõpassione pertransiret. Vnde passio filij erat passio matris. Eia ergo Christiane hęc volue ac reuolue in corde tuo, & totum cor tuum reple conuicijs & pœnis Domini & sponsi tui, videns illum tanta innocenter propter te sustinere. Si enim illi per amorem bene vnitus fueris, tunc valde compatieris eidem. Si autem non sentis dolorem capitis tui, quomodo es vnum cum illo? Certè sicut plùs compatiendũ est capiti, quàm cæteris membris: ita illi incomparabiliter plùs compati debes, quàm vlli etiam dilectissimo parenti, filio vel amico, immo plùs quàm tibijpsi, si hæc omnia prædicta patereris. Nunc ergo charissimi, felle, absynthio & myrrha iugiter inebriemur, & sola eius vulnera sentiamus, atque transfigant cordis nostri intima eius con uicia, flagella & vulnera, nec in nobis quicquam remaneat, quod non perfundatur compassionis dolore, & intensè affligatur.

¶Tertiò attendamus passionẽ Domini ad admirandum, considerantes quis, quanta, & pro quibus passus est, Quis patitur? Nimirum filius Dei, summè potens, III. Admiratio

ſapiens & bonus, idque adeò, vt quicquid bonitatis & nobilitatis ei attribuas, nihil ſit reſpectu magnitudinis ſuæ: omnia quantumlibet bona ſint & magna, velut fauilla ſunt, immo quædam vanitas in cõparatione illius.

Quanta. Quanta autem ſunt quæ patitur? Certè peregrinationem, fugam, famem, ſitim, frigus & æſtum, tentationes, horrores, perſecutiones, obſeruationes, ſputa, opprobria, vincula, flagella, illuſiones & dolores, plagas, vulnera & mortem. Conſpuitur enim gloria, cõdemnatur iuſtitia, iudex iudicatur, offenſus inculpatur, innocens infamatur, Deus blaſphematur, Chriſtus conculcatur, occiditur vita, obſcuratur ſol, luna denigràtur, ſidera diſperguntur. Et hæc om̃ia tolerat patienter vt agnus, qui ſolo nutu omnem ingratam creaturam demergere

Pro qbus. poſſet in profundum inferni. Sed pro quibus tanta patitur? Pro vilißimis mancipijs, pro ſceleratißimis inimicis, immo pro diabolicis viris, & per imitationem diaboli filijs, pro contemptoribus diuinæ maieſtatis, & diuinæ bonitati ingratis. Mirare igitur, quòd talis ac tantus, talia & tanta, pro vilißimis & abiectißimis paſ-

A quibus. ſus ſit. Cæterùm à quibus paſſus eſt? A ſuis electis & prædilectis, quibus omnem benignitatem oſtenderat, à vilißimis optimus, à ſtultis ſapientißimus, (quia Dei verbum & ſapientia) ab impijs pijßimus, à ſanie fœdißima ſplendor æternus. In his omnibus in diuinæ benignitatis & largitatis admirationem grata mente eleuemur.

IIII. ¶Quartò imprimamus nobis dominicam paßio-

Exultatio. nem ad exultandum. Exultare autem in ea debem⁹ cum intima gratiarum actione, de redemptione humana, reſtauratione angelica, & diuina clementia. De redem-

1 ptione humana, ſine dubio nimis gaudere debemus per

Chriſti

Chriſti paſsionem & mortem completa. Quis, quæſo, non exultabit & gaudebit, cernens ſeipſum per hanc beatiſsimam paſsionem liberatum à morte æterna, à culpæ ignominia, à poteſtate diabolica? Et quis non exultabit in immenſum, cernens Deum altiſsimũ ipſum intantum diligere, vt tantæ vilitati & afflictioni ſubiecerit ſeipſum, pro ſe redimendo? Non quòd gaudebit de Domini ſui abiectione & paſsione, ſed de eius effectu, affectuſque & amoris manifeſtatione. Quis princeps in regno vel imperio alicuius Imperatoris vel regis, cernens tantùm à Domino ſuo ſe diligi, vt paratus ſit mori pro ſe, non magnoperè gauderet & exultaret? Quanto magìs nos viliſsimi homines, & nefarij peccatores, & ſerui mali, gaudere debem⁹ & exultare, videntes regem regum & Dominum dominantium, & creatorem noſtrum Ieſum nos tanto amore diligere, vt immolàrit ſeipſum pro nobis in tam turpem & viliſsimam mortem? Gaudeamus igitur immenſa exultatione, quòd ſine cōparatione plus quemlibet noſtrum diligit, quàm 2
quiſque ſeipſum. Gaudeamus & exultemus, quòd per CHRISTI paſsionem reſtaurata eſt angelica ruina. Magna iucunditas debet nobis ineſſe, quum videmus per CHRISTI mortem tam nobile collegium reparari, vt fiat vnum ouile & vnus paſtor, & vnum in vno. In hoc enim debet tota cæleſtis curia & militans Eccleſia iure gratulari. O amabilis & reuera venerabilis paſsio Saluatoris, quæ ſic diſiuncta coniungit, ſequeſtrata conglutinat, & firmiſsimè ſimul vnit, ſtringitque vinculo conſummati amoris, & felicitate gaudij ſempiterni. Præcipuè autem gaudere & exultare debemus, videntes in ſupradictis 3

omnibus mirã summáq; clementiã Dei & dñi nostri Iesu Christi. Et hanc puto summam esse gloriam bonorum tam hominum quàm angelorum, perfectiùs contemplari clementiam & beneuolentiam Dei, & immensitatem bonitatis eius. Hæc etiam debet esse cuiusuis cõtemplantis exultatio maximè interna in ipsis animæ medullis. Vbi eñ, quæso, magìs apparet diffusio bonitatis diuinæ, & benignissimæ clemẽtię dulcissimi & amantissimi patris & Domini nostri Iesu Christi, quàm in passione sua, vbi talia ac tanta, tam turpia & grauia sustinere voluit pro inimico suo liberando & glorificãdo, pro vanitate quadam digna morte æterna, redimenda? In istud gaudiũ intret homo, & reficiatur magnificentia bonitatis diuinæ. Accedat homo ad cor altum, & in corde suo exaltetur excellẽtissima & inenarrabilis clementia Christi passi.

V. Resolutio. ¶Quintò etiam consideremus beatissimam Christi passionem ad cordium nostrorum resolutionẽ, & perfectam transformationem in ipsum. Quod fit, quando homo non solùm imitatur, compatitur, admiratur, exultat, sed etiam totus homo conuertitur in ipsum Dominum nostrum IESVM Christum crucifixum, vt iam quasi vbique, & semper sibi crucifixus occurrat. Immo tunc verè in ipsum resoluitur, quando exiens ex seipso, & omnia supergrediens, immo supra seipsum abstractus ab omnibus, totus est conuersus in Dominum suum passum, vt nihil videat, nihil sentiat intra seipsum, nisi Christum crucifixum, illusum, probris affectum, & passum pro nobis ex amore.

VI. Quies. ¶Sextò consideremus eandem beatissimam Domini passionem ad quietem dulcoris interni, quod fit, quando homo sic, vt dixi, resolutus, sitibundo corde eãdem

passio-

paſsionem ruminare non ceſſat, & intrans ſecundum poſſe ſuum, infinitum illum paſsionis theſaurum, humiliter & deuotè liqueſcit amore deuoto, & feruida deuotione, & ardenti dilectione deficit à ſe, & requieſcit in Chriſto crucifixo. Sed quanto illi plùs inhæret & innititur, tanto ampliùs deuotiſsimo amore in ſe deficit & liqueſcit: & quanto plùs à ſe deficit per amorem & deuotionem, tanto ampliùs eidem dilecto pro ſe mortuo inhæret, vnitur, & requieſcit in eo. Et ſic mutuò ſeſe augêt adhæſio amoris & deuotio, donec ſponſa, id eſt, anima tota abſorbeatur ab ardentiſsimo illo camino amoris & paſsionis ſponſi prædilecti, in cuius amplexibus obdormiens requieſcit. Meditare igitur domini paſsionem: imitando, ad purgationem mentis & dilectionem: compatiendo, ad amorem & vnionem: admirando, ad cordis eleuationem: exultando, ad cordis dilatationem: reſoluendo, ad perfectam conformationem: quieſcendo, ad deuotionis conſeruationem.

¶Vt quæq; ſuperflua & impedimenta abijcias. Exercitium IX.



NONO circuncide animam tuam ſeuerè ab omni cognitione, amore & recordatione creaturarum, exceptis illis duntaxat, quibus carere nó potueris, propter Deum & in DEO vtêdis. Et cuſtodi ſenſus tuos omni tempore ſtrictè ab omni ſuperfluitate, vanitate, & ocio. Et conſerua corpus tuum ſemper in ſimplicitate, ſobrietate, & paupertate. Et perfectè ſemel abijce omnia, quæ tibi vnquam medium aliquod pſtare potuerint inter Deum & animam tuam, vel vni-

co temporis momento. Vbi autem istud fructuosè implere valeas, attende diligenter omnia media visibilia & inuisibilia, creaturasque sensiles & insensiles, quæ tibi media & impedimenta pepererunt, & adhuc parere possent: & tunc veram integramque ab illis fac auersionem abscisionemq;, & perfectam tui ad Deum cõuersionem. Expendes quoq; an in tali sis loco & statu, in quo perfectus fieri queas: quem si nondum elegisti, adhuc eligas oportet. Abscindenda nihilominus & resignanda tibi sunt omnia externa, quibus vteris, vltra veram & iustam necessitatem: qua sola, paupertatis Christi amore contentus sis, videlicet binis, id est, mutatorijs tunicis, & alijs ijsque tantùm necessarijs vestibus, libris paucis, sobria refectione vnica vel bina in die, iuxta temporis rationem, eligendo in omnibus viliora, vt humilis simplicitas vbique ex te, tuisque studijs reluceat. Nam exterior desiderata paupertas, mirum in modum cooperatur vero profectui & paci cordis, quando etiam necessarijs libenter cares, illisque cogẽte necessitate cum tædio & auersione affectus, in simplicitate vteris. Ad hæc valdè conducunt abdicatio omnis quæsitæ delectatiõis, voti emissio, si consultum videbitur, creaturarum omnium fuga, ad Deum fortis adhæsio, obediẽtia simplex, voci DEI & superioris tui, diligens custodia cordis, oris, & operum tuorum, & id genus alia, quę velut oportuna adminicula sunt assumenda: & impedimenta resecanda, testimonio conscientiæ tuæ aut moderatoris tui, facta diligenti perscrutatione, ne intus aliquod stabile & inhærens vitium licet minimum, aut foris quicquam superfluum aut curiosum tibi maneat: Nã illo stante, Spiritussanctus perfectè in te operari nunquam poterit. Nam peccata etiam grauiora, quę ex improuiso

Adminicula perfectionis.

prouiso incidimus & deplangimus, faciliùs remittit Deus, quàm minimum vitium inhęrens, quod non agnoscimus, aut emendare non curamus.

¶Vt omnem hominem diligas sicut teipsum. Exercitium X.



Ecimò exerce te in vera dilectione omnium hominum, iuxta exemplũ & charitatem Iesu Christi, qui summa & ardentissima dilectione & desiderio omnibus sese totum impendit hominibus, docuitq; & præmõstrauit illis viam salutis & perfectionis. idque vera & perfecta vita, sanctaq; & diuina doctrina. Dedit quoq; seipsum voluntariè & amorosè in omnem pœnam, contumeliam & confusionem, quæ propterea super ipsum cadere poterãt. Quapropter si verè vitam eius assumere volueris, ipsum in hoc imiteris oportet: ducasque semper sanctam & deiformem vitam coram omnibus hominibus, vt per tuam vitã trahantur ad imitationem vitæ Iesu Christi. Ostendes insuper & docebis proximum tuum bonis exhortationibus viam salutis æternæ. Hinc interdum accedens proximum tuum, loquéris cum eo de virtutibus, ex quibus melior fiat, vt attendere & imitari velit vitam & amorem Iesu Christi: consideret quoque nobilitatem animæ suæ, quomodo Deus suam ipsius imaginem illi impresit, cã per seipsum redemit, quodque amor Dei vita sit animę, quem admodũ aĩa ipsa vita est corporis: & sicut corp⁹ morĩt migrãte ex ipso aĩa, ita aĩa mortua est absq; amore Dei. Hæc & alia proximis suggeres, q̃ spiritussanct⁹ docebit,

Doceas exemplo.

Verbo.

præsertim

præſertim tibi commiſsis, vicinis, aut doctrinæ capacibus: credens Deum animas illorum, quas ſaluare potueris, à te requiſiturum tanquam membra tua. Neminem igitur iudices, contemnas, contriſtes aut lædas: ſed dilige omnem hominẽ, tanquam teipſum, immò pluſquam teipſum, vtpote te meliorem. Quod vt citiùs obtineas, perſuade tibi omnem hominẽ eſſe teipſum: quia ſumus inuicem membra, illique congaudeas, condoleas, ſeruias, & benefacias: opera quoq; miſericordiæ corporalia & ſpiritalia toto corde impẽdas, ſicut tibiipſi. Quãobrem aſſueſce, quàm citò ſenſeris aliquem motum diſplicentiæ aut amaritudinis contra quemcunque hominem, ſeu quoduis aliud vitium tibi incidere, ſtatim leuato dulciter in Deum corde id à te repellere, tãquam virus diaboli, quo nititur charitatem in te necare vel minuere, aut ſaltem tepidum facere, & à curſu proficiendi remorari. Nam ex noſtra interdum tepiditate contingit, quòd noxiæ cogitationes à nobis repulſæ, ſæpe redeunt, & magnum nobis ſpiritalis lucri impedimentum parturiunt, tametſi illis non conſentiamus: quando diſsimulamus totis nos viribus in anteriora extẽdere, & diuinis nos deſiderijs continuè pro viribus occupare: ideò ex noſtra tepiditate aditum redeundi ad nos, facilè inueniunt hoſtes animarum noſtrarum: quãquam etiam interdum non noſtra culpa, ſed ſolo Dei permiſſu ad noſtri exercitationem, huiuſmodi nos cogitationes fatigent.

Vt vites contraria dilectioni.

DE VIA VNITIVA.

¶Vt viuas abſque omni creatura, peccato, & delectatione. Exer. XI.

Vndeci-



Ndecimò exercebis te ad perfectam cum Deo tuo vnionem obtinédam. Hæc autem vnio perfectam requirit denudationem & expoliatióem ab omni creatura, ab omni peccato, & ab omni delectatione. Ab omni creatura in affectu & intellectu, quantũ posſibile eſt, nudatus viuere ſatagas oportet: ita vt etiam à teipſo & omnibus rebus ita nudus fieri & permanere feruēter deſideres, ſicut nudus ante tribunal Chriſti ſtabis, & ſicut aĩa tua nudè & purè ex Deo fluxit, vt ſic abſque vllo medio creatori valeas vniri. Viues etiam abſq; peccato, aut ſi hoc vix poſsibile eſt, forti auerſione ab omni peccato, & feruenti cōuerſione ad omne bonũ quod Deus eſt, ſic viuere deſiderabis: quia omne peccatum, quamlibet minimum, impedit hãc vnionem. Quapropter animam & corpus tuum ita cuſtodies, vt nullum membrum moueas, niſi in Deo. Viuas etiam neceſſe eſt abſque omni delectatione. Et hoc ſimiliter affectu & deſiderio ſupplebis, quod opere præſtare nõ vales: quia quando delectationem aliquam habueris in teipſo, Deus propterea negabit tibi delectationem & ſuauitatem, quæ ipſe & in ipſo eſt. Talis autem vita ſit tibi ſemper in deſiderio, vt extremum poſſe tuum impēdas huic viæ. Et tunc per hoc exercitium inuenies te in multis hærere, à quibus te immunem putaueras. Idcircò ſemper cauere ſtude, ne peccata etiã minima delectent te propter ſe. Pro te quidem deſiderabis, quòd panis non plùs tibi ſapiat, quàm lapis: ſed pro creatoris panis gloria, placebit tibi, quòd panis plùs ſapiat quàm lapis: moxque debes in panis ſapore & delectatione tranſire ad Deum, & guſtare creatorem panis. Et tunc ſit tibi

Vt viuas abſq; creatura.

Abſq; peccato.

Abſq; delectatione.

bi insipidus panis. Pari modo faciendum est cum omni delectatione, cui non est annexum per se peccatũ: quia creatoris admirabilis suauitas, delectationem infundit omnibus rebus creatis. Nullum ergo medium ex creaturis in te residere patieris, sed ab omnibus exutus atque nudatus, nudam diuinitatem absque medio aliquo creaturæ (vt est creatura) accedes, quia Deus absq; medio te vti desiderat. Nec in hoc sanctorum inuocatio (quæ propter Deum & in Deo fit) te impediet, quia ipsi sunt vnus spiritus cum eo. Præcipuum tamen tuum studium versabitur circa contemplationem Dei tui, quem videbis omnia bona in omnibus hominibus operantẽ, quantumuis etiam minuta, vt est mouere articulum vnum ad bonum. Nam hęc ipsa motio, Dei est, qui est vita animę.

Nudis intellectu & affectu Deo adhære.

Igitur continua introuersione stude, quantùm potueris, viuere in omnimoda abstractione & nuditate intellectus & affect⁹ ab omni creatura, peccato, & delectatione: quia hæc tria fideliter & diu exercitata, faciunt hominem verè cælestem & angelicum, ita vt liberrimè frui possit Deo suo, prout sola experientia docebit. Idcirco intellectum tuum & affectum semper magis purificare studeas omnibus phantasmatibus & imaginib⁹, exemplo crucifixi Iesu, magis eligẽs amara quàm dulcia, cõtumeliam quàm honorem, penuriam quàm abundantiam: vt sic puro corde Deo adhærens, vnus cum eo spiritus efficiaris. Aliter tamen exercitium istud vsurpabit superior, aliter subditus: aliter innocens, aliter iniustus: aliter incipiens, aliter perfectus.

¶Vt autem facilius ad omnium rerum abnegationem, diuinæ bonitatis, & tuæ indignitatis cognitionem, & fraternæ dilectionis dulcedinem pertingas, & breui tempore obtineas, quod multis annis, immo tota vita

sua

sua proprietarij magnis laboribus non percipiunt, reuoluere satage in memoria tua studio indefesso, vel saltem habitu & intentione tua circunfer binas has nobilissimas virtutes, videlicet humilitatem & dilectionem, diutissimè ruminando, & tibi imprimendo hæc verba, Nihil sum, Nihil habeo: Nihil præter vnum cócupisco. Humilitas

Humilitas vera dicit, Nihil sum, (ex conditione & vitio meo) Nihil habeo, (nam quicquid in creaturis, aut donis Dei extra Deum habeo, aut habere possem, quicquid video, audio vel percipio, in me prorsus nihil est) Impotens, insipiens, & nihil sum, nihil valeo, plenus peccato & miseria: ideo de meipso penitus despero. Amor Dilectio autem siue dilectio Dei dicit: Nihil nisi vnum solũ De- Dei. um meum desidero. Confide ergo ò aïa mea Iesu Christo & bonitati illius, & fige totam cogitationem & desiderium tuum in consideratione eius: quia quãto minùs videris te habere à temetipso, tanto plùs cupies habere amoris à domino tuo Iesu Christo.

¶Est autem duplex humilitas. Vna, quæ ex agnitione peccatorum & propriæ vilitatis, ex dictamine rationis oritur, quam maximè erga proximum tuũ exercere conuenit, cuius comparatione te ad nihilum rediges, & oı̃bus hominib⁹ viliorem & inferiorem te ex animo reputabis: & tã pro illorũ, quàm tuis peccatis, à Deo tuo tibi presente humiliter veniã postulabis: ipsosq; excusabis, nõ credens ꝙ alij peccatores tantũ à Deo sint elongati, quin sæpe & si nõ semper, sese ad Deum conuertãt, & synceriori ipsum affectu diligant & honorent, & fideliùs de peccatis suis doleãt, & sese emendare proponant iuxta gratiam sibi à Domino datam, quàm tu. Nec credas inueniri hominem, si tot & tanta peccata commisisset vt tu, totque gratias & beneficia à DEO recepisset

I. Humilitas ex ratiõe.

recepiſſet vt tu, qui nõ multo feruentiùs Deo ſeruiret, quàm tu. Quod ſi hoc pleno corde ſentire nõ potueris, eo ipſo te reputes ſuperbiſsimum, & omnibus alijs hominibus viliorem, propter tuam hypocriſim, inſanamq́ue ſuperbiam, Deo maximè odibilẽ: quæ te re vera excæcauit, vt teipſum non agnoſcas, neque videas, quòd quo plura à Deo recepiſti dona, eo grauiora ſint tua peccata & negligentiæ, & eo ſtrictior à te exigetur ratio de ſingulis. Et hanc, vt dixi, humilitatem operatur dilectio per rationem, qua ſeipſum homo æſtimat omni creatura viliorem, omniq́ue tormento & contumelia digniſsimum. Eſtq́ue incipientium & proficientium, ac præcedere debet & confirmare hanc ſequentem humilitatem.

II. Humilitas ex amore. ¶Alteram humilitatem, quæ eſt perfectorum, operatur dilectio per ſemetipſam: quam in ſe ſentit anima per viſionem & cognitionem ſpiritualem Ieſu Chriſti. Enimuerò quando Spiritusſanctus illuminat rationem in viſione Ieſu Chriſti, ad conſiderandum perſpicuè ſanctæ humanitatis eius humilitatem, & ad guſtandum vtrunque de bonitate diuinitatis illius, mox anima tantam dilectiõem & gaudium percipit in illa viſione ſpiritali (quæ vera, ſancta & delectabilis eſt) quòd ob liuiſcitur ſuijpſius & omnium rerum, & tota innititur dulciſsimo dòmino ſuo Ieſu Chriſto, ex tota dilectione, qua fertur ad conſiderandum eundem. Non attendit hic ſua peccata priùs commiſſa, nec propriã indignitatem, ſed pro nihilo putat ſeipſam cũm omnibus peccatis & bonis operibus, quæ vnquam fecit, ac ſi nullã alia res eſſet, niſi dominus noſter Ieſus Chriſtus.

Vt ad nihilum redigaris. ¶Stude ergo per conſiderationem humilitatis & charitatis Ieſu, vel plenã fide, vel etiã ſentiẽdo teipſum

non

non solùm miserrimum,sed etiam quasi nihilum iudicare,& cum oībus tuis exercitijs & operibus bonis transactis ad nihilum redigere,& ab omnibus denudare:& in paupertate spiritus sentire te nihil esse, & omnia bona tua soli domino Iesu Christo adscribere, vt substantia tua sit tanquam nihil ante illum,nó iam deinceps te existimans aliquid esse, quùm nihil sis: quia comparatione hauddubiò increatæ & incommutabilis diuinæ substantię domini Iesu,(qui solus veram habet essentiam,& est omnia in omnibus) tu & omnia nihil sunt. Nam oēs gentes,quasi non sint, sic sunt coram eo. Et hoc pacto nó iudicabis proximos tuos bonos vel malos,sed æqualiter omnes creaturas respectu domini Iesu, eiusque humilitatis & dilectionis, misericordiæ & gloriæ, senties tecum esse nihil,cum ex nihilo factæ sint, & in nihilum redirent, si ab eo non conseruarentur.

¶Quando ergo dilectio per donum Spiritussancti aperit interiorem oculum, ad considerandùm hanc veritatem cum alijs circunstantijs,tunc anima verè fit humilis,quia videt seipsam sicuti est. Et tunc non considerat se,nec innititur sibijpsi, sed tota tendit in cognitionem & dilectionem Iesu, stabili meditatione & desiderio ipsum assiduè considerans. Et tunc multo perfectiùs operatur magna opera,tum interna,tum externa, quàm antea solebat. Ista visio animam etiam confortat & eleuat tam mirabiliter & suauiter, quòd non potest gaudere de huius mundi aliquo gaudio, neque de eius aduersitate contristari: quia manet immobilis & insensibilis ad omnia, in solo Iesu requiescere cupiens: habénsque oculos suos semper ad ipsum: qui ab omnibus laqueis & tentationibus euellit pedes eius, destruitque omnes motus superbiæ & vitiorum valde occul-

tè: protegens eam à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negocio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano: & per sanctam simplicitatem, quæ est occulta quædam semita, deducens eã ad stabilem secum vnionem, qua manebit in Deo, & Deus in ea. Vt autem pro hac felici vnione obtinenda, ignitis aspirationibus, cum profundissima sui resignatiõe, continuè laborare debeat, nihil nisi vnum, quod solùm est necessarium, desiderans, in sequentibus latiùs explicabitur.

¶De aspirationibus, resignatione, & postulatione. Exer. XII.



Vodecimò fortiter te exercebis in exercitio quadriformi aspirantis & vnientis amoris, vtens in tua operatione affectu potiùs quàm intellectu: consurgensque magis per aspirationes feruentes, quàm per meditationes.

Meditatio ¶Quod tamen vt obtineas, principio opus tibi erit meditatione deuota colligere fasciculum quendam diuini amoris ex beneficijs, quæ Christus tam secundum diuinitatem, quàm humanitatem suam tibi præstitit, ad inflammandum videlicet cordis tui igniculum: quorum maximum est eius passio, cuius opus inspicias ad compatiendum, modum ad imitandum, & causam, id est, charitatem illius ad te infinitam, ad inflammandum cor tuum: donec assuefactus, tandem absque præuia meditatione in primo reflexu mẽtis, affectus tuus validè erga De-

Deum incalescat quoties volueris. Et hæc inflammatio est vnicum instrumentum & radix vitæ contemplatiuæ, vnde consurgit aspiratio ad amorem vnientem, qua scilicet fidelis anima aspirat flammigeris desiderijs, vt per amorem vniri posit infinito amori, qui Deus est, & ab eo penitus absorberi. Inflammatio.

¶Vt autem ad illius amoris consuetudinem peruenias, assuesces omni loco & tempore, orationes ignitas & eiaculationes ad DEVM, mille modis magno cum feruore emittere, atq; ex humili, abstracto, resignatoq; corde in cor DEI conijcere, vt det tibi perfectum tuiipsius & omnium rerum cótemptum, teque totum vnire & absorbere dignetur in immenso amoris sui incendio. Hoc nanque exercitium vnientis amoris, initium est & finis omnis perfectionis: quod cum magna violentia spiritus exercendum est, per quod omnes tentationes & media inter DEVM & animam, statim auferuntur, & ipsa magno impulsu perurgetur festinare ad altissimā Dei similitudinē, perfecta scilicet oīm vitiorum mortificatione, & virtutū adeptione: penetratque omnes tentationes & occupationes, & quicquid infra DEVM est, in momento, & animam ante nudam Dei præsentiam constituit, cui sese immediatè vnire desiderat. Oratiões iaculatoriæ.

¶Attamen oportebit te diu præ foribus stare, antequam Deus te volet ad vnionem intromittere. Et tūc discretè pulsabis ianuam pietatis suæ his quatuor exercitationum malleis, qui sunt Offerre, Exigere, Conformare, & Vnire: quibus dilectum tuum excitabis ad intromittendum te in vnitatem Spiritus, seruando te longanimiter in præsentia DEI per aspi- Diu pulsandum.

 ratio-

rationem vnientis amoris. Nullum tamen vnquam exercitium cum proprietate posſidebis, ſed quádo ſenſeris te alia via per gratiam trahi, ſtatim dimiſsis proprijs, ſequéris & exercebis te iuxta tractum Spiritus ſancti.

I. Reſignatio. ¶Primò igitur in tua ad Deum conuerſione, Deo liberaliter in holocauſtum laudis offeres omnia, quæcunque ſpiritus Dei per inſpirationem ſuam à te exigere poteſt, maximè perfectam abnegationem & contemptum tuijpſius, abſciſionem omnium ſenſualium oblectationum, quibus cor tuum inordinatè poſſet affici & maculari, licet ſint res paruæ, vt verba ocioſa, vana ſocietas, leuitas, curioſitas ſenſuum, & ſimilia. Offeres etiam te ad mortificationem naturalium paſsionũ, vt ſunt inordinata triſtitia, gaudium, ira, amor, odium, ſpes, timor, pudor. Etiam ad carendum voluntariè omni ſenſibili gratia, deuotione, & donis Dei, ad ſalutem propriè non neceſſarijs. Similiter ad tolerandum prompta voluntate propter Deum omnem aduerſitatem in fama, bonis, & amicis tuis: omnem quoque ęgritudinem, pœnam, afflictionem, confuſionem, & preſſuram cordis: & generaliter ad vniuerſa, quę alicui in tempore accidere poſsint, reſignabis te hilariter & cupidè. Inſuper offeres te diuino beneplacito, etiam ſi te ponere vellet ad tolerandum æternò pro amore & honore ſuo omnes pœnas inferni, duntaxat quo ad ipſas pœnas, non autem quo ad amoris ſeparationem inſtar damnatorum: hoc enim non licet. Et quanuìs Deus iſtud nunquam ab amicis ſuis exigere poſsit, vult tamen vt ad omnia etiam impoſsibilia ſeſe reſignent ſuo beneplacito, ſine retractione cordis: ſicut Abraham fecit, vt probentur quantùm ſibijpſis mori velint propter Deum.

Hoc autē facilè poteris, si teipsum agnoueris esse quasi vas perditum, peccatis plenum, quæ Deus opt. max. sua infinita bonitate tibi auferre & consumere paratus est, si te cum illis perfectè eidem resignare & relinquere volueris, quum ipse sit mons quidam amoris, abyssus bonitatis, & fons charitatis. Quapropter nimis stolidus est, qui vile tugurium corporis & animę suæ, illi offerre dubitat pro tabernaculo preciosissimo, quod Deus est.

¶Cùm verò in his omnibus te perfectè resignatum inueneris, tunc poteris plena fiducia ad aliud huius exercitij membrum transire, quod est exigere, sicut Christus monet: Petite, & accipietis. Exiges igitur à Domino Deo tuo secundo loco, non solùm omne quod habet, sed etiam omne quod ipse est. Ante omnia enim petere debes ipsum nudum dilectum Deum tuum, ad fruendum eo solo in suo immenso nudo amore: Quia in nullo dono DEI licet homini fruendo requiescere absque peccato, quantumuìs nobile & diuinum sit, prę terquam in solo Deo: sed vti dūtaxat debet donis Dei, ad hoc, vt ad maiorem ipsum perfectionem euehant ac perducant. Nam quando in Dei donis quiescit, statim incipit tepescere à desiderio proficiendi. Post hoc exiges à Deo tuo purissimam intellectus illuminationem, ad cognoscendum plenissimè diuinum beneplacitum: atque ad illud exequēdum offeres te tam promptè atq; perfectè sine retractione cordis, sicut vmbra mouetur ad motum corporis vnde fit, iuxta exemplar & similitudinem vitæ Christi. Secundò ad cognoscendum plenè teipsum, hoc est, incompræhensibilem tuam vilitatem, ingratitudinem, indignitatem, vt per hoc te possis perfectè contemnere & humiliare. Tertiò ad habēdum

II. Postulatio

perfectam notitiam omnium verarum virtutum. Magna quoq; orationis instantia laborabis pro ipsis veris virtutibus acquirendis & possidendis, & maximè pro nudo Dei amore in te magìs ac magìs augendo. Exiges autem ista seriò valdè: desideriumq; augmentandi amorem tuum, fruendique increato amore, tam æstuans inter Deum & animam tuam erit, vtì est coruscatio vehemens. Iste quoque impulsus adeò continuus erit in te, sicut anhelitus tuus. Qui vt absque cessatione intrat in te, & exit, si debeas vitam seruare: ita etiam vita creati amoris consistit in sedula reuersione animæ cum æstuanti desiderio in suam originem, id est, amorem increatum, vt illi vnicè inhæreat & fruatur, sicut radij inhærēt soli. Cætera dona Dei ad salutem propriè non necessaria, vt est liberatio à tentatiōibus, periculis & pressuris, reuelatio secretorum, deuotio & gratia sensibilis, non sunt absolutè exigenda, sed cum conditione, si ita expedit pro Dei gloria & nostra salute.

¶De conformatione & vnione cum Deo. Exercitium XIII.

III. Conformatio.



Ertiodecimo loco exercebis reliqua duo suprà dicti aspirantis exercitij membra, laborando vt dilecto tuo magìs ac magìs cōformeris, hoc modo: Videlicet quū ignis amoris fuerit in corde tuo accensus, principio exures in ipso omnem tuam dissimilitudinem, hoc est, omnia vitia & defectus tuos, omnes naturales passiones & immortificationes tuas, omnem sensuum propensionem seu affectum & impatientiam. Non tamen illas sigillatim recoles, sed in vno fasciculo

sumes

ſumes omnes tuas imperfectiões, & proijcies in immenſum ignem diuini amoris, vt ibidem conſumantur. Deinde ardenti deſiderio deiformitatis conſurges, & ſcintillantibus ac perurgentibus poſtulationibus exiges à dilecto, vt eiſdem virtutibus nudam animam tuam adornare dignetur, quibus ipſe ornatus eſt in omnibus perfectiõibus ſuis, tam in diuinitate quàm humanitate ſua. Et has multo citiùs per flammigeras aſsiduas orationes obtinebis, quàm per vllum alium laborem externum. Specialiter verò te conformabis humanitatis Chriſti virtutibus, quæ in deſpectiſsima & acerbiſsima morte illius emicuerunt, per affectum ſcilicet profundiſsimæ humilitatis, vilitatis, abiectionis, paupertatis, patientiæ, & charitatis: in quib⁹ tam diu te exercebis, ſubinde renouando ac repetendo flammigeros ad Deum affectus, & quaſi violentas quaſdam orationes, per quę Deus potiſsimùm dare ſolet ſuæ plenitudinem gratiæ & amoris, donec per experientiam damnis, iniurijs & pœnis prouocatus, etiam tempore ſubtractæ gratiæ, prima & vltima cogitatione tua, ſenſeris deſiderium illud patiendi pro Chriſto, vt illi conformeris, vſq; in finem in te perſeuerare.

¶ Quartum deniq; membrũ huius exercitij eſt, vnire, & transfundere voluntatem tuam in diuinum beneplacitum. Vt enim exercitium pręcedens aſpirationis & vnientis amoris ideo cõtinuè agitur, vt quieſcas in ſolo Deo, quò flãmigeris deſiderijs in ſpiritu vnũ cũ eo fias, ad quod nos perducit actuoſus & experiẽs amor: ita in iſto vnionis exercitio, acutis ęſtuantibuſque deſiderijs eniti debes pleniſsimè, abſque vlla cordis retractione, voluntatem tuã vnire atq; trãsfundere in gratiſsimum Dei beneplacitũ: ita vt ex impulſu nudi amoris, ipſum IIII. Vnitio.

diuinum beneplacitum semper sit summum tuum desiderium, iucunditas & solatium in omnibus, siue sint exteriores aduersitates, infirmitates, persecutiones, oppresſiones, & pœnæ: siue interiores presſuræ, subtractiones gratiæ, frigus cordis, obnubilatio sensuum, aut tentatio quæcunque. Et in tali tempore obductionis & tentationis, maximè tibi cauendum est, ne aliquas consolationes per sensus tuos q̃ras, aut leuiter te extrouertas vel occupes, seu otio marcescas. Sed semp quoad poteris, ad bona exercitia te cogas, aut bonis forinsec⁹ opibus saltem te occupes: quæ licet tibi sint tunc insipida, sunt tamen Deo magìs accepta, cùm fideliter, quod in te fuerit, feceris. Quapropter statue fixũ in corde tuo, omnia hæc aduersa idcircò tibi Dei permissu accidere, vt probet fidelitatem tuam, & habeat occasiõem copiosiùs te ditandi omnibus donis & gratijs spiritalibus, si fideliter perseueraueris.

Absorptio in Deum.

¶Et his breuiter præmisſis, ac velut in quendam fasciculum pariter collectis, vlteriùs conscendere debes per amorem vnientem, in ipsam charitatem increatam, quæ Deus est: vt sic ibidem anima feliciter liquefacta, omnium eorum, quæ petijt à domino, quasi signo factam impresſioné recipere mereatur. Cęterũ quisquis hęc crebrò exercitauerit, & illis perseuerãter inhęserit, imposſibile est vt ad vitæ perfectioné non perueniat.

Zelus diuini honoris.

¶Hinc cum tanto feruore, Dei incipies honorem quærere in omnibus, vt quasi tuijpsius oblitus, pro nihilo ducas te mille ꝓ eo periculis exponere, & nõ sentias differentiã inter honoré tuum & contumeliam, gaudium & dolorem, sed quicquid ad eius honorem spectare noueris, quantumuìs difficile, cum impetu quodam amplectaris. Quùm auté oĩa feceris quę potueris, quasi

nihil te fecisse, immo defecisse existimabis, erubescens & teipsum perfecto odio detestans, quod tali ac tanto Dño tam miserè obsecutus sis. Quapropter maiora & perfectiora quolibet momento temporis agere & pati desiderabis. Et quia à Dei dilectione vehementer impedit amor proprius seu dilectio sui, ideo debes teipsum perfectè odire, & pleno corde petere ab omnibus despici, conculcari, flagellari, vilissimus reputari, & ad nihilum redigi. Nec pro magno habebis, si in tuis iniurijs delecteris, & in tuis doloribus consoleris, nisi etiam cupias alios credere, te istis & omnibus pœnis & contumelijs esse dignissimum, & teipsum adeò abomineris, vt vix tolerare te queas, factus tibijpsi execrationi, adeò vt etiam ab irrationalibus creaturis impugnari & puniri cupias. Et quum aliquid delectabile tibi sumendum fuerit, illud cum mœrore & horrore tuijpsius sumas: ita tamen, vt ne interim necessaria indiscretè tibi subtrahendo, naturam destruas, quum sola vitia tua tibi sint persequenda & destruenda. Quòd si hoc pacto animam tuam oderis, ad perfectam Dei dilectionem facilè pertinges. Veruntamen scias perfectissimum hoc proprij odij tuijpsius donum, solum Deum dare posse, & dare paratum, si id instanter postulaueris. Nec affirmo tamen, quod tibi pro se pati dabit: quia hoc non omnibus dare solet, sed ad minus dabit tibi velle pati. Odiũ tui. Dilectio Dei.

¶Porrò si prædicta creatoris dilectione bene inebriatus fueris, alterum etiam quod in supradicto exercitio postulasti, adijciet, videlicet vt suæ crucifixæ imagini perfectiùs conformeris: vt nihil in omnibus & per oĩa quæras eorum quæ tua sunt, sed quæ Iesu Christi, quomodo illi possis feruentiùs semper seruire, placere, & conformari: atq; perfectiùs tuam voluntatem abnega- Conformatio.

re, & ipſum diligere: obliuiſcens quodammodo tui & omnium rerum, & præ amoris magnitudine non aduertens dulce & amarum, tempus & locum, perſonarúq; diſtinctioné: ſed in omnibus creaturis ſolùm querens & conſiderans Deum creatorem, & eius voluntatem & honorem, & aſpiciés plena fide Chriſtú in membris ſuis. Sicq; in actiua vita contemplatiuam duces, ſi te totum recolligens, intres in cor tuum, & eius intima penetrans, reſoluas, reſignes & amittas te in Deum. Et tunc quodammodo deificatus, & in Deum transformatus, ad quodcunque te conuerteris, nihil niſi Deum conſiderabis. Et quicquid boni operis feceris, non hominem, ſed Deum ſolum id facere æſtimabis. Sicque Deum inuenies in omnibus. Et hoc ipſum oratione magìs, quàm induſtria tua, à diuina impetrabis largitate.

Vt ſemper pulſandú. ¶Porrò ſi ea, quæ ſuprà diximus, nimis tibi ardua fuerint viſa, incipiens ſaltem conare ſemper id eligere, quod fuerit magìs honorificum DEO, conforme Chriſto, vtile proximo, aduerſum tuæ voluntati, cruciabile & ignominioſum tuo corpori: indeſinenter cordis deſiderio clamando ad Dominum his verbis, videlicet, Nihil ſum, Nihil habeo, Nihil præter dilectionem IESV deſidero. Et ſi ſic fideliter perſeueràris in operatione ſpirituali, tandem te Dominus miſericorditer liberabit à tumultu cogitationum & affectionum terrenarum, quas nulla arte meliùs fugabis, quàm continuo deſiderio dilectionis Ieſu Chriſti. Sed & hoc ipſum deſiderium neceſſe eſt, vt idem ipſe Dominus Ieſus inſpiret, det & operetur in te, non tu: ſed te interim opus eius petente, ſuſcipiente, & non impediente. Enimuerò quanto perfectiùs omnem tuijpſius amorem, & munda-

mundanam cupiditatem abieceris, tanto profundiùs DEO vniéris, & eius amore inebriaberis: ſicut pulchrè Eſaias, poſtquam hortatus eſt nos, vt diſſoluamus colligationes impietatis, & ſoluamus faſciculos deprimentes, & exhibeamus proximis opera charitatis & miſericordiæ, & ſabbatum Domini cuſtodiamus, promittens dicit: Orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies: & requiem dabit tibi DOMINUS ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuam, & oſſa tua liberabit. Et poſt pauca: Dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris ſermonem, tunc delectaberis ſuper DOMINO, & ſuſtollam te ſuper altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui. Os enim DOMINI locutum eſt. Ecce non eſt abbreuiata manus DOMINI, vt ſaluare nequeat. & reliqua, quæ ſequuntur Eſaiæ 58. & 59. cap.

Vt ſemper in Deo viuas, & quotidie vnionem renoues. Exercitium XIIII.



POſt omnia hęc, quæ prædiximus, exercitia, gradatim & ſingulatim tempore ſuo fideliter expleta, ſuper oĩa diſces verè & perfectè in Deo viuere & manere. Et hoc fieri oportet per duas virtutes, videlicet veram viuidamq́ue fidem, & per purum & ardentem Dei amorem: Quia parum eſt te Deum in te habere, quem citò amittere potes, niſi tu ipſe quoque in DEO ſis totus abſconditus abſorptusq́ue. Primò quidem firmiter credas te eſſe in DEO, & DEVM intra te, vt ſacrum teſtatur Euangelium & ſcriptura diuina.

Vt maneas in Deo.

diuina. Qui manducat, inquit Dominus, meam carnem
Ioan. 6. & 15. & bibit meum sanguiné, in me manet, & ego in illo. Manete in me, & ego in vobis. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea. Rogo pater, vt
Ioan. 17.
1. Ioan. 4. omnes vnum sint, sicut & nos vnum sumus. Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo. Attamen vt id clarè perspicueque cognoscas, magnum est donum Dei: quod meritò ab eo petere debebis. Deinde vbi iam liquidò credideris senserisq; esse te in Deo, discendum tibi est viuere & permanere in illo, quod est homini maximè salutiferum. Cùm enim in Deo viuis, vires animæ tuæ & sensus, semper Deo inclusa serues oportet, vbi semper multa gaudent securitate. Vt si verbi gratia, teipsum in conclaui includas, nihil illic videre, audire, gustare, vel tangere potes, nisi quod sit in conclaui: & quotquot foris sunt, neq; contingere neq; lædere te possunt. Ita & quando in Deo viuis, quicquid siue tangas, siue aspicias, siue audias, siue gustes, Deum tibi exhibes præsentem, qui tibi factus est omnia in omnibus. Ideo etiam omnia bona & mala non à creaturis, sed in sancta simplicitate, absq; omni multiplici-
Simplicitas. tate & curiositate, immediatè à solo Deo humiliter recipis, & rursus in Deum refers: quærendo ex omnibus honorem & beneplacitum Dei, proximorum salutem, & tuijpsius humiliationem & emendationem elicere, & fideliter implere, Deoq; & omnibus creaturis propter Deum, non contra Deum, maximè autem superioribus tuis, humiliter obedire, abnegata in omnibus tua propria voluntate: quandoquidem te & omnes creaturas cognoscis esse in Deo, nec vlla te potest creatura contingere,

tingere, nisi priùs Deum contingat:eo ꝙ teipsum totum exueris, abnegaueris, transtuleris, & incluseris in Deo. Et hac de causa Deum semper magis audias, videas, tangas, gustes oportet, quàm vllam aliam rem. Vbi ergo Deo sic teipsum vnitum cognoueris, vt anima tua Deo, quàm tuo corpori, coniunctior sit: quodque Deus sit æternum, vnicum, incompræhensibile & ineffabile bonum, & ex ipso anima tua profluxerit, tantáq; habeat Dei similitudinem, vt creatura nulla, immò nec ipsa dignissima creaturarum omium virgo semper Maria, animæ nobilitatem plenè capere & scire possit, diuino tunc succensus amore, ad diuinitatem accedẽdo, quotidie matutino tempore ista te poteris ratione exercere, quando videlicet per Christum intrare, & Deo in spiritu intimè te vnire volueris.

Vt Deum sentias pręsentem.

Exercitiũ vnionis.

¶Coram crucifixi imagine procũbens, firmiter credes sedere te coram nudo, crucifixo, cruentoq; Iesu Domino tuo. Et licet eum non videas oculis externis, interioribus tamen eum fideliter aspicere debebis. Cùm enim te illi vnire, ipsumq; supra omnia diligere appetas, re vera præsens illic adest, haud minùs quàm pependit in cruce, & nunc est in sinu patris sui. Et quia quotidie post gratiosam cum Deo vnionem laberis in aliquem defectum, & Deus minimum peccatum nõ patitur in homine, cui se vnire debet, præ nobilitate & sanctitate sua: ideo per sacratissima Iesu vulnera ascendes, quæ eam ob causam suscepit retinuitq;, vt per eius humanitatem ad diuinitatẽ accedamus, sicut ipse ait: Ego sum ostiũ: si quis per me introierit, pascua inueniet. Et primò quidem ꝓfunda cum humilitate ad sacros illius collapsus pedes, duo illic facies. Principio lachrymis illos rigabis, & dulciter deplanges, prorsusq; immerges teipsum

Deus pręsens.

Ioann. 10.

teipsum & omnia peccata tua, omnesque defectus parI. uos & magnos, quibus ipsum fidelissimum patrem tu- Veniá pete um in conscientia tua inueneris te rursus offendisse, in sacra illa pedum vulnera. Aeterna nanq; bonitas Dei, nullum (vt dixi) patitur medium, quãtumuis exiguum, ne vnam quidem vanam cogitationem, aut morsellum vnum aliter quàm oportuit, sumptum, nisi per pœnitentiam huiusmodi expurgetur. Secundò sacros hos Domini pedes exterges capillis tuis, id est, perfecta vo- II. luntate peccata omnia, quamlibet parua, deuitandi, Propositũ ita vt mori potiùs velis, quàm peccatũ admittere. De- renoua. inde ardenti cum desiderio virtutes omnes amplecteris, cunctis vitijs moriendo, eisdemque virtutibus crucifiges corpus tuum, iuxta Christi pro te crucifixi similitudinem, vti suprà in VII. exercitio latiùs habetur, vt sic honorem illi suum, quo eum peccando priuasti, restituere possis. Tum verò Deo tuo ex animo confidere debebis, cunctos illum defectus tuos in æternum ac immensum exuberãtium meritorum suorum pelagus absorpsisse, eosq; penitus tibi condonasse.

Teipsum collige in Deo. ¶Et tunc quidem omnibus peccatis tuis, quæ cum incipiẽtibus ita deplanxisti, inferiùs prorsus derelictis, ad sanctas illius manus, quas charioribus amicis suis in signum amicitiæ porrigit, cum proficientibus ascendes. Hic verò iam propiùs accedens ad Deum, tanquam amorosam cum illo vnionem petiturus, (quod qui semel ad minus in die non facit, nescio si Christianus dicẽdus sit) principio quidem curas omẽs, distractiones & creaturas excludas oportet à corde, & in Deũ, cui nihil perire potest, proijcias: Deumq; tibi re vera præsentem, teq; ardentissimè diligentem, expectantem, pulsantem attendas: atq; ita & te in Deo, & Deum in te, vt ita dicam,

cam, includas, collectis pariter vniuersis viribus & sensibus tuis, intra sacratissima manuum vulnera. Deinde patrem orabis cælestem, vt sua infinita potentia è memoria tua cunctas amoueat imagines & affectiones extraneas, ipsamque & seipso & diuinis repleat imaginibus & desiderijs. Rogabis & filium, vt æterna sua sapientia intellectum tuum agnitione summi & increati boni, beneficiorumque suorum, ac suæ voluntatis, & tui proprij nihili, clementer illustret. Orabis etiam sacrosanctum spiritum, vt sua incompræhensibili bonitate voluntatem tuam & affectus omnes prorsus in se rapiat, absorbeat, & ardentissima charitate inflammet. Denique & crucifixum Iesum instanter humiliterque precaberis, vt per sanctissimas vires animæ sensusque corporis sui, omnes vires sensusque tuos cunctis nudare phantasmatibus & vitijs, restituereque eas in locum suum, & illas in seipso, & seipsum totum in illis, nudè & purè vnire & includere dignetur.

Inuoca patrem.

Filium.

Spiritum sanctum.

Crucifixũ

¶Hinc iam duæ animæ vires, intellectus videlicet & voluntas, quoties Deo vniri vis, denuò tibi nõ absq; labore excitandæ sunt & acuendæ. Intellectum quippe extendes ad cognoscendum summam Dei bonitatem, & infinitam charitatem, nobilitatem, sanctitatem: & ad sentiendum cruciatum omnem & pœnam, quæ idem ex maxima charitate pro nobis sustinuit: & ad mirandum stupenda dilectionis opera, quæ tibi exhibere dignatus est: colligendo omnia illius beneficia velut in fasciculum quendam, id est, quæcunque cælestis pater, per vnigenitum filium suum sibi præstitit. Hinc iam voluntas accedens, amare eum vult, quem nouit summum esse bonum, seque æterna

Exerce intellectum.

voluntatẽ

charitate

charitate tantoperè dilexisse. Et hic toto affectu redamabis illum vehementissimum amatorem, immo infinitum amorem te perpetuò amantem, eumq; triplici diliges amore: Videlicet amore nudo, vt sis nudus & expeditus ab omni creaturarum dilectione, amicorũ quoq; & cognatorum, vestium, librorum, & quarumlibet rerum, quandoquidem simul hęc cum Deo diligi non possunt, cùm Deus totum amorem nostrum solus sibi optimo iure vendicet: & Dominus noster Iesus Christus eius vnigenitus, pro nobis pauper & nudus mortuus est in cruce. Et istud adhuc ad externa pertinet, ideoque necdum satìs est. Sed secundo etiam puro amore nobis diligendus est Deus. Enimuerò sunt quidem nonnulli extrinsecùs pauperes, sed quanuìs nihil habeant, multa tamen habere concupiscunt. Necessarium proinde est, vt & intrinsecùs pauperes & puri simus. Hæc autem interna puritas potissimùm consistit in mortificatione cunctarum naturalium passionum & vitiorum, & in vera ordinatione & puritate omnium virium animæ, vt sint mundæ & absolutæ à medijs quibuslibet & imaginibus, Deumq; suum mundo ac puro complectantur amore. Tertiò demum vehementi & efficaci Deꝰ amore diligendus est, qui vtrunq; iam dictum amorem ferè consumat absorbeatq;, & te vnum cum Deo faciat, & ad oĩa alia velut insensibilem reddat, vt nihil ampliùs sentias, quàm amorem tuum Iesum dulcissimum: quo fiet vt semper in Deo permanere queas, vbicunque vel apud quoscunq; te esse contingat. Hic nanq; amor nunquam te ab amando, & teipsum totum in Dei gloriam impendendo, quiescere sinet: sed ex ipso est, vt ex singulis quibusq; folijs vel gramineis herbulis tuo conspectui se offerentibus, præclaram optares facere creaturam,

I. Amor nudus.

II. Amor purus.

III. Amor vehemens.

ram, quæ tecum amaret laudaretq; Deum creatorem tuum: immò si posſibile foret, vt ex quibuslibet hominibus cælos condere posses, eosq; illi offerre ad suam laudem & gloriam, id tibi perquàm gratum esset, libenterq; faceres.

¶Hoc iam triplici amore ornatus & accensus, totusq; ignita dilectione plenus, sensus corporis viresq; aïæ tuæ fortiter intra te colliges, & intrahes introrsus in teipsum, quasi reb⁹ oïbus mortuus: atq; ita ad dignissimũ atq; dulcissimũ cor Iesu ignito amore plen⁹ accedẽs, in illud velut in immẽsum quoddã summæ bonitatis pelag⁹ & in infinitæ charitatis abyssum, his 4. exercitijs ingredieris. Primò teipsum totũ cũ vniuersis creaturis, in simplicitate cordis tui, cum anima, corpore, & tota substantia tua, liberrimè in amabilisſimam Dei voluntatem, in tempore & æternitate, ad omnem etiã aduersitatem & pressuram cordis & dolorem corporis, & ad omnia quæ tibi euenire volet, etiam ad pœnam inferni suo pro amore sufferendam, te offeres paratum: vt te talem efficiat posſideatq;, vt illi placuerit, haud secùs quàm cùm necdum creatus esses. Secundò liberè exiges à Domino Deo tuo, non solùm omnes gratias & dona, quę Deus habet, quibusq; tu indiges: sed etiam totum, quod Deus est, vt eo solo fruaris in suo nudo & infinito amore. Postulabis etiam tibi nudum & perfectum spiritum, claram cognitionem diuinæ bonitatis & voluntatis, & tuæ indignitatis, & omnium virtutum notitiam & perfectionem, fortemq; in omi virtute perseuerantiam. Deniq; & omnia alia necessaria pro salute tua, & tuorum specialium, & totius Ecclesiæ, & animarum in Purgatorio. Et quia Deus æterna charitas est, qui te ab æterno in sua gestauit diuinitate, idcirco

I. Resignatio

II. Postulatio

III. Conformatio. tertiò illi te conformabis, videlicet desiderando, si ei gratum foret, in tanta derelictione, cruciatu, ignominia, paupertate & miseria viuere, vt Christus ipse vixit: eisdemque virtutibus nudam animam tuam vestiri & ornari, quibus ipse ornatus fuit. Sic & quia ipse æterna charitas est, & te quoque in amorem transformari oportet, antequam in ipsum peruenire queas, idcirco ardenti te desiderio erigens, postulabis ea dilectione ornari, qua CHRISTVS ornatus fuit: Vt sic illi secundum diuinitatem & humanitatem suam conformis & DEIformis effectus, quarto demum loco fortiter

IIII. Vnio. desiderare queas, vt illi possis absque vllo medio felicissimè vniri. Tum verò illi iam vnitus, ad diuinitatem ipsam accedes: vbi quicquid creatum est, foris relinquens, & nec teipsum quidem sentiens aut cogitans, tam profundè te immerges, abscondes & transferes

Absorptio in dulcissimum Deum tuum, immo in ipsum æternum amorem tuum, ipse quoque ignito amore plenus, vt nunquam dehinc à creaturis inueniaris ceu fragilis creatura. Hîc ergo desiderabis à summo bono absorberi, & illud vicissim absorbere: quum bonum illud incommutabile nihil aliud sit, quàm abyssus quædam immensa æterni & infiniti amoris. Sicque in corde Iesu liquefias ex superadmirabili amore & bonitate Domini Dei et sponsi tui: rogans eundem, vt aperiat tibi pulcherrimum, lucidissimum, & amœnissimum regnum diuinitatis suæ, in illud te prorsus immergi & transfor-

Aspiratio. mari permittens: dicesque hoc vel simili modo: O superadmirabilis potentia, sapientia, & bonitas DOMINI Dei mei. O superadmirabile mirum, & superadmirabile bonum, quando me totum transformabis & abscondes in te, & te in me? Quod enim est mari absor-

bere

bere vnam guttam, hoc tibi est absorbere me. O Domine Deus meus & omnia, vtinam possem ex qualibet creatura facere animam, & ex qualibet anima, maximè autem mea, facere tibi regnum cælorum, in quo pacem & gaudium haberes, pro omni dolore & tristitia tua, quæ pro me sustinuisti, libentissimè hæc omnia tibi darem. Patiar, quæso, pro honore tuo si vis, pœnam omnium damnatorum, & laudem te laude omnium beatorum. Aperi mihi, quæso, deliciosissimas diuitias superardentissimæ diuinitatis tuæ, & abscondas me in te, vt à nulla vnquam creatura inueniri queam.

¶Quòd si hìc vlla adhuc tibi creati intellectus scintilla superest, attendas paulisper æternam Dei tui potentiam, sapientiam, & charitatem, donec mirabili quodam modo velut in ecstasi, cogitando fias absque cogitatione, cognoscendo absque cognitione, amando sine amore: efficiarisque per gratiam, quod Deus est per naturam. Denique si sic in corde Iesu conuersantem diuinitas te absorbuerit, felix eris: sentiesq; quæ nec dici nec scribi possunt, nec in cor hominis ascenderunt bona Domini, quæ solus expertus vtcunque intelligit.

¶Porrò hoc XIIII. exercitium, instar aliorum duabus in die horis obseruabis, per XXXIII. dies continuos, ad honorem annorum vitæ Christi: & interim quotidie communicabis. Et postea quoad vixeris, omni die semel cælesti sponso tuo per hoc idem exercitium, manè aut alio congruo tempore, te resignabis, offeres, & absque vllo medio purissimè vnies: septimum nihilo minùs exercitium etiam suprà dictum, nunquam deserturus: Ad laudem Dei sublimis & gloriosi, in secula benedicti. Amen.

EX D. DOMINICO CARTHVSIANO APPENDIX.



I vis faciliter & perfectè mundari à peccatis tuis, liberari à vitijs, atq; bonis omnibus ditari: cunctis tuis non valde necessarijs occupationibus abscisis, trade teipsum æternæ charitati (cuius magister Spiritus sanctus est) in discipulum, offerens, resignans & immergens frequẽter in spiritu, absq; corporali imaginatione, nudis videlicet intellectu & affectu, totum cor & spiritum tuum, ad omne diuinũ beneplacitum, in dulcissimum cor Domini nostri IESV Christi, creatoris, redemptoris & amatoris tui crucifixi, charitate plenissimum, quod ipsa sacrosancta Trinitas, & plenitudo diuinitatis inhabitat corporaliter: per quod accessum habemus omnes in vno spiritu ad Patrem, quodq; sua immensa dilectione oẽs complectitur electos in cælo & in terra. Ad hoc salutiferũ cor Dñi Dei tui in spiritu eriges cor tuũ, priùs in interioribus tuis bene recollectũ: idq; in omni loco & tempore, præsertim aũt in diuinis laudibus & in oĩbus orationibus & operibus tuis, quemadmodũ Dñs ipse iubet: Venite,
Matt.11. inquiens, ad me oẽs qui laboratis, & onerati estis, & ego
Prou.23. reficiã vos. Tollite iugũ meũ &c. Præbe fili cor tuũ mi-
Cant.8. hi, & oculi tui vias meas custodiãt. Pone me vt signacu-
Psal.107. lũ super cor tuũ. Cui deuotè respõdebis: Paratum cor
& 85. meũ Deus, paratũ cor meum: Cõfitebor tibi Dñe Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomẽ tuum in
Threñ.3. æternũ: Leuemus corda nostra cũ manibus ad Deum.

Enim-

Enimuerò in ipso dulcissimo corde Iesu inueniť omis virtus, misericordia, iustitia, pax, gratia, virtus, sal⁹ ppetua, fons vitæ, cõsolatio perfecta, & lux vera illuminãs oẽm hominẽ venientẽ in hunc mundũ, maximè tamen ad ipsum in om̃i necessitate & afflictiõe deuotè confugientẽ. Quicquid em̃ boni desiderari potest, ex ipso superabũdanter hauriť: & quicqd salutis & gratiæ nobis donať, ex ipso mellifluo corde, nõ aliunde, in nos deriuatur. Caminus quippe diuini amoris, est igne Spiritus sancti iugiter ardẽs, purgãs, incẽdens, & in se transformans omnes sibi vnitos, & adhærere cupientes.

¶Porrò, sicut om̃e bonũ de dulcissimo Iesu corde, vt dictũ est, ꝑmanat, ita quæuis dona, beneficia & bona opera tibi & oĩbus hominibus collata, immo & oĩa vndecũq; occurrẽtia, in ꝑsona toti⁹ Ecclesię illuc deuotè referre debes, & ad summã Dei laudẽ & Ecclesiæ salutẽ, nihil penit⁹ horũ tibi adscribẽdo, neq; in donis Dei quiescẽdo, statim illi reddere, & in suã originẽ refundere, idq; maximè sub Gloria patri, alijsq; laudatorijs hymnis & psalmis. In eodẽ corde peccata confiteberis, veniã & gratiã postulabis, psalles & gratias ages, nõ modò pro te solo, sed etiã pro tibi cõmissis, & vniuersa Ecclesia catholica, quorũ omniũ salutẽ seruẽtissimè desiderabis, ex abysso miseriæ nostræ, inuocans abyssum diuinæ misericordiæ. Quapropter hoc ipsum pijssimum cor Iesu, quod cordi diuino inseparabiliter est vnitũ, in quo sunt oẽs thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi, siue illius, aut crucifixi Dñi tui imaginem, grata mẽte frequẽter osculaberis: ad illũ facie ad faciem clarè contẽplandum indesinẽter aspirabis, ipsi cõquerẽs angustias tuas: ex ipso in cor tuũ attrahes tibi spiritum & amorem, gratias & virtutes illius: ipsi inter prospera &

aduersa deuotè te resignabis, confides atq; adhærebis: in illoq; habitabis, solicitus seruare vnitatē spiritus in vinculo pacis, vt ipse vicissim mansionem facere digne-tur in corde tuo: ac tandem suauiter in pace in idipsum dormies & requiesces. Nam vbi te cunctorum morta-lium corda fefellerint aut dereliquerint, hoc fidelissi-mum cor te nunquam fallet neque derelinquet.

¶Quapropter si tutè ambulare, & per rectā ianuam intrare volueris, nunquā ad diuinitatis Christi præsu-mas ascēdere sublimia, nisi per sanctissimæ humanita-tis eius ascenderis vulnera humilia, baculo sanctæ cru-cis infirmos gressus tuos vbiq; dirigente & sustētante. Et si paruo labore grandia bona comparare, tua vilia opera volueris nobilitare, & pro illis merita Christi li-center vsurpare, atq; per humanas eius operationes di-uinis illius promissionibus appropinquare, da illi te to tum, & habebis ipsum totum: offer illi omia bona ope-ra tua, suę sanctissimæ vitæ & passionis purissimæque intentionis meritis vnita, & possidebis omnia bona & merita sua. O salutifera & omni acceptione digna com mutatio. Quis enim negociatorum seculi non libenter daret modicum cupri pro ingenti massa auri, aut vilem silicem pro preciosissima gemma? Hanc autem spirita-lem commutationem obtinere poteris, si totum quod es & habes, ac omnia quæ cogitas, loqueris, agis, siue pateris die noctuque, non solum spiritalia, verum eti-am corporalia, renouata sæpius intentionis puritate, ad æternam Dei gloriam & Ecclesiæ suæ salutem, cum sanctissimis IESV Christi cogitationibus, verbis, acti-bus & passionibus, quæ humiliter gessit & passus est in terris, vnieris, illique liberè resignaueris & obtule-ris. Verbi gratia, sic ante vel post singulos actus tuos oran-

orando vel desiderando: Domine IESV Christe, in vnione amoris quo pro me patrē tuum laudasti & orasti, laborasti aut dura passus es, da mihi has laudes & orationes, siue labores, licet viles, perfectè facere, & aduersa quælibet hilariter pati, ad laudem tuam & Ecclesiæ tuæ salutem. Vel istud generaliter ad omnia: Domine IESV, in vnione amoris quo pro me homo fieri & mori dignatus es, offero tibi istud ad laudem tuam & Ecclesiæ tuæ salutem. vel ita: Pater, in vnione amoris & mortis amantissimi filij tui, commendo tibi spiritum meum. Et quoties distractus, tentatus, aut etiam lapsus fueris, primùm ad vulnera pedum veniam, deinde gratiam & confidentiam ad manuum vulnera in psalmis & precibus tuis humiliter postulabis, & patri vt verè pœnitens, merita & charitatem filij sui offeres pro peccatis tuis: donec rursus ad ostium salutiferi cordis eius recurrere, stare, & pro ingressu ex filiali amore ausis pulsare. Hoc itaq; pacto merita tua licet in se exilia, sanctissimis Christi meritis vnita & permixta, & pro communitate in salutem oīm Dei electorū oblata, suprà quàm credi potest, nobilitanť, trāssubstantianť, & in magnis Christi meritis absorbenť, quomodo aquæ gutta in magno dolio vini: ita vt nihil horū tibi pereat, sed oīa vilia tua in corde Iesu tibi sint tutè reposita, & postmodum multiplicato cum fœnore iuxta intentionis tuæ puritatem & amoris tui magnitudinem, fideliter restituenda. Securè ergo tua minima CHRISTI meritis vnita, offer in sinum matris Ecclesiæ, vt in salutem cedant omnium electorum CHRISTI membrorum. Et non solùm non patieris detrimentum, sed ex diuitijs CHRISTI

maximũ inuenies salutis incrementũ: Quia teste D. Gregorio, tũc nostra magis fiũt nr̃a, cùm cœperint esse cõmunia fratrib⁹: & quãto bonũ cõmunius, tãto diuinius. Nã Christus & electa eius mẽbra interim negligentias nostras, dũ distracti fuerimus aut impediti, suis precibus & meritis supplebũt, Deum pro nobis laudabũt & orabunt, & sua merita nobis cõmunicabunt. Quicquid igitur habemus, in merita offeramus dñicę passionis, vt ipsius efficaciam sentiamus in tempore necessitatis. Et si parum est quod damus, omnia cum bona voluntate, puraq́; ac deiformi intẽtione, qua nihil aliud quàm Dei gloriã quæramus & beneplacitum, suppleamus. Nihil enim Deo offertur ditius bona & feruenti voluntate, cùm regnum cælorum tantum valeat quantum habes.

¶ Gloriosam præterea matrẽ Dei & misericordiæ, dulcissimam virginem Mariam, nõ negliges deuotè colere & inuocare, vt ipsa ex dulcissimo corde filij sui impetrare dignet̃, quicquid tibi necessariũ fuerit. Quod rursus per eius benedictas manus, in cor Iesu offeres: obsecrans maternam illius pietatem, vt ipsa, cum omnibus sanctis & electis Dei, adiuuet te laudare & benedicere Dominum Deum tuum, pro vniuersis eius beneficijs, quæ hactenus dedit, & dabit in æternum. Amen.

HYMNVS DEVOTISS.

DE VITA ET PASSIONE DOMINI,

authore D. Ioanne Lanspergio Carthusiano.

A Amator ardentissime, redemptor benignissime,
Laus, honor, virt⁹, gloria tibi sit pfectissima.
B Bone Iesu, ꝗ eligens matrem, puraq́; ꝓtegens,
Seruilem formam induis, te totum nobis tribuis.

Ca-

Casta natus ex virgine, æstu langues & frigore, C
Oras, laboras, pœnites, mira facis, fers, édoces.
Dulcis, pauper & humilis, tuorum pedes abluis, D
Sacramentum instituis, cibo, verbo nos reficis.
Egressus cum discipulis, tristis orabas lachrymis: E
Te confortato cælitus, sudor manat sanguineus.
Ferox hostis & impius dum furit, pergis obuius: F
Grassatur in te verberans, captum ligans & lanians.
Gementes tui fugiunt, in agnum lupi sæuiunt, G
Tota nocte cędũt, velãt, te tũdũt, spuũt, exprobrant.
Hinc pręsidi dũ sisteris, accusant dum non loqueris: H
Fãtẽ subsannãt, arguũt, dãnãt, blasphemãt, distrahũt.
In alba veste luderis, Pilato dum reduceris, I
Crucifigaris, fit clamor, latrone qui sis nequior.
Caro & cutis tenera, crebris plagis fit lacera, K
Dum flagellatus nimio cruore mades roseo.
Liuore corpus tumuit, flagris concisum squaluit, L
At caput rursus sauciant, dum spinis illud lacerant.
Mitis vt agn⁹ pateris, taces dum malediceris, M
Illusus dum conspueris, dum salutatus cæderis.
Nulla tibi compasio in pœnis fit exhibito, N
Crucifigendum clamitant, quos pœnæ nullę satiãt.
Obediens ad victimam, crucemq; ferens propriã, O
Damnatus pro me duceris, & sceleratis iungeris.
Premit te crux, vestigia rubent, cruentãt vulnera, P
Mater afflictum respicit, cor vtriusq; deficit.
Quid Iesu bone referam? amori quid retribuam? Q
Corpus nudatur liuidum, fit nou⁹ dolor vulnerum.
Rex regum dum illuderis, extensus crucifigeris, R
Inter latrones medius, orabas pro tortoribus.
Salus reo promittitur, discipulo cõmittitur, S
Mater cruci dum astitit, eius cor dolor secuit.
Te clamas patre deseri; dum sitis, fel dant impij: T

BB 5 Con

Consummas, tradis spiritum, transfigit cor mortuũ.
V Vndam das iuncto sanguine, vi charitatis vltimæ,
De cruce matri redderis; sepultus dirè plangeris.
X Christe tua mox anima, visens loca pœnalia,
Dæmonis vires alligat, amicos indè liberat.
Y Ingens facis, post triduum resurgens, matri gaudium:
Cælorum alta penetras, sanctos tuos glorificas.
Z Zelo nostri das spiritum, conuertens mundũ pfidum:
Matrem coronas inclytam, iudicabis iustitiam.
Iesu tibi qui pateris, sit laus qp cuncta tribuis:
Nos munda, iuua miseros, da pacem, salua mortuos.

HYMNVS ALIVS BREVIOR.


IEsu nostra redemptio, amor & desiderium,
Deus creator omnium, homo in fine temporum.
Quæ te vicit clementia, vt ferres nostra crimina,
Crudelẽ mortẽ patiens, vt nos à morte tolleres?
Inferni claustra penetrans, tuos captiuos redimẽs,
Victor triumpho nobili, ad dextrã patris residens:
Ipsa te cogat pietas, vt mala nostra superes
Parcendo, & voti compotes nos tuo vultu saties.
Tu esto nostrum gaudium, qui es futurus premium:
In te sit nostra gloria, per cuncta semper secula.
Gloria tibi domine, qui passus es pro homine,
Teipsum dans & omnia, benedictus in secula.

¶HYMNVS DEVOTISS. DE DOLORIBVS IEsu in cruce, cum externis tum internis.

IEsu cõfixus miserè, & extensus dirissimè,
Solutis heu compagibus, orabas pro tortoribus:
In cruce cum latronibus sic eleuaris medius.
¶Distentum pœnæ dissipãt, te flagellorũ cruciant
Plagæ, te claui lacerant, hinc spinæ caput vulnerant:
Collachrymantur oculi, nerui laxantur rigidi.
¶Membra quassantur liuida, sacra rubescunt vulnera.

Cruor hinc manat roſeus, dolor creſcit acerrimus,
Senſus & dolor viguit,non eſt quod pœnam minuit.
¶Conſputa pallet facies,cruore fuſo macies
Membra conſumit arida,dum ſitis premit aſpera:
Hæc mater videns anxia,tabeſcit prę triſtitia.
¶Te coarctant iuſtitia,noſtri amor,iniuria
Patris,matris anguſtia, electorum martyria,
Ingratorum pars maxima,noſtra peccata ſingula.
¶Ieſu,inter tot tormina,nulla captans ſubſidia,
Ad Patrem triſtis clamitas, relictum te vociferas:
Guſtando fel amaricans,in cruce pendes lachrymans.
¶Anhelum pectus palpitat, cor gemit, lingua æſtuat,
Commendas te & inuocas Patrē, expirans clamitas.
Senſus & pœna viguit,corpus moriens riguit.
¶O quàm immenſa charitas,ò cordis mira bonitas:
Te totum nobis tribuis,dulce cor tuum aperis,
Saluasq; nos gratuitò,redemptos tanto precio.
¶In mortem te tradideras, vt quos damnare debueras,
Obnoxios vt liberes,ingratosq; remuneres:
En quanta Dei charitas, heu quanta noſtra vilitas.
¶Ieſu quàm amas dulciter, quos redimis tam fortiter,
En factus es opprobrium, pro nobis & ſpectaculum,
En plebis es abiectio, & hoſtium deſpectio.
¶Non manſit in te ſanitas,nam noſtra te iniquitas
Et amor tuus vulnerat,hinc dolor cuncta occupat,
Vt totum per te redeat,in nobis quod perierat.
¶Ieſu noſtra redemptio,ſpes,vita,conſolatio,
Amor & deſiderium,felicitas & gaudium,
Fac noſtra mens vt ardeat,amans te ſolum ſitiat.
¶Ieſu rex amantiſsime,tu rege,tu nos poſside,
Quæ tibi placent,tribue:quæ diſplicent,mox amoue,
Vt tuum beneplacitum ſequamur in perpetuum.

Index



INDEX CAPITVM SEV ARGVMENTORVM IN SINGVLA exercitiorum Thaulericorum & Eschianorum Capita.

Ieſus

Iesus

ARGVMENTORVM IN EXERCItia D. Nicolai Eschij, Index.

AD LECTOREM.

Quisquis hoc vteris libello, [illegible] precibꝰ tuis cōmē[illegible] habe Carthusianos Colonię Agrippineñ, vnde ad te ꝓficiscit: vtì & hisce annis superioribꝰ innūera alia partim grādia, partī minuta indè ꝓdiere opa, sed eiusmodi oīa, vt haud mediocriter faciāt ad pietatē.

¶ERRATA.

¶In his intelligendis prior nũerus indicat paginã, posterior lineã: indè ſuccinctim ponit lectio vera.

10.4 tari 20.1 leniter 25.5 hu- 26.5 detrectat 33.25 q̃ tam 58.16 pſuaſiõi 61.3 amori 62.18 dñs 78.13 poterũt 82.12 pugnos 84.31 tis ſanat 85.1 duritia, grauiori eũ 88.6 vt q 91.26 detecto 92.22 litatẽ 96.5 via 104.22 ĩ me 23 ĩ me 24 mihi deniq; 119.15 poſt te 157.26 nit⁹ 172.24 tia & amore 176.1 rtereſ 229.28 appẽdas 231.16 debet. 232.28 ſunt, 239 23 eſſet 272.33 à di- 280.31 quẽ nos pec 284.27 indicia 290 11 aĩa 294.30 nimis 296.29 loliũ 298.2 tiſſimę 318.9 Obſecra 327.7 placendũ & Deo 328.11 ſam con 331.4 vilitatis 355.29 paſſiõis 362.1 Vt aũt 365.32 fiet 368.21 vtcunq;

¶Reliqua minutiora ſunt quàm de quib⁹ admonearis, tametſi nec iſtorũ omniũ hic poſitorũ eras monendus. At ſi habes pie lector volumen maiorũ operũ D. Ioãnis Thauleri, nup à nobis editũ, in tractatu Virtutũ ſiue Inſtitutionũ diuinarũ, cap. 9. de humilitate, pag. 16. in tribus aut quatuor locis, pro verbo (ſonora) pone (clara) & pro (rauca) pone (feruida) Cętera ſi quæ occurrerint errata, ex ſenſu facilè deprænhendes.

Ad IESVM CHRISTVM de numero vulnerum eius, ex reuelationibus S. Brigittæ, Barth. Laurentis epigramma.

Credere pro nobis paſſus tot vulnera IESV,
Quot comprẽduntur quatuor hiſce cifris: 5475
Inclyta quod natu, ac vita magìs inclyta, p te
Aſſerit oſtenſum diua Brigitta ſibi.
Vnã igitur ſaltem ſi mens deuotã quotannis
Illorum ſinglis applicuiſſe velit
Quã pręcepiſti precẽ, ei dicenda per annũ eſt
Vnoquoque die prex ea quindecies.





